EPISTOLAE

PRAEPOSITORUM

GENERALIUM

AD PATRES ET FRATRES

SOCIETATIS IESU

TOMUS QUARTUS

COMPLECTENS

EPISTOLAS AB ANNO 1884 AD ANNUM 1905 DATAS



ALMA COLLEGE
060.2
LIBRARY
J499
Alma, California

SUMPTIBUS PROVINCIAE BELGICAE S. I.
BRUXELLIS
RUE ROYALE, 165

1908

6474

Typis Jos. POLLEUNIS
BRUXELLIS
VIA SANS-SOUCI, 45

APPROBATIO

A. R. P. N. GENERALIS

FRANC. XAV. WERNZ

Quartum hoc volumen quod praecipuas Praepositorum Generalium complectitur Epistolas ad Patres et Fratres Societatis Iesu post annum 1883 missas, non solum probamus, sed etiam Nostris omnibus, praesertim Superioribus, Instructoribus tertiae probationis, Magistris Noviciorum, Praefectis Spiritus et Consultoribus valde commendamus; nec possumus quin Provinciae Belgicae curam atque industriam eiusmodi Epistolas colligendi ac recudendi magnopere laudemus.

Romae, d. 10 Octobris 1907.

FRANCISCUS XAV. WERNZ

Praep. Gen. Soc. Iesu.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/epistolaepraepos0000tomu

INDEX

IN EPISTOLAS TOMI QUARTI

R. P. N. ANTONII MARIAE ANDERLEDY

63. *De litteris encyclicis SS. D. Leonis Pp. XIII : Humanum genus* . . Pag. 1

64. *De cruento BB. Edmundi Campiani et Sociorum ac de incruento nobis subeundo martyrio* 26

65. *De munere provehendi cultum SS. Cordis Iesu Societati nostrae abhinc duobus saeculis demandato* 95

66. *De repetenda subinde Sanctorum Petri, Ioannis et Alphonsi praeclare gestorum memoria.* 116

67. *De vanitate rerum humanarum exemplo S. Aloysii contemnenda* 218

R. P. N. LUDOVICI MARTIN

68. *De aliquibus nostrorum temporum periculis cavendis.* 268

69. *Quo studio tradenda sint Exercitia spiritualia S. P. N. Ignatii* . . Pag. 333
70. *Ad PP. Provinciales S. I. gravissimi morbi sui occasione* 337

INDEX IN QUATTUOR TOMOS DUPLEX

I. Summarium Epistolarum . . . 345
II. Syllabus alphabeticus 413

EPISTOLA

R. P. ANTONII M. ANDERLEDY

VICARII GENERALIS

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS IESU

DE LITTERIS ENCYCLICIS SANCTISSIMI DOMINI LEONIS PP. XIII : HUMANUM GENUS.

Summa legum quibus religiosi ordines reguntur, haec est, ut pareant Summo Pontifici, et ex eius imperio nutuque pendeant. Etenim principem inter omnes, qui praesunt, locum obtinet Christi Vicarius, qui omnia complectitur iure ac potestate, et a quo Superiorum facultas omnis tamquam ab ubere fonte ac perenni dimanat. Quo imperio usa S. Sedes, religiosos ordines temperavit optimis institutis ac legibus, eosque moderata est gratia, insita sibi, caritate ac benevolentia usque eo, ut eos in pluribus exemptos sibi soli obnoxios et obtemperantes fecerit. Hoc singulare beneficium Sanctissimus Dominus, Leo PP. XIII., pro Sua in religiosas familias gratia et benignitate, certum ex iure et cognitum sollemniter enuntiavit. Quare aequum esset, pietatem nostram, gratum animum et oboedientiam certare

Societas nostra, obnoxia Christi Vicario,

cum Summi Pontificis liberalitate et munificentia. Cum vero nostrum qualecumque studium tantis muneribus aequari non possit, demisso saltem animo hoc decet fateri et reputare nos indignos, in quos gratia tanta conferatur. Decet hoc in primis nostram Societatem, quae non alia de causa instituta est, quam ut serviat, ut oboediat Summo Pontifici. Auctore enim S. Ignatio nostrum est : *Sub Crucis vexillo Deo militare, et soli Domino atque Romano Pontifici eius in terris Vicario servire.* (Const. Paul. III. *Regimini*). Hoc caput est in Instituti nostri formula, Vicario Christi a S. Patre Nostro oblata, eamque formulam consecuta est approbatio Pontificia.

ad ipsius nutum parata sit

Cum igitur ea natura sit atque vis ipsius nostri Instituti, ut ad nutum parati simus Summi Pontificis, quo magis insita nobis erit ea natura, quo magis similitudinem geremus speciemque S. Ignatii, eo propensius ad voluntatem Successoris S. Petri aggregabimus nostram, et non solum firmum nobis erit gerere morem, sed etiam colere auctoritatem sanctissimam maiestatemque revereri, cogitando, dicendo, et ut verbis facta suppetant, vim, laborem atque contentionem adhibendo.

Quod si nullo non tempore ad agendum fortiter nos par est esse paratos et ad dimicationes etiam subeundas, tum vero maxime, cum in discrimen adducta est sancta Ecclesia. Hoc vero periculum summum nunc esse, extremum iniquissimumque ex temporum iniuria constat; causas vero discriminis

et pericula, quae etiamnum timenda sunt, ex Epistola Encyclica *Humanum genus* colligimus, Epistola sane digna Maiestate Pontificia, miranda, aeternaeque consecranda memoriae.

Ad eam quaeso, RR. PP. et FF. in Christo dilectissimi, attendite animum, et quae nos docet Vicarius Christi, a Christo Domino dicta reputantes, alta mente reponite. Tristem temporum ea exhibet imaginem, quam etiam atque etiam intueri, ex eademque hostium Ecclesiae machinas, fraudes, insidiasque cognoscere opus est, ut quibus armis ad nutum Summi Pontificis simus parati, probe intellegamus. Edocemur ea Epistola non ab alio hoste timendum magis esse rei christianae, quam a clandestina illa Societate, quae, in latebris parta, jam erumpit e tenebris et audacius exsultans, Dei Ecclesiam convellere se posse, ferocius confidit, insolentius proclamat.

falsis opinionibus et coetui perverso

Cuius clandestinae Societatis tota ratio continetur specie fictae simulationis atque mendacio. Dum enim id agit, ut honesta, proba et humana esse videatur, tegit sua consilia abditque, eorumque pandit aliqua iis solum, quos ad nutum habet, paratos ad perpetranda, ut pareant tyrannidi, quaevis facinora. Quorum maxime nefarium illud est, *evertere* velle *funditus eam, quam instituta christiana pepererunt, disciplinam religionis reique publicae, novamque ad ingenium suum exstruere, ductis e medio Naturalismo fundamentis ac legibus.* (Encycl.

SS. DD. Leonis PP. XIII *Humanum genus*). Quare rationem humanam ducem ac magistram solam mentientes, negant quicquam divinitus esse patefactum, nullumque, propterea asserunt, munus esse Ecclesiae Catholicae, nullam auctoritatem. Quin immo in hanc S. Ecclesiam furorem et arma convertunt, Vicarium Christi Domini principatu civili deturbatum, inermem, suoque regendum arbitrio desiderant. Repudiata vero cathedra veritatis, rationis ipsius lumine se faciunt expertes ita, ut nec Deum esse persuasum sibi esse velint, et ab ipsa honestate naturali deficientes, in societatem, tam domesticam quam civilem, omnem inducant morum perversitatem.

Haec sunt opinionum, quas fallaces iure merito et commenticias appellamus, capita quaedam. Opiniones vero ipsae recte, plene ac penitus ex ipsa Pontificia Epistola cognoscendae sunt. Quod ut assequamur, non eam legisse satis est, sed cogitare attente eam oportet, ut alte haereat prorsusque animo infixa. Ea enim periculum edocemur, quod tum ex perversitate opinionum nobis imminet, tum ex nexo foedere opinionumque societate.

vera principia et coetus catholicos opponere.

Hoc igitur praestare nostrum munus est, ut falsis opinionibus principia vera, et coetui perverso coetus opponamus, pietate ac moribus probatos, fideles ac plane deditos Summo Pontifici, quorum una sit mens et societas principiorum.

Ad primum quod attinet, nihil est quod de prin-

cipiis laborem. Sunt ea petenda ex iis, quae divinitus nobis fuerunt patefacta et ex ea philosophia, quam summo S. Ecclesiae et Societatis nostrae bono Summus Pontifex Leo XIII normam esse voluit, et quam singulari animi solacio invalescere in dies, eosque fructus ferre conspicimus laetissimos, quos S. Sedi obtemperatio consequi solet.

Ideirco industriae nervos contendere omnes opus est, ut ea principia, quae ad persuadendam hominibus catholicam veritatem et ad evertendos Naturalistarum errores sunt apprime accommodata, pateant et in promptu sint omnibus, quo securius acriusque errores, quibus se tuentur societates clandestinae, impugnentur atque repellantur.

Qua in re opera potissimum ab iis ponenda est, qui iuventutem docent, qui libros evulgant, quique de rebus divinis ad populum dicunt.

Neque sola ratio habenda est hominum eruditorum, sed etiam expertium doctrinae, laudandumque imprimis consilium, spargendi Epistolae Pontificiae exempla quam plurima libellis, iisque subiungendi monitiones, e quibus intellegant verae religionis cultores, quid agere, quid cavere, quid decretum ipsis ac stabile esse oporteat. Et cum tenera aetas praeceteris sit indiga doctrinae, cum veritatem errori necesse sit pietatemque pravitati praeverti, et cum sint partes nostrae praecipuae rerum divinarum doctrinam docere pueros, Vos omnes, RR. PP. ac FF. Carissimi, hortor ac moneo, ut reducatis in memo-

Quare imprimis docendi sunt pueri;

riam atque apud animum vestrum in Dei conspectu cogitetis, nostram Societatem, ad hoc potissimum institutam esse, ut *ad profectum animarum in vita et doctrina christiana nominatim per puerorum ac rudium in christianismo institutionem praecipue intendat.* Quod vim quidem habet maximam, cum in ipsa legatur Instituti formula, quae non solum probata est auctoritate Pontificia, sed etiam inserta Constitutionibus Pontificiis. Neque hoc satis fuit S. Parenti nostro. Verum legem, qua Patres ad Professionem quattuor vel trium votorum aut inter Coadiutores formatos spirituales admitterentur, eam esse voluit, ut Deo Omnipotenti promitterent *peculiarem curam circa puerorum eruditionem* secundum *formam vivendi in Litteris Apostolicis Societatis Jesu et in eius Constitutionibus contentam.* (P. V. c. 3 et 4.) Atque hanc *promissionem docendorum puerorum ac rudium hominum* ita declarat: *Quod autem de pueris docendis in voto fit mentio, ea de causa fit, ut sancta haec exercitatio peculiari modo sit commendata, et devotius curetur propter singulare obsequium, quod Deo per eam in animarum auxilio exhibetur; et quia facilius oblivioni tradi poterat, et in desuetudinem abire, quam alia magis speciosa, cuiusmodi est praedicatio*, etc. (L. c. lit. B.) Quo autem efficacius id observaretur, sanxit S. Pater Noster, ut cum primum ad munus adirent Collegiorum *Rectores, legerent vel docerent christianam doctrinam quadraginta dies* (P. IV. c. 10. § 10); et S. Parentis Nostri vestigiis

insistentes Patres Congreg. II. decreto 58 statuerunt : *Quivis Professus quattuor vel trium votorum, quivis etiam Coadiutor spiritualis formatus, post editam professionem vel vota simplicia, intra annum per quadraginta dies continuos vel interpolatos, doctrinam christianam pueros atque rudes personas docere teneatur. Praeterea vero hoc tam sanctum exercitium visum est Adm. R. P. Generali commendandum ; ne ullo umquam tempore illius oblivio in nostros animos irrepat, cum illud in votorum nostrorum formula complectamur. Curet itaque idem R. P. Generalis, ut nostri frequentius, quem ad modum ipsi in Domino expedire visum fuerit, in hoc tam pio opere exerceantur.* Ea christianae doctrinae opportunitate usi firmare fidem Nostri poterunt et praecavere pericula, ne incauta iuventus captetur clandestinae Societatis insidiis.

Et haec quidem Summus Pontifex nobis persuadet, ita verissime disserens : *Assiduitate docendi hortandique pertrahere multitudinem oportet ad praecepta religionis diligenter addiscenda : cuius rei gratia valde suademus, ut scriptis et contionibus tempestivis elementa rerum sanctissimarum explanentur, quibus christiana philosophia continetur. Quod illuc pertinet, ut mentes hominum eruditione sanentur et contra multiplices errorum formas et varia invitamenta vitiorum muniantur in hac praesertim et scribendi licentia et inexhausta aviditate discendi.* (Encycl. SS. DD. Leonis XIII.)

Cui Christi Vicarii hortationi utinam parerent ii omnes, qui doctrina praediti, docendi, scribendi, dicendi genere excellunt! Emendarentur mores, muniretur fides, novaque surgeret S. Ecclesiae progenies. Nos saltem nobilem hanc studii, provehendae Dei gloriae, palmam nobis praeripi non patiamur. Qua in re nulli parcendum est labori, non solum ut nunc, quod volumus, nanciscamur; sed etiam, ut quae doctrina, quae libris in lucem editis, quae sacris orationibus ac christiana catechesi fuerimus assecuti, tueamur ac foveamus societatibus iis, quae catholica teneant principia et nostram ad alienas etiam utilitates explicare industriam possint.

Et hoc quidem alterum est, quod iis coetibus opponamus, qui clandestinorum nomine appellantur. Huius quoque tuendae rei christianae subsidii Leo XIII auctor nobis est atque suasor. Quare filiorum Ecclesiae est laudare eos coetus, quos laudavit Sanctissimus Dominus, et quos commendavit, eosdem pro virili parte suadere, iuvare atque provehere. Cum tamen nonnullae societates Instituti nostri sint propriae, quas magis edocti et in quibus usu potissimum eruditi sumus, in his praecipue, ex mente Summi Pontificis, operam esse ponendam mihi persuadeo.

tum fovendae sodalitates B. M. V.,

Principem inter has locum obtinet Sodalitas Beatae Virginis Mariae. Quare obsecuturos nos esse existimo Vicarii Christi voluntati, si omni, qua fieri potest, opera et studio virorum, iuvenum ac puerorum Soda-

litates, quae Almae Dei Matris nomine ac praesidio teguntur, instituere, institutisque curam omnem adhibere satagamus. Neque sine numine evenisse videtur, ut annus, qui ab instituta Congregatione Prima Primaria trecentesimus est, idem sit, quo Sanctissimus Dominus Leo XIII rationem nos edocet dimicandi contra pestiferas huius temporis ac tenebricosas Societates. Ruinam hae rei christianae meditantur, Virginea vero Mater, Auxilium Christianorum, cunctas haereses sola interemit in universo mundo. Acuere hic eventus industriam debet. Et cum haec declinare soleat tempore ipso et labentibus annis torpescere, incitandus animus est redeundo in memoriam pristini temporis, quo summi illius aetatis viri, quanta sit Sodalitatum B. V. M. vis et efficacia, exemplo denuntiant.

quarum ab instituta Prima Primaria trecentesimus annus agitur.

Saeculo septimo decimo ex Primae Primariae Sodalicio prodierant octoginta Eminentissimi Cardinales, quorum septem ad summam, quae in terris est, Sedis Apostolicae dignitatem sunt evecti : Urbanus VIII, Alexander VII, Clemens IX et X, Innocentius X et XI, Clemens XI. Nuntii Apostolici nomen Beatae Virginis Sodalitati dederunt Viennae, Pragae, Coloniae. In hac quidem urbe testem se anno 1660 fuisse, narrat P. Crasset, contionis Sodalium, qui erant primores et capita civium, quibusque praefuit ipse Nuntius Apostolicus. Mediolani Cardinalis Fridericus Borromaeus puerorum, iuvenum, virorum Sodalitatem instituit. Neapoli Sodalitas Dei Matris initium duxit

Harum efficaciam testati sunt SS. Pontifices,

a pietate Nuntii Apostolici, trium Episcoporum, duorum principum, a totius rei maritimae praefecto, ducibus duobus, aliisque viris nobilissimis. Longum esset aliorum, qui in aliis regionibus eadem pietate splenduerunt, nomina referre. Silentio tamen praetereundi non sunt Sigismundus III, Poloniae et Sueciae rex, principes Bavariae Philippus et Ferdinandus, dux Sabaudiae, qui cum tribus filiis a. 1602 Sodalitati ascribi petiit. Coloniae Sodalicii praefectum se eligi passus est a. 1639 Maximilianus Henricus, dux Bavariae. Ladislaus IV, Poloniae rex, nomen Sodalitati dedit Lovaniensi, aliamque Varsaviae institutam voluit. Cuius frater, et ipse Poloniae ac Sueciae rex, Ioannes Casimirus, in Sodalitatem cooptari petiit Varsaviensem; defensor piorum huius generis coetuum declarari voluit, et tam ipse quam frater eius Ferdinandus alterni eligebantur praefecti Sodalicii Varsaviensis, quod fide ac pietate eximia illustrarunt. Archiducibus Austriae consuetudo fuit, honore ornari ac titulo sodalium. Imperator Ferdinandus II nomen albo Sodalitatis inscribere ipse voluit, cum esset rex quidem, nondum vero imperator. Quae scripsit, ita in albo leguntur : « Anno » Domini 1618 die septima Novembris Ferdinandus, » Ungariae Bohemiaeque Rex, Archidux Austriae, » sodalis Beatissimae Dei Genetricis Virginis Mariae » scripsit, sub cuius praesidio se semper commen- » dat. » Idem, cum esset imperator, iterum albo nomen apposuit, omnemque in Matre Dei fiduciam

Reges et Principes,

collocans, eam sollemniter declaravit suorum exercituum Imperatricem Supremam. Ferdinandus III in Sodalitatem Lovaniensem receptus, haec scripto declaravit : « Illius ego coetus sub invocatione tua » congregati, Augustissima Maria, me libens et » merito unum profiteor. Tibi ego me, meosque, » coniugem et liberos, Tibi Romanum imperium, » cui me Deus praefecit, Tibi regna a Maioribus » accepta, Tibi tutelaeque Tuae populum et exercitus » meos, Tibi tuoque Filio militantes, committo. Tu » me in Tuum admitte, qui Filio Tuo, qui Tibi, qui » utriusque honori vivo, regno, pugno. Tuus igitur » ero Maria, Tui erunt quicumque mei, Tua erunt » diciones et regna mea et Imperium, Tui populi et » exercitus. Tu eos protege, tu iis vince, Tu in iis » regna et impera. Ita voveo Tuus pietate et iustitia. » MDCXL. Ferdinandus ».

viri nobilissimi,

Innumera virorum nobilissimorum exempla huius generis regna Galliae et Hispaniae praebent. Henricus Borbonius a. 1621 in Sodalitate Parisiensi Beatae Virginis cultui se dedicavit. Cuius exemplum secutus Antonius Borbonius eidem Sodalicio praefectus est. Duo alii ex stirpe regia principes, Ludovicus et Armandus, Deiparae sodales propter eximiam pietatem suspiciebantur. Quorum exemplum duodecim clarissimi principes imitati sunt. Taceo tot ardentes animorum studio praecones evangelicos, quorum nomina inter Sodales Parisienses relata inveniuntur; taceo alios quam plurimos, principes, duces, regni

administros, administratores rei publicae, rei militaris praefectos, qui huic se pietatis cultui dedicaverunt.

et publica consilia.

Praeclarum, quod Hispania edidit, facinus, omissis bene multis, commemoro, quod unum acquiperandum est quam plurimis. Ipsum supremum Castiliae consilium, in Hispania illustre ac celeberrimum, in Sodalicium cooptatum, totum se in famulatum dedit Matris Divini Salvatoris. Eminebat hoc consilium nobilitate, doctrina, dignitate atque experientia rerum. Ex quo eventu coniectura assequi licet, quanto in honore Beatae Virginis cultum posuerit gens Hispana, quotque imitatrices nacta fuerit tam nobilis Sodalitas.

Similem Lusitania laudem est consecuta, cuius cultui Mariano suum decus est in Ioanne IV, qui a. 1643 in palatio regio Sodalitatem esse voluit iuvenum aulae regiae, quorum ipse praefectus cum esset, non raro de re pia sermonem ad iuvenes, nobilitate conspicuos, habuit.

Et haec quidem de clarorum sodalium numero. Longe pluris tamen aestimandi sunt fructus, qui sub Divinae Matris tutela ac praesidio in hisce coetibus

Annales vero nostri illarum fructus memorant

enascuntur. Recte annalium Societatis nostrae monumenta haec perhibent : *Nihil ad levandas mortalium calamitates et constantem publicae pietatis fructum esse validius, quam si concordes multorum animi, vinculo communi virtutis astricti, amice in rem aliquam conspirarent.* (Iuvenc. Hist. S. I. p. V. l. 16. n. 31.) Quod dictum eventus comprobavit.

Momentum inaestimabile, ita narrat Sacchinus noster, *per omnes ferme terrarum oras privatae publicaeque pietati fecit Sodalitatum institutio hominum cuiusvis ordinis etiam non discentium. Iam tempore S. Ignatii* (a. 1554) *nonnulli ex hoc genere inchoati coetus erant, ac nominatim Neapoli sub titulo Venerationis SS. Sacramenti.* (Sacchin. Hist. S. I. p. V. l. 7. n. 1.) in Italia,

Progressu temporis Panormitana inter nobiles maxime adolevit Sodalitas, ex qua in omni genere pietatis fructus efflorvere multi atque praeclari; et inde in Hispaniam ipsi propagati sunt eiusdem formae coetus. Praeclara in conciliandis dissidentibus, sublevandis calamitosis, defendenda innocentia, ad haec in domorum singularum disciplina, per eum conventum effecit Deus. *Alia subinde alibi instituta Sodalicia sunt non solum Nobilium, sed et Sacerdotum et mediorum Civium et Opificum ac plebis etiam rusticanae, ad alia super alia conflanda industriam excitante successu, qui plane spem superabat. Namque ex his aliquanto etiam maior, quam e Scholasticis fructus exstabat, quod ut aetatis firmitate* Scholasticos *auctoritateque praeibant, ita et ibi firmius ad virtutem informabantur, et ad alienum profectum plus habebant momenti, sive exemplo, sive conatu, quia totae in uno Patrefamilias domus emendabantur, communi cum civitatum emolumento, quarum publicae res recte habent, cum privatae in bono sunt statu. (Ibid.)*

Romana Nobilium Sodalitas praeter pietatis in Deum exercitationes hoc sibi proprium et peculiare sumpsit, ut civium discidia, magno religionis et civitatis emolumento componeret. (Iuvenc. Hist. S. I. p. V. l. 16. n. 32.) Eius quoque industria licentiae, cui populus indulgere solet triduo, quod est ante quadragesimae ieiunium, frenos iniecit horarum quadraginta comprecatione, quae peracta est magno apparatu, splendore ac magnificentia. Suis etiam Nobilium coetus famulis consuluit ac providit, ut etiam hi in conventum coacti propriis exercitationibus excolerentur. Exemplum ab hac Sodalitate aliae petierunt, quae Romae in lucem editae sunt non mediocri aegrotantium, quibus in nosocomiis, et vinctorum, quibus in carceribus curam adhibebant, fomento atque solacio.

Hispali pia e fori principibus Sodalitas conflata anno 1608. Haec autem id assecuta est, ut, tutela aequitatis palam strenueque suscepta, ius quisque suum obtineret. (Iuvenc. l. c. 34.)

Neapoli circa a. 1610 piscatores quadringenti in coetum collecti optimis ita moribus enituerunt, ut cives in admirationem raperentur. (Iuvenc. l. c. n. 33.)

in Hispania et Lusitania,

Granatae coetus Marianus sodales trecentos numerabat, qui, cum operam darent xenodochiis, collocandis honeste virginibus et sublevandis stipe egenis, insigni exstiterunt civitati exemplo. (Iuvenc. l. c. n. 34.)

Angrae in dicione Lusitana a. 1588 natum Sodalicium Beatae Virginis Mariae, cui nomen dedit, qui praefuit non urbi tantum, sed toti insulae Terceira. Cum eo tribuni, centuriones et lectissimi quique militares in eam societatem recipi postularunt, utilitate maxima cohortis universae. Cum enim milites in magna securitate, parique abundantia viverent, tamen ex quo piam divinae Matri servitutem erant professi, tam mirabilis vitae morumque innocentia emicuit, ut vere dici posset, legionarios sub signis atque in castris vix temperantia, castimonia, caritateque in Deum coenobitis disciplinam claustrorum longo iam usu tolerantibus, concessisse. (Sacchin. p. V. l. 9. n. 226.)

et extra Europam.

Pares pietatis fructus regio Chilensis et imperium Sinense tulerunt. (V. Sacchin.) Portento autem simile videtur, quod S. Alphonsus de Lig. (Glor. di Mar. p. 2. osseq. 7.) asserit. Generatim, ait, pluribus peccatis unum hominem obnoxium esse, qui non frequentat Sodalitates, quam viginti alios, qui saepe Beatae Virginis Mariae conventibus intersunt.

Neque aetas nostra huius generis fructibus vacua dicenda est, cum meminerim coetus in America et alibi milium virorum, qui ad sacra percipienda quovis mense accederent. In illis regionibus Patres nostri primam Societatis aetatem imitati sunt, in qua sollemne fuit ad Sodalicia, quae nostri moderabantur, aditum praecludere feminis. Cognita haec sunt et rerum gestarum monumentis signata. Haec enim scribit Sacchinus (p. V. l. 7. n. 6.) :

Multae haud semel nec una in civitate contenderunt Matronae, ut ipsis quoque liceret in huius generis convenire coetus; sed res nullo modo probata est. Adeo ut, ne coetibus quidem, quos alicubi ad catechismum promovendum certae habebant pietatis perspectae feminae, quempiam sociorum interesse placuerit.

Pari studio similes fructus percipiemus,

Ad haec, quae per Sodalitates Beatae Virginis Mariae olim assecuta est nostra Societas, animum si referamus, hisque coetibus adhibeamus sollertiam ac diligentiam, dubitandum non est, quin pari studio pares etiam fructus percepturi simus.

Hac vero aetate nostra in iuvenes opera quam maxima conferenda est; ubi licet, in collegiis, ubi vero legibus prohibemur, saltem in Sodaliciis Beatae Virginis, in quibus consociare eos, ad omnem erudire pietatem et munire contra errores ac vitiorum illecebras omni studio satagamus. Curam iuvenum, quod probe scio, Summus Pontifex vehementer exoptat, et cum in sancto hoc officii genere operam ponere, Instituto nostro legibusque iubeamur, illud singulari nobis hortatione commendat. Hac de causa, quamvis dixerim de pueris christiana doctrina instituendis, hoc loco de iisdem et iuvenibus moneo congregandis in Sodalitatibus.

si, quod de cura iuvenum Episcopis commendatur,

Cum enim nihil sit tam tenerum, tam flexibile, quod magis pro arbitrio fingatur, quam iuventus, hanc, *quae spes est societatis humanae, fidei vigiliaeque Episcoporum maiorem in modum* Vicarius

Christi, Leo XIII, commendat. *Partem curarum vestrarum,* ita iubet Summus Pontifex, *in eius* (iuventutis) *institutione maximam ponite; nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior, ut iis adolescens aetas prohibeatur et scholis et magistris, unde pestilens sectarum afflatus metuatur.*

etiam nobis praeceptum esse reputemus.

Haec etiam nobis praecepta esse apud animum reputemus. Nostrum enim est aetatem colere puerorum, quae opinionibus imbuitur nullo negotio, tam pravis quam salutiferis, et in qua elaborandum est, ut pietas adversus Deum et virtus terrenum amorem vitiaque praevertat. Litteras enim ea de causa docemus, *ut adulescentes una cum litteris mores etiam christianis dignos in primis hauriant,* ferrique eorum qui docent *intentio* debet, *ad teneras adulescentium mentes obsequio et amori Dei ac virtutum, quibus ei placere oportet, praeparandas. (Reg. 1 comm. prof. class. inf.) Ad Conditoris quippe ac Redemptoris nostri cognitionem atque amorem ii, quibus disciplinas tradimus, excitandi sunt.* (Rat. Stud. Reg. 1. Prov.)

Quare illos a clandestinis societatibus cavere

Quare, si quo pacto possumus, ad normam Encyclicae Pontificiae, *opportune commonere alumnos de* clandestinarum *societatum flagitiosa natura* oportebit, *et ut mature cavere discant artes fraudulentas et varias, quas earum propagatores usurpare ad illaqueandos homines consueverunt.* Et cum usus in nonnullis Societatis collegiis invaluerit, ut spon-

deant nulli se huius generis societati nomen daturos, quo plenius hoc assequamur, studia nostra perfectiore ea regula metiamur, quae in Apostolocis Litteris ita legitur : *Immo qui adulescentulos ad sacra percipienda rite erudiunt, non inepte fecerint, si adducant singulos, ut statuant ac recipiant, inscientibus parentibus, aut non auctore vel curione vel conscientiae iudice, nulla se umquam Societate obligaturos.*

Gravitas rei effecit ut immoderatius fortasse de Sodalitatibus dicerem. Cum enim Breve SS. DD. Leonis PP. XIII Congregationi Primae Primariae concessum sit, anno hoc canonicae eius institutionis trecentesimo, quo, facta indulgentiarum cumulatissima largitione, facultates, quae Iubilaei tempore tribui solent, benignissime suppeditantur, Vos, RR. PP. et FF. in Christo Carissimi, rogandos, recreandos, atque cohortandos esse duxi, posito ante oculos exemplo maiorum, ut tantae gratiae, tam insignis Pontificiae benevolentiae fructus quam uberrimos capere et Christi Vicarii spem de vobis conceptam implere ardenti studio conemini.

quavis occasione discamus.

Verum in hac tanti ponderis atque momenti causa, quam strenue agendam esse Litterae Apostolicae nos admonent, non est Sodalitatum finibus continenda nostra industria. Ubicumque occasio tulerit, quantum prudentia suadet, offerentibus se rebus utendum est : in templis, in collegiis, in privatis etiam congressibus, in ipso familiari per litteras

colloquio faciendum, ut incendantur studia quam plurimorum, eorumque in primis, qui pietate, doctrina, animi robore, auctoritate valent. Magnae sunt rei tam sanctae opportunitates in sacris expeditionibus, in commentationibus piis, quibus sacerdotes vel alii viri dant operam. Eo tempore, quo animi sunt ad veritatis lumen percipiendum paratiores, promptioresque ad exsequendum opere quae perceperunt, illi inflammandi sunt studio deterrendi a perversis iis coetibus quam plurimos; hi vero sunt avocandi ab iisdem, si nomen dederint, et incitandi, ut, quibus poterunt, persuadeant, contra sacras Dei et Ecclesiae leges eos committere, si illis se societatibus implicent. Neque haec ansa deerit, cum in regionibus nonnullis viris sit consuetudo vacare s. exercitiis, et tam in his quam in aliis invalescere coeperit ea opinio, in *viris* ad Deum revocandis industriam esse adhibendam. Sane catholicus in civitate Insulana conventus d. 26 Nov. a. 1882 id agendum esse decrevit, ut damna, quae cepit societas tam civilis quam domestica, reparentur.

Alia etiam subsidia S. Ecclesiae serviendi studium suppeditabit.

Opus illud aggrediamur nihil cunctantes,

Opus vero, quod prae manibus est, aggredi sine mora et abjecta omni cunctatione oportet. Tempus enim hoc opportunum praetermittendum non est, cum Summus Pontifex d. 10. Maii mandaverit, ut *ad integrum anni spatium post rite vulgatas... Apostolicas Litteras* (Humanum genus) *in unaquaque*

dioecesi suspendantur tum obligatio denuntiandi sectarum occultos coryphaeos et duces, tum etiam reservatio censurarum. Neque minus constans, quam promptum et alacre studium rei gravitas postulat. Magnum enim est quod conamur, dignum sane, in quo vitae curriculum conficiamus. Cum enim tanti momenti rem esse duxerit Summus Pontifex, ut totius orbis Episcopos ad tuendam contra clandestinas societates rem catholicam invitaverit, illud curae nobis sit, ut haec vicaria Dei vox, quamdiu virium aliquid in nobis est, quamdiu vitam agimus, percellat eos qui clandestinae sectae rei sunt, sonet in auribus omnium, periculumque denuntiet. Hic enim constantiae fructus noster esse debet, ut nulla aetas Pontificiae Epistolae oblitterare possit memoriam.

nihil trepidantes,

Nec ullum nos periculum, nulla terreat molestia. Non terruit inimicam Ecclesiae societatem labor, non attulit formidinem discrimen. Operam eius asseclae posuerunt in re pessima, laboremque longo tempore sustinent; vitae iacturam fecerunt quam plurimi. Nos vero de causa sanctissima non laborabimus? Cunctabimur fortasse, cedemus difficultati, molestiae, formidini? Narrabuntne posteri nos trepidasse? Trepidasse? dum ducem in Vaticano nostrum conspicimus impavidum, LEONEM, tot, qui eum cingunt, hostibus non cedentem, sed imperantem; non deprecantem, sed minitantem atque non dubitantem ad christiani hominis officia eos ipsos revo-

care, qui eum detinent sub hostili potestate constitutum, atque eosdem ad damnandos, quibus dediti erant, errores et flagitia, religione obstringere.

Sane, Deo benigne iuvante, non occupabit animum timor; sed neque ea mobilitas ingenii, quae declinare a proposito consilio suadet et refugere a labore et molestia. Hanc enim vincere debet virtus constantiae. Quam ut teneamus, persuadendum nobis est continuo, rem agi gravissimam, summam, eaque nullam ex iis, quibus implicamur, aliam esse potiorem. Profecto, si qua re utili capimur atque tenemur, si eam magni momenti negotium esse ducimus, si secundissimum ex labore eventum speramus, nulli parcere curae vel labori, nulli periculo vel molestiae nos subducere solemus. Sunt autem haec laboris genera rebus universae Ecclesiae non coniuncta et iis certe levoria, quae a Vicario Christi expetuntur. Quod vero proponitur negotium, universae interest Ecclesiae, votisque postulatur Summi Pontificis.

nulli labori parcentes:

Cum sub crucis vexillo maiores nostri, voluntate Christi Vicarii percepta, terram sanctam bellaturi peterent, omnium una fuit vox : *Dei haec voluntas est*. Nos vero dimicationem ingressi momenti non minoris, intellecta Sanctissimi Domini mente ac consilio, de Dei voluntate dubitabimus? Nulla sane quidem res huic potior esse potest, tutoque omitti plurima possunt, ut huic sancto, huic vehementissime necessario negotio vacemus.

Dei enim haec est voluntas,

Quod quidem omnes Patres nostri commissum

ut omnes

Patres illud sibi commissum existiment.

esse sibi existiment, maxime vero Superiores, quorum est omnia moderari prudentia; quae loco et tempori, quae hominum animo, quae adiunctis omnibus sint accommodata perspicere, ordinare, decernere et quae apposita visa fuerint, summo studio urgere, nihil remittere, iis instare fortiter, eaque ad exitum deducere.

De scriptoribus nostris iam dixi, sed iterum exhortor tum hos, tum illos qui doctrina in cathedra, qui apud multitudinem eloquentia valent. Sunt haec tria docentium, scribentium et dicentium ad populum conspicua in Societate officia, sed aeque ardua ac laboriosa. Equidem eos, qui ea munera colunt studiose, assidue, constanter, suspexi semper atque suspicio, mihique persuadeo, eos sustinere laborem improbum unius Dei amore, aeternamque apud Deum mercedem paratam sibi habere. Animum tamen iis adderem, nisi exploratum mihi esset, perspecta Summi Pontificis mente, nulla opus esse incitatione.

Hortanti Christi Vicario oboedire,

Praeclarum igitur opus sine mora, quam primum, fortiter, constanter atque ab omnibus aggrediendum est. Mihi quidem ex prompta et alacri hac oboedientia, qua devincimur Christi Vicario, persuasum est, salutem nostrae Societati esse obventuram. In primis enim ad ea nos Litterae Pontificiae hortantur, quae sunt legibus nostris quam maxime consona. Statuit enim S. Parens noster rerum agendarum principium: *Bonum quo universalius, eo divinius est.* (Const.

p. VII. c. II. Decl. D.) Quid vero tam universale, quam remedium afferre malo, quod totum pervadit orbem terrarum ? Si operum nostra sit optio, iis operam prae ceteris navandam esse monet S. Ignatius, quae moram non patiuntur. In hoc vero discrimine si cunctamur, si tardamus, utilitatem et fructum afferimus hostibus Ecclesiae, causam vero nostram evertimus. Sancte ac sapienter nos edocet S. Pater Noster (ibid. E) : quae opera *securiora* sunt *tractanti*, cum nostro permissum est arbitrio, iis anteponenda esse, quae in periculum vocare possunt morum integritatem. Iam vero quid tam securum, tam dignum altaris ministro, tam alienum ab abiecto et molli animo, quam cum viris agere, labore, studio et industria immortali eorum vitae consulere ?

quod nos docuit S. Pater Ignatius,

Amplissimum sane, quod in nos confertur, beneficium est, tueri leges nostras, vivendique normam a S. Parente nostro constitutam integram inviolatamque servare. Profecto S. Pater noster, si mortalem hanc vitam ageret, regulam vivendi a se conditam, praesidiis omnibus tutaretur. Hanc eandem, quam in S. Ignatio, experimur in Summo Pontifice propitiam voluntatem. Cui beneficio, ut tot alia, quae benignissime in nos collata sunt, taceam, nullum equidem maius animo et cogitatione fingere possum ; idemque sentient, qui historiam nostram vel minimum didicerint. Leges enim tueri nostras est vitam tueri nostram. Legibus vitam et spiritum ducimus, et quem ad modum vita bonis omnibus est antefe-

salus est ac vita nostra.

renda, ita nos hanc vitam patriae, parentibus, rebusque, quas vita mortalis praebet, omnibus praeferendam esse duximus. Gratias vel eo nomine immortales Sanctissimo Domino Leoni XIII debemus. Quae, cum occasio tulerit, re magis quam verbis sunt referendae.

Ad nutum ergo illius tantum opus aggrediamur,

Ea etiam de causa ad nutum Christi Vicarii decet nos esse paratos et vel ideo promptiores, quod miserandam cernere cogamur condicionem Capitis Ecclesiae. In tanta malorum colluvie ac rerum omnium turbatione haec condicio tam gravis est, tam iniqua, ut tristissimis Ecclesiae temporibus aequiperanda sit. Ea commoventur animo viri laici, et cum malorum originem, quae sit, ex Pontificia Constitutione intellexerint, remedia cogitant, praesidia circumspiciunt, quibus inimicorum Ecclesiae impetus frangi ac propulsari possint. Nuperrime Princeps quidam in catholicorum hominum corona multa praeclare dixit de Summi Pontificis Epistola, eandemque summis laudibus extulit. Nullam superiori tempore vocem auditam esse huic similem affirmavit, atque ita Sanctissimum Patrem Leonem XIII esse locutum, ut has Encyclicas Litteras efflatu divino percepisse dicendus sit. Deinde statuit, proximo conventu catholico agendum esse de iis, quae hac Constitutione edocemur. Dum adeo praeclare faciunt viri laici, a nobis non est cunctandum, sed nulla interposita mora, animo magno initium dandum est tanto et tam praeclaro operi, cui abundanter cum Summo

nobisque Deus cum S. Pontifice benedicet.

Pontifice benedicit Deus, bene precantur Angeli ac Sancti Dei, plaudunt quicumque religionem Christi Domini toto animo profitentur.

Atque haec quidem, quae animo paterno, pro meo in vos amore, RR. PP. et FF. in Christo charissimi, dicenda putavi, omnibus Nostris cognita esse volo, cum ex animi sententia Summi Pontificis locutum me esse non dubitem.

Id unum reliquum est, ut quae praestanda sunt, sincera animi demissione agamus, indignosque nos, qui serviamus causae tam sanctae, ex animo reputemus. Quae sane causa humanae virtutis modum excedit, ideoque virtute ab alto induamur necesse est, habitandumque nobis in adiutorio Altissimi. Nullam mercedem statuamus nobis deberi, nisi laborem; nullam gloriam, nisi quae parta est Deo; salutem nullam, nisi eam quae in animos redundat Filii Dei sanguine redemptos. Sollemne nobis sit, quod fuit firmum in omni vita maioribus nostris : Deo gloria, proximo salus, mihi labor!

Benedictionem toti Societati impertiri dignatus est Ipse Sanctissimus Dominus. Quod divini praesidii pignus Vobis mihique ex animo gratulans, SS. SS. et precibus me commendo.

Fesulis die 8 Iunii
SS. Trinitati sacro a. 1884.

VESTRUM OMNIUM SERVUS IN CHRISTO
ANTONIUS MARIA ANDERLEDY S. I.

EPISTOLA

R. PATRIS NOSTRI

ANTONII MARIAE ANDERLEDY

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS IESU

DE CRUENTO BB. EDMUNDI CAMPIANI ET SOCIORUM AC DE INCRUENTO NOBIS SUBEUNDO MARTYRIO.

Insignem Anglicorum Martyrum gloriam

Amabilis et paterna Dei Providentia, quae amara iucundis, lenibus aspera temperare solet, luctum et dolorem, quem ex temporun iniquitate percipimus, exsultatione insolita mitigavit. Optatissimus enim ad nos exeunte anno superiore nuntius est delatus, plures ex Martyribus nostris Caelitum Beatorum honores etiam in hac terra esse consecutos, Pontificiumque de felici hoc eventu promulgatum esse decretum.

sibi gratulantur Ecclesia,

1. Quod igitur tot annis tantopere optabatur, quod nondum exspectabatur minus etiam acerbis temporibus, ille annus nobis attulit, ut BB. Martyres Edmundus et Socii, abhinc tribus saeculis adeptum, tandem emitterent in terras gloriae caelestis splendorem. Nunc feliciter id contigisse, sibi militans

Ecclesia gratulatur, nunc exsultat, horum Martyrum locupletata palmis coronisque; nunc exsultat ea, quae catholici nominis est, fidei suae testium conspectu relevata, Britannia; nunc exsultat Iesu Societas, hereditate tantae laudis et gloriae ditata; nunc triumphat fecunda mater Anglica Provincia, tantorum heroum aucta progenie; triumphat Hibernia, cui mirifice favebat Edmundus, in quam se contulit, cuius fide heroica imbui voluit, cuius Apostoli, Patricii, nomine ac tutela gravissima evasit pericula usque eo, ut eius salus et incolumitas miranda viderentur.

Britannia,

Iesu Societas, Provincia Anglica, Hibernia.

De immortali hoc beneficio gratias Deo referimus, Deum laudamus omnes, Dominumque confitemur altissimum, benignum, misericordem, mirabilem in sanctis suis.

2. In communi tamen omnium laetitia generosum animum subit gravis illa cogitatio, conquiescendum in ea iucunditate non esse, sed enitendum, ut dignos tantis fratribus nos exhibeamus. Ad quos enim hereditas gloriae, ad eosdem factorum imitatio pertinet.

In sola vero gloria conquiescendum nobis non est.

Qua autem id assequemur ratione? Illi quidem crudelia tormenta passi, dirissimos exhauserunt cruciatus, illi mactati suppliciis, fidem vita et sanguine confirmarunt.

3. Sed cruento martyrio iam ante praeluserant, incruentum subeundo martyrium, quod in serio et constanti ad legum nostrarum normam se com-

Sed imitandum incruentum B. Edmundi et soc. martyrium,

ponendi studio positum est. Ut de uno dicam B. Edmundo : palam de eo praedicare non destitit P. Franciscus Avellianedo, eius in Germania confessarius, nihil umquam se in Edmundo tirone, nisi unde ad virtutem omni ex parte proficeret, conspexisse; omnia in eo paupertatis, oboedientiae, modestiae exempla se animadvertisse narrabat. Addebat, conscientiae puritate fuisse supra, quam credi possit, admiranda; neque de ignotis se rebus loqui, cum eius diu accuratissimas confessiones arcanorum omnium excepisset. Virginitatis florem nulla umquam macula aspersisse, omnium, qui eum familiarius novere, constans opinio fuit. Pragae cum esset, quidam ex Sociis qui eum probe norat, in ea parte, quae ad studendum Edmundo obtigerat, lilium et palmam depinxit. Alius noctu e strato surgens, sopitis omnibus, dormientis Campiani cubiculum carbone sic inscripsit : *P. Edmundus Campianus Martyr.*

Neque domesticos solum nactus est laudatores, verum etiam exteros et hostes. Angelum appellabant hospites Dublinienses, angelum carceris custos, homo Lutheranus; virum laudis omnigenae dixit publice insignis olim catholicus contionator. Eo die, qui B. Edmundo ultimus fuit, pseudoepiscopus Eboracensis, rei catholicae infensissimus exclamat : Pro! quantum bonorum hodie mane raptatur ad supplicium. Insignem Sedis Apostolicae defensorem e nostris multi dixere Campianum. Nec dissensere haeretici. Eum enim, dum ad necem quaerunt,

invidiae conflandae in vulgus gratia, Summi Pontificis manum dexteram nuncupabant. Haec ad verbum fere narrat Bombinus. Alia praetereo; satis enim constat, B. Edmundum, idemque dicendum de Sociis, martyrem iam fuisse, antequam compressis laqueo faucibus elideretur.

Vita et martyrium Edm. Campiani Martyris Angli e S. I. auctore Paulo Bombino ex eadem soc. cc. 10, 14, 58.

4. Nos igitur, si cruenti martyrii gloriam expetimus, incruentum hoc subire ne dubitemus : « horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius. » Vita enim religiosa hoc, sine cruore, Martyrium est. Martyrium quippe est tolerare, quoad vivimus, quae sunt adversa naturae, patienter et assidue. Martyrium esse potest pauperpatis, oboedientiae, castitatis, disciplinae domesticae, mansionis in urbe ignobili vel ruri. Martyrium saepe est humile officium, solitudo, litterarum studium. In martyrii denique loco ponenda sunt, quae promisimus nos facturos, cum in Societatem cooptaremur. Quaesitum est ex unoquoque nostrum « an decreverit, paratusque sit... » iniurias, illusiones et opprobria in Christi insigni- » bus inclusa et alia quaevis, quae ei inferrentur, » sive per quemvis ex domo vel Societate (in qua » oboedire et humiliari ac aeternam beatitudinem » consequi exoptat) sive extra eam per quemvis » viventium, nulli malum pro malo, sed bonum pro » malo reddendo, admittere et patienter cum gratia » Dei ferre. »

mitius quidem, sed longius, positum in abnegatione S. Bernard. Sermon. 30 in Cant. n. 17.

Examen generale c. IV. n. 45.

Quae omnia rerum adversarum genera considerans S. Ignatius, non solum ad laborum toleran-

tiam, verum etiam ad maiora et praeclariora quaedam munera Deo offerenda nos hortatur et quae sunt odiosa naturae humanae his complectitur verbis : « expugnata carnis, sensuum amorisque » proprii et mundani rebellione. » Cuius pugnae rationem in celebri Instituti formula in haec verba confert paucissima. « Quicumque, ait, in Societate » nostra... vult sub crucis vexillo Deo militare et » soli Domino atque Romano Pontifici, Eius in » terris Vicario servire... curet primo Deum, deinde » huius sui Instituti rationem. quae via quaedam » est ad illum, semper ante oculos habere. »

carnis, sensuum, amorisque proprii et mundani, Exerc. spir. Cont. Regn. I. Ch.

in militia sub crucis vexillo ;

Martyrium ideo proprium nostrae Societatis in militia positum est sub crucis vexillo, in qua militia gerenda intentos primo et semper oculos in Deum, ducem nostrum, habere nos oportet et animum in sanctissimam Dei voluntatem, quae Instituto nostro declarata est. Quo si umquam antea opus fuit, quanto magis nunc, cum mundi sectatores passim docent impieque profitentur, hominem natum esse sui ipsius Dominum, cui liceat quicquid libet, nullaque lege frenandum, nisi cui se ipse subdiderit. Id pugnat cum divinae legis praeceptis : id pugnat cum Christi Domini consiliis, id pugnat cum Societatis nostrae legibus.

primo et semper ante oculos habendo Deum

5. Ab hoc igitur veneno Societas non servabitur sana et incolumis, nisi incruento huic martyrio nos ipsi obviam ierimus. Atque imprimis si semper Deum ante oculos habere iubemur, eadem lege adigi-

mur animum avocare ab iis, quae abducere nos a Deo atque avellere possunt. Versatur enim haec religiosa militia nostra in caritate perficienda. Poscit autem caritatis perficiendae ratio, ut — verba sunt Doctoris Angelici — « ab affectu hominis excludatur » non solum illud, quod est caritati contrarium, » sed etiam omne illud, quod impedit, ne *affectus* » *mentis totaliter dirigatur ad Deum*, sine qua » perfectione caritas esse non potest, puta in inci- » pientibus et proficientibus. » Quod probe noscens S. Parens noster, summi momenti regulam statuit, quae est octava Summarii. Hanc cum lego afficior dolore. Legis sapientiam admiror, legislatorem colo, precor, veneror; lenitatem vero in regula exsequenda et indulgentiam nostram lamentor. Est haec regula deprompta ex Constitutionibus ipsis, quibuscum Examen generale iungitur, quod eundem habet auctorem Ignatium. Summae proinde ea est secundum Constitutiones Apostolicas auctoritatis.

et amovendo ea, quae a Deo abducunt animum,

2. 2. q. 184. a 2. c.

quod praecipit regula octava Summ. de parentibus.

Exam. gen. c. IV. n. 7

6. Iam vero edicit haec tanti ponderis regula, patrem, matrem, fratres et sorores et quicquid in mundo habuerimus, esse relinquendum, et ne quis negaret, eam legem continere omnes et omni tempore et in omni loco, et ne quis assereret, aliam esse nunc, aliam posthac, aliam ad Austrum, aliam ad Aquilonem, lata est Christo Domino auctore. « Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres aut » sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem aut » filios, aut agros propter nomen meum, centuplum

Hi relinquendi.

Matth. 19, 29.

Praemia promissa

» accipiet et vitam aeternam possidebit. » Quid polliceri nobis possumus praestabilius? Centuplum caelesti in terris delectatione nobis largitur Bonitas vere infinita et a Deo in spem beatitudinis aeternae, non qualemcumque, sed verissimam vocamur. Magnos fore filiis suis animos, sibi persuadebat S. Ignatius, nec exstiturum quemquam nostrum, qui pacem animi et tranquillitatem cum spe coniunctam summorum bonorum tanti rem non esse reputet, ut operae pretium sit, longe esse a parentibus eorumque usu et consuetudine carere; neminem perfecto, qui promissioni Divinae non amplius, quam amori materno, sit tributurus.

relinquentibus non corpore solum, sed etiam animo

7. Quae promissa, ut merentibus nobis impleantur, non corpore tantum relinquenda sunt, quibus aliquando fruebamur, sed et animo et voluntate. Quid enim ad regulam confert, cum sanguine coniunctis non esse, si animus continuo vagatur, si quod oculis non possumus, mente contemplamur et cogitatione, ac iis, quae deseruimus, animo pascimur et delectamur? Sanctus vero Fundator, qui nobilioribus ingeniis divina munera proposuit, iis qui angustiore sunt animo formidines opposuit Divini Salvatoris : « Si quis venit ad me et non odit » patrem suum et matrem et uxorem et filios, non » potest meus esse discipulus ».

et odium habentibus in parentes illos,

Luc. 14, 26.

Fit autem inter naturalem nobis inditum amorem et sanctum hoc odium a Divino Redemptore praeceptum pia conciliatio, si hortante S. Gregorio « eos

» qui carnis cognatione nobis coniuncti sunt et quos
» proximos novimus diligamus et quos adversarios
» in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nescia-
» mus »; fit eadem utriusque sententiae vel legis
compositio, si, quod iubet S. Ignatius, quivis
« omnem carnis affectum erga sanguine iunctos
» exuat ac illum in spiritualem convertat. »

qui a Deo ipsos abstrahunt

hom. 37. in Evang.

8. Spiritualis huius affectus nostri ratio ex Instituti formula Paulo III oblata ea est, ut quivis Nostrum curet primo Deum ante oculos habere. Quam curam caritas ordinata consequitur. Ea enim ex ordine est dilectio, quae rebus creatis omnibus Deum anteponit Creatorem. Cuius haec erit necessaria S. Patris consecutio « ut qui mundo ac proprio
» amori mortuus, Christo Domino Nostro soli vivit,
» eum loco parentum, fratrum et rerum omnium
» habeat. »

Amor parentum sit spiritualis;

erit spiritualis, si primo et semper Deum habemus ante oculos,

Quod si mortui sumus mundo, rebus huius vitae non tangimur. Mortuus mundo, rerum humanarum nihil videt, nihil audit, nihil sentit, in nullam partem propensus, nec contumelia hominum, nec laude afficitur. Parentum negotia non curat, non matrimonia, non rem familiarem. Sed quia mortuus mundo, ideo summe vivus, vitam veram, spiritumque ducit ex eo, qui « est verus Deus et vita aeterna. »

si mortui mundo vivamus Christo Domino.

1. Ioann. 5, 20.

9. Hanc vitam vivebat S. Ignatius, mortuus mundo ac proprio amori, Christo Domino soli vivens longe ante, quam illam conscriberet regulam. Etenim in eius vita narrat P. Ribadeneira, eum adeo carnem

Ita vivebat S. Ignatius.

I. V. c. 5. cfr.

P. Alph. Rodrig. Ex. perf. p. II tr. 5 c. 5.

et sanguinem parentumque amorem edomuisse, ut Melchisedech, regi Salem, haud dispar « sine patre,

Hebr. 7, 3.

« sine matre, sine genealogia » esse videretur. Numquam illigari se passus parentum negotiis, Deum orando ipsis profuit. Erat ei proneptis, de qua in matrimonio collocanda cum a principibus viris ad ad eum referretur, adduci numquam potuit, ut vel minimam eius negotii partem attingeret. Non enim eam rem pertinere ad institutum vitae suae ratus, mortuum se mundo declaravit « nolentemque ad ea » redire, a vitae suae instituto aliena, quibus nun- » tium remisisset. »

Vita S. Ign. auct. Maff. l. III. c. 1.

Pervulgatum illud est, S. Parentem nostrum, cum oranti per hiemem litterae e patria redditae essent, earum fasciculum, ut erat ligatus, ilico in ignem abiecisse, re ipsa ianitorem, qui eas attulerat, admonens, qui sese caelesti militiae addixerit, huic esse mortalia neglegenda.

Ita filii eius :

Tanti parentis exemplum imitati sunt digni prae ceteris eius filii.

S. Franc. Xav.

Notum apud omnes testatumque, quod de S. Francisco Xav. memoriae proditum est. Iter ei erat in Indiam; matrem in terris numquam in posterum erat visurus. Paulum ex itinere, ut eam salutaret, erat divertendum. Proficiscenti tamen Apostolo id persuaderi non potuit, ne quidem ab oratore regis Lusitaniae, in cuius erat comitatu. Solari Societatem, quam matrem, maluit, quamvis tantae virtutis specimine etiam matrem solatus esse dicendus sit.

Ita S. Fr. Borg.

De S. Francisco Borgia accepimus, eum hunc parentum affectum retundere adeo consuevisse, ut omnibus, ipsi etiam Carolo V. Imperatori et Pio IV, Summo Pontifici, mirandum videretur.

Ita P. Cond. Gonzalez Silveira.

P. Condignus Gonzalez Silveira fratrem ad Collegium accedentem videre renuit, dona a sororibus oblata repudiat, matrimonii sororis curam derivat in alios, numquam nisi a Superioribus coactus ad propinquos dat litteras vel eosdem adit. Adeo humanum parentum amorem, qui sensu magis quam ratione constat, cum perfectiore caritate permutavit. Fortis sane Christi miles, qui hostes vincendo domesticos, palmam sibi paravit martyrii. Idem enim atrocissima constanter pro fide tormenta perpessus, sempiterna Societatem gloria decoravit.

Ita P. Balt. Alvarez.

De P. Baltassare Alvarez similia narrantur, illud imprimis, eum numquam rem ullam a parentibus accepisse, ne visendi officium reddere deberet.

Ita P. Antonius Pinas.

P. Antonio Pinas adeo curae fuit parentum memoriam ex animo exigere, ut cum fratris nomine salutaretur, miratus eum vivere, fassus sit nondum solutum a se litterarum fasciculum, quem triennio ante accepisset.

Ita plurimi genuini Societatis filii.

Quot alii celebrantur annalibus nostris, qui in Indiam navigarunt sine spe iterum videndi patriam, quique pia fraude clandestinoque discessu fallebant propinquos, ne ab his, quod auctoritate valebant, optato itinere prohiberentur.

Tr. asc. P. Iul. Nigroni S. I. tr. 16. n. 41.

Gloriam Dei

10. Gloriam Dei parentibus ducere potiorem

parentibus anteponere nos docuit Divinus Salvator,

mirifico eos exemplo duodennis docuit hominum Redemptor. Matrem sibi elegerat, cui parem non reppereris, Virginem Immaculatam, nullis umquam neque angelorum, neque hominum laudibus satis celebratam; Patrem vero Nutricium, dignum tantae tamque incomparabilis innocentiae custodem. Attamen cum honor ageretur Patris caelestis, mansit in domo Dei, non ignorans acerbissimum fore parentum dolorem.

Praelud. q. circa cons. stat.

Quo facto ad erudiendum aptissimo usus est S. Pater Ignatius ut nos edoceret, Christum Dominum, cum relictis parentibus in templum se contulit, formam nobis Evangelicae perfectionis exhibuisse. Pertinet enim ad vitae perfectionis rationem, ut vinculis soluti carnis et sanguinis, libera in Deum mente feramur.

idem Abraham patriarcha,

11. Hoc iam ex testamento veteri colligimus. Cum enim clarum et insignem ad posteros esse vellet « dixit..... Dominus ad Abram : Egredere de terra » tua et de cognatione tua et de domo Patris tui et

Gen. 12 1.,

» veni in terram, quam monstrabo tibi. »

Paruit piissimus vir, incertus eorum quae sibi eventura essent, certa deserens pro dubiis, praesentia pro futuris.

magnum ideo praemium consecutus.

Sed viro oboedienti contigerunt iis, quae sperare poterat, longe maiora. « Faciamque te in gentem » magnam, et benedicam tibi et magnificabo nomen

Ib. 2.

» tuum, erisque benedictus. » Haec credidit, fidemque eventus remuneravit. Quae enim gens

tam magna dici potest, quam ea, ex qua natus est hominum Redemptor?

12. Gentem aliam, sanctitate magnam et doctrina, gentem Deo devotam et Summo Pontifici, gentem animi demissione imprimis et oboedientia insignem, eorum quae mundum redolent expertem, gentem ad humilia quaevis obeunda paratam, ad martyria sustinenda alacrem, ardenti et assidua precatione lacrimisque supplex a Domino petiit et impetravit Ignatius. Hanc vegetam apostolica virtute virentemque servari non posse, nisi separatam a carne et sanguine, considerans, pro eo, quo viri sancti flagrant amore divino, incenduntque etiam maxime ignavos et inertes, pro eo amore paterno, quo nos sanctos aliquando in paradisi gloria secum esse exoptavit vehementer, mandavit omnibus ut omnem carnis affectum erga sanguine iunctos exuerent, filiosque poposcit a Deo, mundo ac proprio amori mortuos. Eademque de causa praecepit, ut inutilem parentum vel memoriam deponamus usque eo, ut, cum de bonis statuendum est, utrum pauperibus sint largienda, an consanguineis, interrogandos esse decreverit, qui nomen Societati daturi sunt, an parati sint, id negotii in viros alios, quos commendat vita et doctrina, derivare. Est enim propter affectum sanguinis errandi periculum, si eam curam nobis ipsi assumamus.

Idem praemium nobis petiit Ignatius

oblivione delentibus parentum memoriam. Ex. gen. c. IV. n. 2.

Ib. n. 3.

Quod si in re necessaria nostri removere se a consuetedine parentum debent, quanto potiore iure

Praepositi Generales profectionem in patriam vetuerunt propinquos visendi gratia. Pro munere igitur suo et ad mentem S. Fundatoris nostri Patres septimae Congregationis generalis Instituto nostro P. Claudii Aquavivae ordinationem inseruerunt, quae ita habet : « Profectionem in patriam Nostris » Provinciales absque causa urgente et quae moram » non patiatur, non permittant sine licentia Generalis : ad quem saltem postea referent, si necessitas » coegerit; significabuntque, quantum ad tempus » eam concesserint. Omnibus autem socios adiungent, qui futuri sint aedificationi. »

Quam oblivionem iuvat Ordinatio P. Claudii Aquavivae,

Ord. Praep. gen. c. I. pro Provinc. n. 4.

14. Proxime P. Claudio successit P. Mutius Vitelleschi, qui eodem ductus Societatis amore parique sollicitudine, Patrum nostrorum exempla memorat, vitam ita agentium, ut res vitae prioris oblivione perpetua obruerent, nulla, ut scribit, consanguineorum plane recordatione, « nisi per preces vel ad salutem ipsorum. » « Quoniam autem vereor, inquit » protinus, ne caritatis specie, affectus hic animi » sensim irrepat, per aspersionem sanguinis Iesu » Christi universos obtestor, omnino apud se sta- » tuant, magnam hinc Societati cladem afferri posse. » Quare pro mei ratione muneris, quam possum » graviter moderatoribus, severeque denuntio, (non » mea haec sunt, sed P. Mutii verba) robustos hic » sese maxime fortesque praebeant. » Quin immo praecipit idem generalis Praepositus, ut nullis hac in re Superiores nec consanguineorum postulationibus,

inculcat animis P. Mutius Vitelleschi.

nec virorum principum commendationibus moveantur. Epist. 2. Ian. 1617.

Praesensit religiosus vir « magnam hinc Societati cladem afferri posse; » an recte, non meum, sed aliorum sit iudicium.

15. Sed dicet fortasse aliquis, alia nunc esse tempora. Esto quidem, alia sint tempora, verum alia non sit prisca illa, nobilis ac robusta virtus. Opponitur, alia nunc esse tempora. Respondetur: Esto, sed eadem sit virtus.

Alia tempora sunto; alius profecto non est Deus. Qui dixit Abrahae : « Egredere de terra tua et de » cognatione tua et de domo patris tui, » idem vetat nos sedem figere in domo patris nostri et ad ea reverti, quae relicturos nos esse spopondimus. Et qui pollicitus est sancto patriarchae : « Faciam te in » gentem magnam et benedicam tibi, » Societatem etiam fecit in gentem magnam, nec solum multiplicavit gentem, sed magnificavit laetitiam eo imprimis tempore, quo virtutum laude potissimum florebat, ea aetate qua rerum mortalium contemptus, qua demissio animi, modestia, oboedientia, qua temperantia linguae, qua labor rerumque solidarum studium, qua cura pauperum spiritualis maxime vigebant, clarebant, fovebantur; ea aetate, qua minimum rebus rationibusque humanis, divinis vero tribuebatur plurimum; ea aetate qua magis, quam umquam alias, ipsi regularum studiosi superiores, legum nostrarum cognitores, amatores, custodes fidelissimi conspiciebantur, iidemque intrepidi eorum, qui legibus obsequebantur defensores, magistri veteris disciplinae, censoresque erratorum.

Idem certe est Deus qui dedit Abrahae praemium, grandem progeniem; eandem dedit societatis filiis, Isai. 9, 3. merentibus,

16. Ea aetate viros numeravit Societas pari virtutum et doctrinae laude praecellentes, ea aetate viros Sanctos, ea aetate martyres.

Quamdiu enim Societas vexillo fidelis non huius mundi, sed vexillo crucis, in cruce gloriatur Domini nostri; quamdiu mortua mundo, abiectaque rerum huius vitae cura, exutoque carnis affectu, Christo Domino soli vivit, Deus eam tutatur, ei laboranti praesidium affert, favet conatibus, innumeris eam cumulat beneficiis. Quamdiu formae Instituti, quae Summo Pontifici fuit oblata, obsequentes, curamus primo Deum ante oculos habere, Deus consulet rationibus nostris et propugnationem rerum nostrarum ac defensionem suscipiet.

non iis, qui carne vincuntur et sanguine.

17. Contra si, quod Deus avertat, caduca aliquando nobis forent legibus nostris potiora, si hominum vel timore, vel amore, vel complacendi studio de via deduceremur sancti nostri Instituti, essemus gens magna fortasse numero; pro merito vero et dignitate in gentem extenuaremur pusillam, obscuraretur nomen nostrum, et quod miserrimum foret, longe a nobis abesset Dei benedictio,

18. Atque utinam Societatis nulla pars hanc umquam capiat calamitatem !

Hi enim damna inferunt Societati,

Eam cladem avertere a Societate solent precibus apud Deum, consilio et exemplo apud homines, viri spirituales. Hosce rariores esse fatemur, penuriae vero causas ignoramus. Postrema non est animi effusio ad exteriora, quae debilitat hominem inter-

num, enervat, interdum enecat penitus. Cum vero sit multiplex animi effusio, quae ex parentum consuetudine nascitur, quo suavior illa, eo est perniciosior. Magnam enim vim habent aspectus, colloquium, dulces sermones, litterae, munera, blanditiae. Domus ipsa patria non memoriam solum affert eorum, quos in ea conspeximus et quibus usi sumus familiaribus, sed eos ipsos videtur in conspectu nostro ponere. Tanta vis admonitionis inest in locis. Pericula inde nasci, damna Societati inferri non levia in aperto est. Illud certum, viros spirituales non prodire ex carne et sanguine.

Tridentina synodus praelatos ceterosque, qui ecclesiastica beneficia obtinent, « quam maxime potest » (haec sunt verba)... monet, ut omnem humanum » hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis » affectum, unde multorum malorum in Ecclesia » seminarium exstat, penitus deponant. » Quod si hic affectus multorum in Ecclesia et in clericis, quanto magis in religioso ordine, malorum seminarium est. s. 25 rf. c. 1.

Obsunt enim, qui nimia parentum sollicitudine tanguntur, exemplo suo fratribus. Ex his alii aegre ferunt illos modum excedere, alii, ut eadem cum propinquis agendi libertas sibi concedatur postulant. Si facultas visendi negatur, maerent, voce et querelis dolorem indicant; si datur potestas, ilico ad patriam domum pervolant. Quod si consuetudo cum parentibus sit frequentior, non abest suspicio, quae domi aguntur, effundi in sinum familiae et propin-

quorum. Quod quidem est caritati perniciosissimum. Animorum hanc coniunctionem alio etiam modo dirimunt, quos parentum sollicitat amor. Solent, qui hominibus exteris utuntur familiaribus, et ii quidem maxime qui parentibus, superiorum fratrumque consuetudinem dimittere, usus remissione. Ex quo id oritur periculi, ne fratrum neglegentes, de rebus nostris parum laborent. Cum enim, etsi domi tenentur, cogitatio et animus volitet et vagetur extra domum, minus eos affici rebus nostris necesse est, atque eo devenire, ut in domo Dei, in Societate, peregrini et advenae esse videantur.

sibi ipsis,

19. Non raro etiam illos, quos iste parentum perniciosus pervaserit amor, declinare videmus a perfectionis tramite atque deflectere, segniusque ea colere, quae ad pietatem et coniunctionem cum Deo pertinent, legum nostrarum iugo se subducere paulatim, demigrare de status religiosi dignitate. Grande hoc malum iis imprimis accidere solet, qui propinquorum se implicant negotiis. Hi facile a Superiorum potestate se removent, parentibus serviunt, ex s. ministerii proventu, qui ex Summi Pontificis decreto soli Nostrorum egestati sustentandae adhibendus est, consanguineos augere student, cum Societate iunguntur ad speciem, atque eo nomine, ut rei parentum familiari consulant felicius. Nomen enim Sociorum Iesu venerandum circumferunt, eo se tegere ac commendare posse existimant, dum dispersionis titulo ac nomine extra domos nostras degendo

praesertim si parentum se implicant negotiis;

dedecus afferunt sibi et Societati, et in alieno solo tam altas agunt radices, ut inde avelli vix aut nulla ratione possint. Parum istos movet provinciae propriae indigentia, et beneficiorum, quae ab ea acceperunt immemores, natos se ad fortunas suorum amplificandas arbitrantur. Taceo, quae illi contra paupertatem faciunt, taceo furtivas epistolas, taceo simulandi studium et astutiam. His similia S. Hieronymus considerans, exclamat : « Crudelitas ista pietas est : » Sibi profecto et Societati sunt crudeles.

Epistola 125. (al. 4) n. 7. ad Rustic. monach.

20. Sed etiam in parentes ista pietas crudelitas est. Alitur enim saepe consanguineorum socordia; aviditas pascitur pecuniae; nummorum vero fames numquam expletur. Qui parentum negotiis curam adhibent perniciose de iis merentur. Hi enim terrena appetere ardentius, ab homine religioso vel discunt, vel offirmant animum, magnoque suo damno iuvantur pecunia. Prohibet autem Tridentina Synodus omne rerum dominium hominibus religiosis.

ipsis parentibus nocent

« Nemini... regularium... (ita Sessio 25) liceat » bona... quovis modo ab iis acquisita tamquam » propria... possidere vel tenere : sed statim ea » Superiori tradantur... eorum (regularium) sup- » pellex statui paupertatis conveniat nihilque super- » flui in ea sit... Quod si quis aliter quicquam tenere » deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa » et passiva voce privetur. »

s. 25 c. 2.

Ex quibus colligitur, nihil esse, quod vir religiosus dare possit parentibus sine licentia, nisi velit

maximo eorum et suo malo salutisque sempiternae periculo eosdem facere alienae rei possessores.

Reg. monach. ex script. s. Hier. coll. Lupus de Olmeto c. 18.

Ad rem S. Hieronymus : « Quanti monachorum, » ait, dum patris matrisque miserentur, suas animas » perdiderunt; » et S. Basilius : « Cognito igitur » intolerabili illo damno, quod ex studio in propin- » quos nostros nascitur, susceptam eorum causa » sollicitudinem tamquam diabolicum telum fugia- » mus. »

Const. ascet. (monast.) c. 20. n. 3. (Ed. Ven.)

Rem quibusdam difficilem regula octava summ. postulat;

21 Studemus interdum tegere nos et extra culpam ponere praetexendo regulis nostris rem postulari difficilem. Sed, quaeso, fuitne iucundum

vincitur vero difficultas proposito nobis exemplo B. Edmundi et Soc.

Martyribus nostris, ad probrosa raptari supplicia? Equuleus et tormenta fueruentne suavia sensibus; ludibria atrocesque iniuriae fueruntne naturae blandimenta? Magno tamen illi animo ea perpessi sunt, ut custodirent legem Domini et in fide Deo data perstarent.

et memoria vocationis nostrae.

Non decet nos, eodem insignitos nomine, gloriaeque Martyrum participes, partem operis suscipere nolle, et ea, quae ardua et laboriosa sunt, detrectare.

Fidem Domino de nobis dedimus : praestanda est. Spondenti Deo centuplum atque vitam aeternam polliciti sumus militaturos nos esse sub crucis vexillo, fideliterque facturos quae Instituto nostro praefiniuntur. Ut servemus pactum, non eae solum regulae exsequendae sunt, quae parum habent laboris et difficultatis, sed pro viribus et quantum

efficere possumus, omnes. Neque adeo in regula octava Summarii difficile negotium est, dummodo ii, qui parentes habent, sui plus aequo studiosos atque sollicitos, id agant, ut hi non petant quod regula prohibet, et visendi officium a filio non postulent; dummodo iidem meminerint filios se esse Societatis, et consulant rationibus superiorum potius quam parentum.

Hoc vocationis nostrae ratio plane requirit, hoc militiae genus, cui nomen dedimus, quod viros imprimis postulat, viros graves, viros ad ardua vel natos vel factos, ad mollia superanda fortes atque magnanimos. Militem non decet, dimicantibus sociis, indulgere genio in sinu familiae vel solari nepotes; eum hoc prae ceteris militem non decet, cui standum est fide ac promissis sub vexillo, non mundi, non carnis et sanguinis, non sensuum amorisque proprii, sed sub crucis vexillo et sub Regis aeterni imperio, qui « proposito sibi gaudio susti- » nuit crucem, confusione contempta, atque in » dextera sedis Dei sedet. » Hebr. 12, 2.

22. In eadem, de qua dixi, formula Instituti nostri militantibus nobis partes cuique suae tributae sunt. Ita enim Parens nos hortatur S. Ignatius : « Proponat sibi in animo, se partem esse Societatis » ad hoc potissimum institutae, ut ad profectum » animarum in vita et doctrina christiana, ad fidei » propagationem per publicas praedicationes et » verbi Dei ministerium, spiritualia exercitia et

» caritatis opera, et nominatim per puerorum ac » rudium in christianismo institutionem ac Christi- » fidelium in confessionibus audiendis spiritualem » consolationem praecipue intendat ».

A parentibus iubemur abstinere, ut ad iuvandos ad salutem consequendam homines Societas nos habeat paratos.

Ideo a parentum consuetudine abstinere iubemur, ut at iuvandos ad salutem consequendam homines paratos nos habeat Societas atque expeditos. Sed ne eorum, quos iuvare conamur, ipsi imitemur mores, usus et commoda, et ne in ea cum sensibus et amore mundano, qui in aliis hominibus est, dimicatione labes nobis aliqua aspergatur; fixum magis etiam animo esse debet, quod nos monet S. Fundator : « Curet primo Deum semper ante oculos » habere. » Quod ut certius assequamur ac securius, ea quae agenda sunt, eorumque ordinem nobis praefinivit Sanctus Pater, gravia mandans nobis opera, solida et laboriosa, humilia etiam plurima, quibus amori proprio et mundano praecluderet aditum.

In quo munere magis etiam Deus ante oculos habendus.

Quod intendit S. Ignatius, hunc ordinem rerum gerendarum praefiniens, qui ad divinum quam maxime accedat : Const. p. VII c. 2 D.

23. Et quoniam ipse nihil nisi divinum cogitabat, nihil nisi sanctum moliebatur; divinum, ut ita dicam, nostrum operandi modum optabat, et quid vellet, mirabili illa enuntiavit sententia : « Bonum » quo universalius, eo divinius est ».

ut iis, qui valent auctoritate, demus operam,

Ut vero bonum esset universalius, iis imprimis hominibus operam dandam esse statuit, qui ideo quod valent vel auctoritate, vel dignitate, vel doctrina, faciliore negotio ad colendum Deum et sacra percipienda alios possunt adducere. Quo plane

declaratur, in sacerdotibus potissimum esse elaborandum, eosque excolendos otiosius.

Hoc posito quasi fundamento, his verbis incepta prosequitur S. Fundator : « Ad meliorem ac certio-
» rem operum electionem, ad quae Superior suos
» mittit, eadem regula ob oculos versetur, scilicet
» Divinus honor maior maiusque bonum univer- decl. E.
» sale. » Ea de causa nos docet spiritualia iis anteponere quae ad corpus pertinent; quae magis urgent iis quae remedii dilationem ferunt; quae peculiari modo ad Societatem pertinent vel quibus alii non vacant praestabiliora putare alienis a Societate et iis quae curantur ab aliis; quae securiora sunt tractanti iis quae sunt periculosiora; quae pluribus prosunt, ut contionari vel legere, iis quae paucioribus, ut confessiones audire; opera diuturniora iis quae ad tempus exiguum iuvant. Haec verbo tenus fere ex Constitutionum parte septima, capite secundo, transcripta ordinem exhibent, qui ad S. Patris nostri mentem in S. ministeriis tenendus decl. E.
est.

24. Primo quidem operae spiritualis ratio habenda ut operibus spiritualibus,
est potior, quam illius, quae corporibus praebetur.

Curanda deinde, si quae sunt, quae moram non ferunt. In quibus tamen, si Societatis propriae non sint, diutius occupari non convenit, quam necessitas dein iis, quae non patiuntur moram,
postulabit. Ita S. Ignatius, qui, ut quodque opus absolverat, idoneis hominibus eius operis curam demandare, ipse confestim eam deponere solebat.

tum iis, quae Societatis sunt propria, qualia sunt

25. Iis vero maxime vacandum quae Societatis sunt propria. Quo loco veniunt summi momenti opera : collegia, missiones et doctrina christiana.

Collegia,

Collegia quantum valeant ad fovendam pietatem et ad mores emendandos, ipsa hominum nos docet impietas. Facile hi patiuntur nos alia obire ministeria, dummodo ab erudienda ad Dei cultum iuventute prohibeamur. Est autem in Societate laudabile studium operam navandi collegiis, eaque ad optatum exitum provehendi. Superiores omnia tentant subsidia, laborant, vigilant, non parcunt viribus; seligunt qui legitime idonei fiant ad publice docendum atque hi boni iuvenes parant se magno labore ad periculum in litteris faciendum. Equidem his filiis meis carissimis eorumque Superioribus gratum nomine Societatis animum profiteor, non ignarus sollicitudinis eorum, qui praesunt, et molestiarum, quas sustinent, qui instituendae iuventuti dant operam. Alios etiam memini, optime de Societate meritos, qui amplius viginti annis docendi munere funguntur. Quibus ego immortale, quod apud Deum obtinent, meritum ex animo gratulor.

Si qui vero sint, qui vitam sibi in collegiis acerbam putent, impatientes morae, qua exacta, evolare possint ad laeta ministeria; hi diligenter investigent, quo animo appetant iucundiora, utrum gloriae Dei, an commodorum libertatisque studio.

Missiones,

26. De missionibus id unum commemoro, summis nunc premi Ecclesiam sanctam angustiis; populos

ad recipiendos Evangelii praecones esse paratos; non solum missionarios peti, sed etiam Collegia; in iis quae nobis obtigerunt missionibus, penuriam operariorum esse maximam; mori Christifideles, quin adesse possit sacerdos ad morientes in extremo agone confirmandos; Summum Pontificem, pro singulari suo et eximio fidei propagandae studio missiones mihi offerre persaepe et petere missionarios, me autem cum dolore, quae benigne offeruntur, coactum esse detrectare, memorem voti quo obstringuntur nostri professi, voti sollemnis oboedientiae specialis Summo Pontifici exhibendae circa missiones.

De quo voto, legibus nostris obsecundans, Christi Vicarium cum facerem certiorem, cognitum quidem illud sibi esse significavit, gratum tamen accidere, id a me declarari.

Sunt Patres nostri et Scholastici, qui missiones ardenter desiderant et expetunt, non pauci, Superioresque, quos possunt, mittere solent magno animo. Tot vero sunt in provinciis domus, tot labores, tot desideria, ut difficillimum sit iis qui praesunt, opera carere etiam paucorum. Attamen ne pereant animae, eos ad quos pertinet, rogo, obsecro, obtestorque, ut videant an modus imponi possit ministeriis minus utilibus, ut auxilium illis feramus, quibus nullum est prorsus ex iis quibus Europa redundat, sacrorum subsidium. Neque committere possum, quin commemorem quae scripsit R. P. Roothaan de mis-

sionum exterarum desiderio (3. Dec. 1833) ubi inter alia praeclara Evangelicum illud verbum « date et » dabitur vobis » proponens, nos admonet, non dicere Dominum : « cum datum vobis fuerit date, » sed velle, ut etiam de ipsa tenuitate nostra dare simus parati, certa spe nixi, fore ut quod ita dederimus, magno cum fenore a Divina liberalitate refundatur.

Doctrina christiana pueris

27. Proprium quam maxime Societatis est pueros ac rudes in iis, quae ad rerum credendarum summam moresque corrigendos atque ad divinae legis normam conformandos pertinent, erudire. Enitendum propterea maxime in nostris collegiis, ut ii, quos in litteris instituendos suscepimus, quid credere, quid agere, quibus uti debeant ad vitam aeternam subsidiis, accurate percipiant, studiose perdiscant, cupide scrutentur. Summi hoc momenti munus esse Superiores sibi persuadeant, illudque committant viris, qui teneros adulescentium animos, tum doctrina caelesti imbuant, tum pietate. Quo magis autem rei gravitatem perspiciant planeque sentiant, repetant memoria, vovendo promittere tam Professos quam Coadiutores spirituales : *peculiarem* (secundum oboedientiam) *curam circa puerorum eruditionem.*

Quare quaerenda esset potius huius muneris exsequendi occasio quam declinanda, et miserendum tot puerorum, qui abiecti in vias urbium publicas, neglecti a parentibus, Dei amabilem boni-

tatem, providentiam, iustitiam ignorant; vitiis atque noxis assuescunt, pravoque hominum exemplo penitus depravantur.

Quod si quis Societate indignum reputet cum humilioribus agere, sentiatque nos, ad altiora ministeria natos, decere frequentare palatia et solos sectari homines primarios, is meminerit excelsiora ingenia : Ignatium, Franciscum Xaverium, Lainium, Iaium, Salmeronem, Broetum, Fabrum, Canisium aliosque viros, omni laude praestantes, tam in nosocomiis quam in plateis pueros, pauperes rudesque homines fidei morumque praecepta edocuisse; meminerit aeterni Patris Sapientiam in terras descendisse, ut in carnis nostrae humilitate caelestis vitae praecepta nobis traderet, Deumque parvulorum misertum, Divina benignitate ad se invitasse pueros : « Sinite parvulos venire ad me et ne » prohibueritis eos. » et rudibus tradenda, Marc. 10, 14.

28. Haec apud S. Marcum leguntur; fateor autem me ignorare, ex quo Evangelio cognoscatur, cum primoribus tantum vel hominibus opulentis agendum esse operario evangelico. Et si de Societatis hominibus quaeratur, Instituti formula hoc unum hominum genus, *pueros* ac *rudes*, nominatim et non semel commendat. « Nominatim commendatam » habeant, haec sunt verba, institutionem puerorum » ac rudium in christiana doctrina... Est enim » maxime necessarium, circa providentiam huius » rei diligenter Praepositum et Consilium invigi- opera humilia,

» lare; cum et in proximis aedificium fidei sine » fundamento non possit consurgere, et in nostris » periculum sit, ne, ut quisque erit doctior, ita » provinciam hanc, tamquam primo aspectu minus » speciosam, forsitan detrectare conetur, cum » tamen revera nulla sit fructuosior, vel proximis » ad aedificationem, vel nostris ad caritatis et » humilitatis simul officia exercenda. » Ex quibus satis conficitur, quid deceat, quid commendet virum Societatis.

Quod si S. Ignatius nos docet viros excolere diligentius, qui valent apud alios auctoritate, ratione boni universalioris id indicat, non autem quod virum Societatis conveniat ea omittere, quae minus illustria et gloriosa apparent. Sint igitur ardenti studio nostro concredita Collegia, Missiones, puerorumque ac rudiorum in rebus fidei et morum diligens institutio eo nomine, quod illa Societatis sunt propria.

tum, quibus alii non vacant, vg. paroeciis,

29. Proxime sequuntur, si qua sint, quibus alii non vacent. Hac ratione mota Societas paroecias suscepit, ubi aliorum sacerdotum copia non erat, praeterea monialium vel « mulierum curam certis

Congr. VII. decr. 56.

» locis certisque inter se legibus in una domo » conviventium. » Quamvis enim « haec cura alie-

monialibus;

» nissima semper a Societatis Instituto ministe- » riisque habita fuerit; » tamen in missionibus

ibid.

exteris, ubi alii sacerdotes sunt nulli, recte atque ordine ea cura admittitur. Et licet decreto duode-

cimo n. 9. Congregationis vicesimae liceat nobis monasteria monialium aut puellarum conservatoria « accedere *tantum* ad tradenda Exercitia spiritualia, » vel pro excipiendis extraordinarie confessio- » nibus, » proinde quater quovis anno vel quinquies, quo tempore etiam de re spirituali exhortationes haberi possunt, tamen id praestare frequentius non vetamur, ubi alii sacerdotes non sunt. Id enim si acciderit, id obtinet, quod intercedendo ab eadem Congregatione impetratum est, ut pluries aditus permittatur « ubi obtineri *non potest*, ne Nostri » frequentius accedant ad dicta monasteria et » conservatoria. »

Congr. XX decr. 12 n. 9.

Ad alia S. Pater progrediens, illud suadet, ut, ubi eadem est necessitas, iis vacetur potius, quae sunt tractanti securioria. Quaenam illa sint, experientia, tristis non raro, et humanae naturae imbecillitas satis nos admonent.

denique iis, quae sunt minus periculosa,

Eadem semper ductus ratione boni universalioris priores partes contionibus vel lectionibus, quam audiendis confessionibus tribuit S. Fundator, quia « se, ut ait, ad plurium auxilium extendunt, » eademque de causa, illa quae diuturniora et semper profutura sunt. Exemplo nobis Ipse fuit instituendo germanicum et alia Collegia atque missiones. Parentem imitati alii Patres nostri templa aedificarunt in missionibus exteris, alii scholas fundarunt et Societas ipsa pia stabilivit sodalicia titulo Beatissimae Virginis Annuntiatae et Bonae Mortis, ac

tandem iis, quae sunt pluribus utilia,

quae diuturniora.

cultui SS. Cordis Iesu et Beatissimae Virginis sine labe originali conceptae provehendo alacrem semper et constantem operam adhibuit.

Haec S. Patris norma locum abnegationi et martyrio praebet.

30. Quae Patris praecepta si fuerimus secuti, erit sane abnegationi, erit martyrio locus, tentanda erunt ardua, omittenda iucunda negotia vel repudianda; sed magnae ad Dei gloriam provenient utilitates; accepta erit Deo nostra operatio et « benedictionem dabit legislator » Ignatius.

Ps. 83, 8.

Ex ea id sequetur, ut agamus ordinate,

In primis enim erit in omni actione nostra rerum gerendarum ordo, erit consilium. Quid sit in quovis loco, in quo occupamur, maxime necessarium dispicietur, quae sint mala, quibus medendum, quibusque utendum subsidiis, quinam ii sint, qui ad res prospere gerendas nos iuvare possint. Fit enim interdum, ut res sine consilio agantur, ut nihil certum, nihilque sit fixum, atque id solum propositum nobis, ut petentibus s. ministeria satisfiat; potius quam agamus ipsi, agitamur ab aliis, atque ad ea quae sunt parum utilia, vitae instituto nostro parum interdum consentanea vel invitamur vel impellimur. Magnus inde saepe nostrorum labor, fructus exiguus; vix enim quidpiam Societate dignum enascitur et post multos, quos in aliqua civitate exegimus annos, nulla fere morum apparet emendatio, nisi in parvo animarum numero, quae etiam sine nobis pietatem colerent. Quod si ordo sit, mirum in modum ministeria nostra iuvantur, nostrique ad ea paratiores, ad maiora paulatim exercenda formantur, famam Socie-

tatis sustinent, nostrorumque hominum desiderium excitant, et quod caput est, non sibi serviunt, sed gloriae Dei et ad ea quae sancta sunt, sancte exsequenda eriguntur.

31. Omnem enim actionem nostram splendor illustrare debet virtutis et sanctitatis. Cuius opinionem apud homines parit religiosa illa gravitas atque habitus ille, quem in regulis modestiae tamquam in specie atque imagine cernimus... Est enim haec modestia animi cum Deo coniuncti effigies quaedam, quae miro modo homini religioso conciliat reverentiam : eademque iis sustinetur, quae « interiora » sunt et ex quibus efficaciam ad exteriora perma- » nare oportet. » His vim tribuit S. Ignatius maximam, potiorem certe quam naturae donis et humanis subsidiis. Gravibus in ultima parte Constitutionum verbis id explicans, « ad conservationem, ait, » non solum corporis.... sed etiam spiritus Societa- » tis atque ad assecutionem finis, quem sibi praefi- » git, auxilii animarum ad ultimum et supernatura- » lem suum finem consequendum, media illa, quae » instrumentum cum Deo coniungunt ac disponunt, » ut a divina manu recte gubernetur, efficaciora » sunt, quam quae illud disponunt erga homines. »

ut sancte,

Const. p. X n. 2.

Negotium quod agimus, minime humanum est. Salus agitur hominum, salus sempiterna, iis procuranda subsidiis, quae divinitus instituta sunt. Verbum ipsum quod nuntiamus, divinum est, divina sacramenta, « pro Christo.... legatione fungimur,

» tamquam Deo exhortante per nos. Obsecra-
» mus pro Christo, reconciliamini Deo. » Munus
2 Cor. 5, 20. legationis; Deus movens, alliciens, excitans homines per nos; Christus per nos obsecrans, cohortans ad paenitentiam, quid indicant, quid demonstrant, nisi summam intimae cum Deo coniunctionis necessitatem? Sit igitur fixum mentibus nostris, inculcatum auribus animisque dictum S. Ignatii : Instrumentum cum Deo coniunctum, quod a divina manu recte gubernetur, quemvis nostrum esse oportere. Nihil sane operario evangelico curae magis esse debet, quam suavis illa, erigens animum eumque confirmans intima cum Deo consuetudo atque familiaritas. Cum Deo si vitae, ut ita dicam, habeamus societatem, iucundiora et hilariora
sine effusione animi ad exteriora, generatim, nobis erunt omnia, nihil ingratum accidere, nihil turbare animum poterit, nihil impedire, quominus fortes committamus praelia Domini.

32. Agendum quidem etiam cum hominibus est, sed id curandum, quod a S. Patre nostro edocti sumus, ut eos iuvemus « ad ultimum et supernatu-
» ralem finem suum consequendum, » atque iis rationibus ac subsidiis utendum, quae commendantur legibus nostris, non iis quae prohibentur. — Errant idcirco, qui totos se in res externas effundunt, qui domi se continere, nisi in allocutorio, non possunt, qui tum solum domi suae esse videntur, cum vel in via sunt, vel in domibus exterorum, tum solum quieti, cum cursant ultro citroque atque huc

illuc oberrant, quique tum demum virorum apostolicorum se gloriam consecutos esse putant, cum multiplici atque erratico cursu circumferuntur. Isti lene profecto martyrium, ingens vero spiritualis vitae detrimentum subeunt.

speciatim ad ea, quae, ut minus utilia, ita magis periculosa sunt;

Utinam, qui ad externa sunt propensiores, ea cogitarent, expenderent, ponderarent, quae in Instructione *ad augendum conservandumque spiritum in Societate c.* I. *de radicibus malorum* n. 4. monemur : « Est et alia malorum radix (ita legimus), » perniciosissima; eoque perniciosior, quo minus » vulgo noxia censeri solet, rerum scilicet externa- » rum occupatio, in quam.... (quidam) effundi » solent. Sunt enim, qui naturae quadam propen- » sione ad distractiones proni non solum oblatas » occasiones cupide arripiunt, ut operam suam » impendant, sed eas ipsimet ultro quaerunt et nasci » quodammodo ac succrescere faciunt. Alii ob rei » familiaris inopiam.... Alii per speciem proximos » lucrifaciendi, multis sese visitationibus impli- » cant.... Alii pia magis specie proximos per » consueta ministeria iuvandi, erga devotulas ali- » quot operam suam ponentes, plus inde occupatio- » nis referunt quam fructus, ut necessarium plane » sit, remedium huic malo efficax adhiberi, cum » inordinatae huiusmodi occupationes non solum » tempus eripiant, sed mentem quoque obscurent, » et cor ipsum indurent. »

Hisce affinia sunt, quae scripsit abhinc annis

duodecim venerandus Pater Noster piae memoriae Petrus Beckx, quaeque ipsius ad litteram verbis reddam : « Certe si quis ex Societate, inquit, » satis sibi fecisse putaret, ut olim aiebat R. P. Mu- » tius, dum piis triginta plus minus mulierculis... » aures praebet; si quis hac illac cursitans puel- » larum vel sacrarum virginum coetibus dirigendis » adhortandisque unice aut praecipue intendit, » nonne dicendum forte erit cum Xaverio, opus » illud esse exigui lucri, periculi maximi? Aut » saltem in iis operibus *temporis plurimum perdi* » et certi ac securi fructus colligi perparum? »

Epist. 10. Dec. 1875. n. 19.

33. Certe effundendi animum ad externa haec propitia occasio est, summopere noxia vitae religiosae, et aeque soliditati doctrinae perniciosa. Non communem et vulgarem a Societatis hominibus doctrinam requiri, illa nos Comitiorum generalium decreta admonent, quae de iis condita sunt, qui gradus obtinendi periculum faciunt.

ut solide :

Memoratu dignum est dictum P. Centurionis de Professis quattuor votorum : « Neminem quattuor » sollemnia vota persoluturum, qui per diuturnum » tempus tum eximiae morum innocentiae, tum » summae doctrinae luculenta exempla non prae- » buerit. »

Epist. ad Provinciales V. id. sextil 1756.

Neque omittendum, quod Instructio IV monet his verbis : « Bonum est, ut nostri sacerdotes » paulo magis delectentur studiis. » Si vero de minus incenso discendi studio, quae sit causa

Ad occup. var. n. 2.

quaeratur, ea deprehenditur in ministeriorum, quae dixi, lugenda levitate. Illa enim a litteris animum abstrahunt et scientiae cupiditatem comprimunt non sine damno Societatis atque dedecore. Solent homines multa sperare a Nostris, grandia de nobis sibi polliceri; eorum vero exspectationem decipere, famae iactura est. Ideo falsa quidam opinione ducuntur, recte nostrum nos munus praestare posse studendi labore exiguo. Qui sane corrigendus est error. Sunt enim extra Societatem hac nostra aetate splendida, doctrinaque praestanti exculta ingenia, virique celebrantur singulari praediti scientia, quibuscum certare difficillimum est.

quod in primis contionatorum est,

34. Hoc sibi persuadeant nostri contionatores, neque studendi et scribendi laborem fugiant. Superiorum vero est, tempus et otium iis concedere, atque ut eo utantur eniti fortiter, amovendo in primis levia vel aliena Instituto nostro ministeria, usum et consuetudinem cum hominibus exteris, litteras officiosas, salutationes et colloquia. Res enim agitur gravissima, cum verbi Divini praecones quam maxime Societatis famam vel illustrent vel obscurent.

Tanti momenti haec de verbo Divino sollicitudo visa est, ut Congregatio VII decreto 80 haec regulae Provincialis 52 addenda praeceperit : « His » etiam, qui contionandi talentum habent, duo » itidem, vel unus saltem annus concedatur, ut » privato studio S, Scripturae, legendisque Patri-

» bus ac sanctae meditationi vacent. » Sacri oratoris est, verbum, quod Deus locutus est, nuntiare populo christiano, idemque explicatum secundum unanimem Patrum consensum. Quod ut ea, qua decet, pietate agatur, oratione et sancta meditatione id assequendum est, ut moveamur et afficiamur ipsi et ut ad eos, qui audiunt, ardens nostra perveniat oratio.

Cavendum autem maxime, ne in sacro suggesto profana tractemus. Hoc enim sacrum oratorem dedecet et rationi parum est consentaneum, nostro praesertim tempore, quo tanta homines rerum Divinarum ignoratione laborant. Erudiendi sunt nostrae aetatis viri praesertim, cetera fortasse edocti, eorum vero, quibus aeterna salus comparatur, fere vel omnino expertes. Quod si fiat, etiam oratori periculum aberit de iis dicendi, quae magis audientibus plerisque, quam sibi, certa sunt et explorata.

etiam confessariorum;

Et cum de gravi contionatoris munere sit sermo, facere non possum, quin etiam dicam de confessariis et magni ponderis referam verba P. Aloisii Centurione : « Moralis theologiae, ait, imperitia » Societatis hominem dedecet non modo propter » finem sibi propositum, verum etiam ex eo, quod » omnibus cuiusque ordinis aut dignitatis homi- » nibus singulare damnum afferret; neque hoc » *negative* solummodo, quatenus proximis adiu- » vandis quis est ineptus, sed *positive*, quando

» quidem cum sacerdotibus omnibus commune sit
» confessiones excipere, si necessaria careant scien-
» tia, et se in periculum errandi ipsi conicerent,
» et eos qui ad illos confugiunt, ut auxilia ad
» salutem excipiant, facile in erroris viam dedu-
» cerent, plane ac si caecus caeco ducatum praestet,
» ambo in foveam cadent. » l. c.

Et haec quidem de doctrinae soliditate ac praestantia, pro epistolae angustiis et pro Vestra, dilectissimi Patres, eximia voluntate prolixa, pro rei gravitate ac pondere certe pauciora.

35. Innuenda nonnulla supersunt de oboedientia et animorum coniunctione, quae iis quae ad Dei gloriam tentamus, mirabilem vim tribuunt et efficaciam. Etenim si in omni vita proposita sint nobis voluntas et iudicium Superioris pro regula nostrae voluntatis et iudicii, si vel signo voluntatis illius simus obsequentes, si ad obtemperandum moveamur amore et alacritate, si Superiori nil clausum teneamus; parebimus S.° Parenti et Dominus benefaciet nobis ac exitus operibus nostris concedet secundissimos. Dein planum est ac evidens, eum, quem dixi, ordinem et modum in ministeriis nostris teneri et conatus nostros ad unum eundemque finem parari dirigique non posse, nisi omnes uni pareant voluntati uniusque mandata exsequantur. Quare nemo peculiaria et propria sibi assumat negotia, neque urgeat vel premat eos qui praesunt, ad ea sibi concedenda, ut oboedienter,

cum hisce singularibus non raro bona impediantur magis universalia magisque divina, eaque tam necessaria nobis in agendo concordia dirimatur.

In eam sententiam abhinc duodecim annis haec scripsit R. P. Beckx : « Nonne pietatis specie » decipi dixerimus illum, qui in tanto fidei morum- » que discrimine, in tanta animarum clade vel » cultum aliquem novi nominis unice curet diffun- » dere vel novae cuiusdam rationis sodalicio con- » dendo operam suam omnem impendat, institu- » toris nomen et famam captans... Cavendum » magnopere est, ne in Societatem nostram se » insinuet libido illa novitatis, quae ita huius tem-
l. c. n. 23. » poris est propria, ut res etiam sanctissimas non » raro corrumpat. »

Dein ea enumerat, quibus potissimum a nostris impertiendus est labor et industria. Sunt autem
ib. « instructiones catecheticae, contiones fructuosae » campestres, exercitia spiritualia, congregationes » Marianae, maxime adulescentium et virorum, » exercitia bonae mortis. »

Cognitum enim est, instare periculum istis coetuum novorum conditoribus, tam propter gloriam nominis, quam propter coetuum ipsorum rationem, ut ab oboedientia, a domestica disciplina, a regulis se removeant : quin etiam, cum ipsis affluunt nummi, conentur obnoxios sibi et obsequentes facere Superiores. Id saepe consequuntur, ut in tuto locatis officii vel loci mutatio metuenda

non sit. Integrum ipsis, subducere se laboribus molestis, ut iis vacent, qui multum habent delectationis.

coniunctis animis et viribus.

36. Haec eorum condicio, haec libertas, hi favores et privilegia non possunt non aspergere molestiam Sociis; iis qui probe ac recte sentiunt, quia timent incolumitati Societatis; iis vero, qui opinantur liberius, quia eandem sibi disciplinae immunitatem exoptant. Proinde discordant animi et abest voluntatum consensio, mutuo se iuvandi studium : plures in una domo animarum rectores dixeris, quorum quisque coetui alicui addictus, leviter iungitur illo fraternae caritatis vinculo, quo « melius et efficacius (posset) se divino obse- » quio et auxilio proximorum impendere. » Quibus verbis satis indicat regula, vim atque robur in animorum et operum coniunctione nostra posita esse, si auctore Ignatio primo et semper curae nobis sit gloria Dei, prout ipse idem declarat in octava Constitutionum parte, capite I. n. 8, luculentius, ubi vinculum Sociorum tum inter se, tum cum suis Superioribus praecipuum esse pronuntiat amorem Dei ac Domini nostri Iesu Christi : « cum » cuius, ait, divina ac Summa bonitate, si superior » et inferiores valde uniti fuerint, perfacile inter » se ipsos unientur : idque per eundem illum » amorem fiet, qui a Deo descendens, ad omnes » proximos ac peculiari ratione ad Corpus Socie- » tatis pertinget. » Atque hoc eodem loco, omnem

Summ reg. 42.

probitatem ac virtutem et rerum humanarum contemptum illam coniunctionem iuvare cum dixisset, gravissimum illius ac boni universalis hostem designare non dubitat nostri ipsius amorem. Hic enim natura sua propria sibi et peculiaria aucupatur, singularia asciscit, grandia et universalia reprobat. Qui perverso huic servit amori, minuta et angusta cogitat, exilia molitur, altiora non capiunt sui pectoris angustiae. Triste ac miserum hoc est homini Societatis negotium; tristius etiam si minima agendo, immensa putaverit sese perficere.

Coniunctioni obest proprius amor,

37. Huic igitur levium operum ac segregatorum fautori, inimico gravissimo universalium, amori proprio, qui non raro sensualis est amor, obsistendum est animo magno et assiduo conatu. Cum enim quae fiunt a nobis, ordinate, sancte, solide, oboedienter, iunctisque animis et viribus facienda sint, pugna illa martyrio similis, sustinenda est, ne dissolvatur animorum coniunctio, enervetur oboedientia, labefactetur laus, non adumbrata et ficta, sed vera doctrinae, et quod caput est, ne detrahatur de sanctitate et ordine, quae insideant omni actioni nostrae ex eaque eluceant necesse est.

qui vincendus est.

Quae mala gravissima cavebimus, si S. Parenti nostro obsequentes praeceptisque fideles, curemus primo et semper ante oculos habere Deum Ducem ac Dominum nostrum. Ut vero illa modo et ordine

declinemus consentaneo legibus nostris et prae nobis feramus propriam Societatis virtutem et perfectionem, alterum etiam, quod formula Instituti praecipit, exsequendum est. Iungit enim haec formula cum obsequio Dei Instituti nostri rationem, his verbis unumquemque nostrum admonens: « Curetque primo Deum, deinde huius Instituti » rationem, quae via quaedam est ad illum, sem- » per ante oculos habere. »

Laudatur Institutum a Christi Vicariis.

38. Revera via ad Deum est Instituti nostri ratio, lex illa sancta, cuius auctorem afflatum spiritu sancto dixit Paulus III; de qua Iulius III testatus est, nihil, quod pium sanctumque non sit, in ea reperiri; quam qui tenent, Christum imitari Dominum pronuntiavit Pius IV; quam peperisse viros, aiebat S. Pius V, doctrina, vitae exemplo, morumque sanctimonia conspicuos; quam fundamentum esse, praedicavit Gregorius XIII, illius praesidii religioni catholicae impensi a Societate Iesu, quae prolem procreavit paratam ad omnia pro Ecclesia pericula subeunda.

c. Regimini.

c. Exposcit debitum.

c. Etsi ex debito.

c. Innumerabiles.

c. Ascendente Domino.

Alia alii Summi Pontifices Instituto nostro tribuunt praeconia, et Clemens XIII illud ab undeviginti Christi Vicariis laudibus ornatum esse testatur.

c. Apostolicum.

Nobis necessaria est cognitio Instituti.

39. Nobis vero, ut leges nostras exsequamur, illud satis sit oportet, quod eadem sunt patris nostri Ignatii matrisque nostrae Societatis praecepta, et quod fidem obligavimus, his legibus nos

fideles oboedientesque futuros. Libenti idcirco animo Spiritus Sancti monitioni parebimus : « Conserva, fili mi, praecepta Patris tui et ne dimittas legem matris tuae ». Hanc autem legem matris nostrae ne umquam dimittamus, recolenda ea identidem est atque alte in animo imprimenda. Non enim convenit, ea nos scientia Instituti esse contentos, quam hausimus tempore probationum. Cum enim vocationi nos doceat convenienter vivere, huius legis vel recolendae vel perdiscendae cura potissima nobis esse debebit, Superioribus quidem saltem considerationis tempore, aliis vero, iis horis, quas a contionandi vel alio munere quies aliqua fecerit vacuas. Datur otium plerisque ad legendas ephemerides et diurna commentaria, in quibus multum esse solet vanitatis ac fallaciae : quanto magis aliquid erit vacui temporis ad ea recolenda, quae totius vitae nostrae continent rationem.

Prov. 6, 20.

Ideo subinde recolendum est;

magna reverentia,

Recolenda vero ea sunt magna reverentia, quia sanctissimam Dei nobis patefaciunt voluntatem et documenta nobis exhibent vere caelestia, tot precibus, tot lacrimis, tot paenitentiis ab optimo Parente nostro Ignatio impetrata, quibus nata Societas est et nutrita, quaeque nobis esse debent vita ipsa cariora.

sine praeconcepta opinione

Recolenda videlicet sine ulla praeconcepta opinione, quae nos non modo a legibus nostris vere ac sincere interpretandis, sed etiam a Divina

voluntate candide percipienda ac perfecte exsequenda perniciose deducat.

40. Instituti explicandi rationem docet Gregorius XIII, Summus Pontifex, hoc concedens omnibus : « quantum verba sonant interpretari, » simulque admonens : « Si quid vero dubii de » iisdem (Instituto, constitutionibus) oriri conti- » gerit, ad Sedem (Apostolicam) vel ad Gene- » ralem Praepositum... Societatis, aut ad eos, » quibus id ipse commiserit, referatur. » Hac norma, a Romano Pontifice data, de Instituto nostro iudicandum est, nihilque de interpretatione laborandum quae lege nulla nitatur. c. Ascendente Domino.

Huiusce generis ea est, quae ab exemplo petitur virorum in Societate antiquorum. Quae etiamsi ad explanandum valeret, tamen nihil conficerent qui contra Institutum ea uterentur. Etenim si vim in hac re haberet antiquitas, refellerentur exemplo antiquissimorum. Nemo enim in Societate antiquior S. Ignatio primisque eius Sociis. Viri autem antiqui valent auctoritate, non quod antiqui dumtaxat, sed simul diligentes sunt Instituti nostri cultores. ab exemplo,

Contra legem quidam consuetudinem invocant, et recte quidem, si sit approbata consuetudo; perperam vero si sancita non fuerit. Semper vero cavendum est, ne consuetudini nimium deferamus et magis de more et usu quam de lege confidere videamur. vel consuetudine petita.

Maxima nimirum Instituti ipsius apud nos aesti-

matio esse debet, singulare illius cognoscendi studium, ardens legum nostrarum amor. Qui si purus fuerit et sincerus, magnus inde animus enascetur ad ea, quae praefinita sunt nobis, fortiter exsequenda. In quo animo, in qua voluntate, cardo rei vertitur.

Recolendum est Institutum animo id exsequendi.

41. Quare merito Instructio ad Superiores, quae est in Instituti opere omnium prima, nos haec edocet : « Omnis conatus non in novis ordina-
» tionibus condendis, sed in earum, quas habemus,
c. II. n. 2. » exsecutione adhibendus est. » Eademque nos admonet : « reliquos omnes defectus ab uno
» exsecutionis defectu tamquam ex fonte manare ».

Congr. VI. decr. 36 n. 2.

Quod probe intellegens sexta Congregatio decreto sexto tricesimo statuit, ut « Superiores cum suis
» Consultoribus tempore consuetae consultationis
» simul perlegant aliquid ex regulis, ordinatio-
ib. n. 3. » nibus, instructionibus, » ut « singulis mensibus
» legatur in consultatione memoriale exsequendum,
» a Provinciali vel Visitatore relictum, » ut « semel
» in mense, puta prima hebdomada mensis, loco
» ordinariae consultationis, habeatur consultatio
» de exsecutione, » ut « de hoc capite... specia-
» liter et diserte scribatur ad R. P. Generalem et
» ad Provincialem ab iis, qui ex officio suis tempo-
ib. n. 5. » ribus ad eos scribere tenentur ». Idem praestandum a Provincialibus est « principio cuiusque
» mensis cum suis Consultoribus. Qua de re (an
» scilicet huiusmodi consultationes fiant et quo

» fructu...) suis temporibus Consultores Provin- ib. n. 6.
» cialium ad Praepositum Generalem scribant ».

Tota exstat Instructio, quae est duodevicesima, de hoc exsecutionis argumento.

Eadem porro sexta Congregatio « plurimum, Congr. VI. decr. 37. 4. 4°.
» ait, momenti habebit, si Superiores omnes
» Societatis cum Praeposito Generali et Superiores
» locales cum Provinciali ad exsecutionem urgen-
» dam conspirent; ita ut omnes intellegant, unum
» eundemque in Societate animum esse... Ean-
» demque conspirationnem in quolibet collegio
» facere deberet Superior cum suis Consultoribus,
» Admonitore, Patre spirituali et aliis Patribus,
» qui promovere possunt exsecutionem : ita ut
» idem sentiant et dicant omnes. Quod si anti-
» quiores aliqui obloqui de exsecutione videantur,
» monendi et coercendi sunt, si opus fuerit, etiam
» publicis paenitentiis, ne alios turbent et insua-
» vem reddant exsecutionem. »

42. Haec in generalibus Societatis comitiis sapienter decreta sunt, atque ubi ab his non discreditur, sancta est conspiratio animorum, mutuus amor, ordo et tranquillitas quaedam caelestis, quae sunt abnegationis fructus et pugnae adversus proprium et mundanum amorem, fructus incruenti illius martyrii, quod optimo iure a nobis exposcit Societas. Videntur quidem aliqua ex his praescriptionibus severiora; sed iis solum, si qui sint, qui opinione imbuti praepostera, Laeti exsecutionis fructus. Quinam his fructibus obesse possent.

religiosae impatientes disciplinae, genio indulgendi libertatem affectant. Qui enim libertatis sunt cupidi et amantes, iugum tentant excutere oboedientiae, aegre obtemperant, mandata disceptant. Hi et non alii suavem ac paternam gubernationem impediunt, quia legibus subesse nolunt, suoque arbitrio ut fiant omnia exoptant. Hoc aetatis nostrae est vitium, appetere opinandi, iudicandi, loquendi, quid velis agendi libertatem, auctoritatem inimicam sibi putare, eidemque non solum limites ponere, sed eam facere sibi obnoxiam atque subiectam, eandemque adigere, non ad ea tuenda quae iusta sunt et legitime sancita, sed ad tumultuantium placita exsequenda.

Cavendum est etiam nobis, quorum aetas incidit in turbulenta haec tempora, ne liberarum opinionum labe vel tenuissima aspergamur, et remedium huic malo ac pesti quaerendum est Superioribus ex ipso Instituto et ad eam normam, quam constituit Congregatio sexta haec admonens : « Promovebit exsecutionem disciplinae » vigor et usus reprehensionum et aliarum paeni- » tentiarum adversus transgressores regularum et » non curantes paterna monita, servato ordine » regulae septimae vicesimae Rectoris : ita ut » intellegant subditi, veniendum tandem ad extrema » remedia dimissionis, si opus fuerit, quando » aliis tentatis nihil proficitur. »

43. Amor Societatis et sollicitudo de iis, qui

religiose in Societate et ad legum normam vivere volunt, Patribus sextae Congregationis suaserunt, ut tam serio, tam graviter munus ipsis a provinciis delatum explerent. Sed etiam munus aliquod nostrum est, iuvare nimirum horum Patrum et Superiorum in tuenda regula studium. Standum est enim promissis nos legibus Societatis esse obtemperaturos. Fidem vero fallunt, qui de disciplina parum laborant, magis etiam, qui Superiori legem tuenti non obsequuntur, maxime vero, qui resistunt, qui obliquantur, qui traducere alios in suam sententiam moliuntur, et horum ope impedire, quominus regulae, quae sunt incommodae libertati, adversae sensibus, amori proprio et mundano invisae, vel inducantur de integro vel sustineantur. Ii quidem Societatem lacerant, nervosque disciplinae religiosae, quantum possunt, laxare non dubitant.

Iuvandum est superiorum in regula exsequenda studium.

Nos vero, Reverendi Pratres et Fatres in Christo dilectissimi, uno animo, uno ore, coniunctis viribus quicquid vel Summi Pontifices, vel optimus Parens Ignatius, vel comitia generalia, vel Societatis Praepositi decretum aut sancitum nobis transmiserint, pro Divinae voluntatis nuntio ac documento habentes, ea quae religiosos homines decet, oboedientia et amore exsequamur ipsi et Superiorum in iis tuendis studium iuvemus; participes futuri meritorum, gratiae et gloriae apud Deum, quam sibi conciliant Praepositi nostri, qui

magna fidelitate, constantia, caritate omnes sui muneris partes explere conantur.

44. Institutum enim nostrum existimare debemus sanctum depositum, concreditum fidei nostrae, ad sanctitatem in nobis, salutem in aliis hominibus provehendam. Illud servari integrum, inviolatumque custodiri necesse est. Hoc spectant leges nostrae, hoc volunt, hoc sanxit ipsa auctoritas Pontificia. Hoc Gregorius XIII his ipsis verbis pronuntiat : « Ipsius (Societatis), inquit, » Instituta tamquam fundamenta eius praesidii, » quod catholicae Religioni impendunt (Societatis » alumni) *immota atque inconcussa*, aliorum etiam » Romanorum Pontificum exemplo, debemus Apos- » tolica auctoritate tueri. » Et Paulus V haec non dubitavit edicere : « Nos igitur certo scien- » tes, totum sanctae huius et numquam satis lau- » datae Religionis stabilimentum et profectum in » viridi Instituti ipsius et decretorum super hoc » in Generalibus Congregationibus eiusdem Socie- » tatis editorum, observantia consistere... laudabile » dictae Societatis Institutum... Constitutiones... » decreta, statuta et ordinationes... Apostolica » auctoritate.... perpetuo approbamus. » Quae eadem repetit Alexander VII, testaturque de Paulo V, quae verbis refero ipsius Pontificis : « Supradicta, ait, alia quaecumque decreta, sta- » tuta et ordinationes, quae Institutum et Socie- » tatem huiusmodi, illiusque gubernandi rationem

c. Ascendente Domino.

Summi Pontifices monent, ut inviolatum servetur Institutum.

c. Quantum Religio S. I.

» concernunt, in Generalibus Congregationibus » edita, confirmavit, (Paulus Papa Quintus) ac » *Praepositum Generalem ceterosque Superiores* » *societatis praefatae... hortatus est et monuit, ut* » *observationi dictorum decretorum serio invigi-* » *larent.* » Quae omnia singulari sanctissimi Domini Leonis Papae Tertii Decimi benignitate ac clementia confirmata, Apostolicae auctoritatis robore munita, iterumque concessa sunt.

c. Debitum Pastolaris Officii.

c. Dolemus.

Haec igitur dicta, hae voces : *Immota*, *inconcussa Instituta*, quibus nititur Societas ; hae, inquam, voces e cathedra veritatis emissae resonent in auribus, nos commonefaciant officii, rerum vero novarum cupidos, si umquam sint futuri, terreant atque percellant.

45. Iam vero, si quae Instituti rationem spectant, firma omnia retinere sancta, ut ita dicam, tenacitate iubemur ; evidens est, non ea tantum esse retinenda, quae sunt commoda naturae, sed ea etiam, quae vel molesta vel laboriosa esse solent. Martyrium enim sine afflictione nullum est. Omnia igitur, quoad fieri poterit, omnia legis imperata facienda sunt. Eadem enim, tam summa quam minima persequendi, est ratio, sanctissima Dei voluntas. Cui voluntas accedit totius Societatis, quae in comitiis generalibus leges fert omnibus atque eas, quae omissae vel neglectae fuerint, induci denuo et firmari praefinit. Optimo iure id agit, ut leges nostrae ser-

Exsequenda etiam, quae sunt naturae odiosa.

Quod iure optimo postulat Societas;

ventur omnes, eaedemque ab omnibus. Si enim in iis quae fieri, et in primis in illis quae omitti possunt, non sit eadem ubique legis exsequendae ratio, maximae Superioribus quibusdam enascuntur molestiae.

Interdum enim, si qui sunt laxitatis cultores, ubi religiosus est disciplinae vigor, illi sibi persuadent, cum ipsis agi severius, nec inesse Superioribus animum satis magnum latumque ut patienter ferant, quae contra regulam fiant, quod tamen revera nihil aliud esset, quam indormire malis, quae vel serpunt vel imminent. Angusti pectoris eos arguunt animique imbecillioris.

suadet etiam temporum ratio,

46. Equidem non inficior, hac nostra aetate esse nonnulla legis praecepta, quibus obtemperare iniquitas temporum interdum prohibet. Sed sunt religiosae vitae capita, quae haec ipsa temporum acerbitas magis etiam suadet atque commendat. Suadet enim pauciora itinera, rariores hominum exterorum salutationes vel officiosos aditus, suadet pauciores epistolas ad feminas praesertim, suadet summopere regulam de Socio, suadet maiorem in omni re agenda prudentiam, ne detegant, qui nos oderint, quod carpere iure merito possint. Praeterea in multis non impedimur : non in clausura, non in oboedientia, in caritate, in paupertate servanda. Pietatem autem, coniunctionem cum Deo rerumque humanarum contemptum tempora difficilia mirifice adiuvant.

non indormiendum esse malis.

Ceterum malis nostris et temporum iniuriae indormiendum non est. Quo acriores sunt hostium impetus, eo fortius pugnare militem decet, nec exspectare, donec considat hostium furor, ut tum demum paret arcem defendere, cum capta iam est. Pari ratione a nobis vitae religiosae propugnacula nunc tuenda sunt animosius. Nunc quo ferocius instant inimicae daemonis potestates, pro aris, ut dicunt, et focis certandum et quicquid est roboris ac nervorum in re adeo sancta intendendum est. Tutius sane retenta defendimus, quam erepta recuperamus.

Quare sani non esset consilii, curam regularum tempori magis prospero velle committere et quiescere interea, donec, qui nos persequuntur, praecipuo religiosae vitae ornatu ac splendore virtutum nostra domicilia spoliaverint.

Exsequenda imprimis, quae ad proprium officium,

47. Haec vero regularum cura tum omnium, tum earum accuratior esse debet, quae ad proprium cuiusque officium pertinent. Qua in re praepostere sentiunt, qui sacra ministeria ita propria Societatis esse iudicant, ut illis posthabenda sint omnia, etiam proprii officii munia, perperamque ac parum fideliter faciunt, qui opportunitate muneris utuntur ad haec, quia genio arrident, factitanda liberius.

Nihil enim magis a nobis postulat Dominus, quam ut vacemus nostro muneri diligenter, integre et fideliter. Idcirco quicquid ex officio nostro agi-

mus, a Superioribus demandato, ex certissima Dei voluntate gerimus, quicquid temporis surripitur officio, ex daemonis instigatione subtrahitur.

Inter varia vero, quae eidem personae obtingere possunt, principem omnino locum ea munera tenere debent, quae eorum gratia suscipiuntur, quibuscum vinculo coniungimur eiusdem vitae rationis et quos filios vel fratres merito appellamus. « Si » quis, ita S. Ioannes Chrysostomus, voluerit illi » (Christo) commendatus esse, curam habeat ovium » illius... fratrum suorum saluti prospiciat. » Quinam vero iure potiori fratres dicendi sunt, quam ii, quos eadem sancta societas, eadem oboedientia, idem Divinus amor vinciunt nobiscum atque constringunt? « Nullum enim, pergit Chrysostomus, » officium hoc Deo carius est... Neque prorsus » alia res est, quae perinde declaret doceatque, » quis sit fidelis et amans Christi, quam si fra- » trum curam agat, proque illorum salute gerat » sollicitudinem. » Eam sollicitudinem gerant in primis Superiores, eam Ministri, eam Lectores et Magistri, eam Procuratores, et prae ceteris rerum spiritualium Praefecti. Vituperandum enim esset, ut leniter dicam, si illi quibus homines nostri, fratres, servi Christi Domini, amici Dei curae esse debent, his praesto non essent, non faciles aditus praeberent nec satis ad ipsis opitulandum se exhiberent paratos. Sunt vero in Societate Superiores, Lectores et alii, qui studium et laborem omnem

Serm. de S. Philog. n. 2.

vel sibi subiectis vel fratribus impertiunt. Hi profecto non sibi serviunt, sed Deo totum cotidie laborem et operam tribuunt. Hos ego de Societate egregie meritos, Deo acceptos, Sanctis nostris carissimos magni facio, veneror, iisdemque bona a Deo precor eximia.

48. Cum vero dixerim *omnia* Instituti praecepta servanda esse, occurrunt animo, quae viri graves de Societate solliciti, non semel ad me pertulerunt de paupertatis studio imprimis, de oboedientia, de charitate fraterna. His summi momenti virtutibus consulendum esse, multae, quae ad me perveniunt litterae, significant.

quae ad paupertatem,

Paupertatem S. Fundator noster propugnaculum opposuit rebellioni sensuum amorique mundano. Dei Salvatoris motus exemplo, qui propter nos « egenus factus est, cum esset dives, » tutam ac salvam eam esse voluit, Professosque vovere iussit, numquam se facturos vel consensuros, ut quae de paupertate praecepta sunt, immutentur, nisi ex iusta causa videretur restringenda magis. Iam vero praeceptum est nobis, ut victus, vestitus et lecti ratio sit pauperibus accommodata et ut suis temporibus paupertatis effectus experiamur.

2 Cor. 8, 9.

Haec meminerint illi imprimis, qui ad itinera non necessaria facienda procliviores esse videntur, maxime si sint Professi. Haec itinera paupertatis effectus non sunt, nec accommodata est ea se oblectandi ratio pauperibus. Nonnulli quidem ideo tutos

se esse putant, quod nummos ad itinera ab amicis obtinent. Sed hos nummos nemini pro se ipso licet accipere; Superiori tradendi sunt, neque hic ea de causa, quod praesto sit pecunia, itineris faciendi licentiam dare debet.

Fama et auditione accepi eorum quosdam, qui conferunt in nos beneficia, mirari sumptus, quos aliqui faciunt nostri, quosque illi ipsi, qui in nos benefici sunt, erogare sibi nefas esse putarent. Illud indubium est, itinera, quae sine gravi ratione fiunt, non praebere specimen virtutis. Pugnant enim cum religiosa nostra paupertate, et sunt perfectioni omnino contraria. « Religiosi, ut apud » S. Thomam est, se voto astrinxerunt ad hoc, » quod a rebus saecularibus se abstineant, *quibus* » *licite uti poterant.* »

2. 2. q. 184. a. 5, c.

Fortasse paupertatis etiam causa R. P. Beckx haec scripsit d. 5. Februarii 1860 : « Cerno... » frequentiorem fieri usum, *quem equidem plane* » *sublatum vellem*, ut scilicet nostri itenera cum » alumnis instituant. » Quem usum vetitum hisce verbis voluit : « Prohibendum mihi visum est atque » hisce prohibeo, ne huiusmodi itinera a Provin- » ciali, nisi admodum gravi de causa, numquam » vero cum licentia vestem saecularem induendi » nostris permittantur. »

In eadem epistola nos monet de aedificiis, ut sint consentanea paupertati et simplicitati religiosae « minime vero sumptuosa et elegantiora, » vehe-

menterque errare, merito asserit, eos qui profano ornatu externoque splendore Societati existimationem conciliari posse arbitrantur.

Non enim gloria nostra a domo petenda, sed gloria virtutum in domum inferenda est, luctuosumque sane foret, si nos, qui mundum reliquisse putamur, mundum in atria Domini invehere velle videremur. De Curio, qui de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphavit, id narrari potuit, nihil in eius domo ornatum fuisse vel splendidum, praeter ipsum; potiori iure Nos decet splendere, non domum, non suppellectilem nostram.

49. Alterum, quod iustam fortasse habet querelam, ad oboedientiam pertinet. Cum enim iniuria temporum fere soli habitare coacti fuerint multi, ad arbitrium vivendi consuetudinem retinere quidam videntur et impatientes freni oboedientiae, subducere se imperio. Oboedientiam vero deserendo, insignem illam in nobis notam delemus, qua dignoscuntur a Deo, ab Angelis atque etiam ab hominibus illi, qui ad Societatem pertinent Filii Dei, qui usque ad mortem et ignominiam Crucis factus est oboediens. Qui ab oboedientia se removent, S. Ignatii se filios non esse, non obscure demonstrant. Nullam enim virtutem aeque atque oboedientiam S. Pater noster commendat. Ut alia taceam, Constitutionum parte sexta : « Exactissime, ait, » omnes nervos virium nostrarum ad hanc virtutem » Oboedientiae, in primis Summo Pontifici, deinde

oboedientiam

c. I. n. 1.

» Superioribus Societatis exhibendam, intendamus : » ita ut omnibus in rebus, ad quas potest cum » caritate se oboedientia extendere, ad eius vocem » perinde ac si a Christo Domino egrederetur... » quam promptissimi simus. » Ponderanda haec verba sunt, graviter loquitur S. Parens, et ipsa gravitate verborum, quantum sibi sit cordi oboedientia, plane et apertissime demonstrat. Hanc virtutem *semper et omni ex parte,* tum in exsecutione, tum in voluntate, tum in intellectu *perfectam* vehementer exoptat. Ex quo perspicuum est, difficultatem rei, si praecepta sit, nemini dare oboediendi immunitatem.

l. c.

in servanda regula de Socio,

50. Equidem novi, difficilem et molestam quibusdam esse regulam de socio secum retinendo. Necessaria autem etiam hoc tempore visa est Congregationi XXII. Haec R. P. Nostro *apprime* commendatum hisce verbis voluit : « Ut quae de » Socio exeuntium in Constitutionum parte III » c. 1. § 3., inque aliis Instituti paginis leguntur, » *omni accuratione* observentur; et si quid contra » ea peccari contigerit, *omnino corrigatur*. Haec » autem praecipue de Reg. 18. Sacerdotum dicta » intellegantur. » Non ad placitum vel arbitrium illa praecepta sunt, sed ut *omni accuratione observentur*. Huic obsequens decreto, R. P. Beckx per eandem, quam dixi, epistolam Superiores omnes rogat, ut « Socii regulam maximi faciant et dili- » genter servari curent. »

decr. 41 n. 3.

Epist. 5 Febr. 1860.

Eidem decreto parendum est etiam mihi et, Dei fretus auxilio, oboedientiae exemplum praebere curabo. Sed ut in omni re difficili, ita in arduo hoc negotio ea, quam Congregatio VI tanti momenti esse ait, omnium cum superioribus esse debet ad exsequendam regulam *conspiratio*. Non autem conspirant cum Superioribus, qui legi qualicumque scriptae, promulgatae, repetitae non obtemperant, antequam moneantur ipsi et urgeantur. decr. 37. 4. 4.

Non iuvant Superiores illi, qui a regula immunes esse volunt. Putant enim aliqui, tuta esse omnia, dummodo lege ipsi solvantur atque adeo torquent Superiores, donec quod cupiunt impetraverint. Hi non cogitant Superiori molestissimum esse rem negare, alios ad idem petendum ipsorum exemplo invitari ac exceptione multiplici labefactari disciplinam, irritam fieri convellique omnem Instituti praescriptionem.

Neque desunt qui nimium confidant de his verbis regulae decimae Rectoris : « Ad Rectorem » pertinet dispensare in Regulis... quando necesse » erit. » Audiant illi regulae huius interpretationem, quae est in Instructione omnium prima : « Alterum est, ita habet, nimia quaedam facilitas » et indulgentia, quando... parvi interesse putant » (Superiores) atque in manu sua esse arbitrantur, » ut *dispensent* et habenas laxent, prout volunt; » non aliter quam, si quicquid conscio Rectore Instr. ad aug. cons. spir. in Soc. c. II. n. 2.

» fit, idem continuo recte ac religiose fieri cre-
» dendum sit. Qua nimirum opinione nulla Reli-
» gioni perniciosior esse potest. »

Magnopere autem Societati nocent, qui se opponunt legi quae lata est de Socio, quique Superiorum in ea exsequenda conatus vanos ac irritos facere, quin etiam alios in suam tentant perducere sententiam. Ii magnum religioni decus, gratiam Societati moliuntur adimere. Studio enim et amore nostri ea lex statuta est, ut bene de nobis opinentur homines, ut tuta ab inimicis sit fama nostra, ut angeli conemur non solum esse, sed ad Dei gloriam etiam existimari. Quot iuvenes ea de causa nomen dederunt Societati, quod angelicos hominum nostrorum mores perspexerint. Eam profecto famam Societati incolumem volumus, atque in Divini beneficii loco ponimus. Quod si beneficium, si gratia est, quaenam querendi causa esse poterit? De incommodo, de damno edi querelas, nemo mirabitur; quis autem temperare sibi a stupore poterit, si quos audiat de tanto munere ac beneficio in questus et lamenta se effundere?

Equidem eam regulam summum Societatis beneficium reputans, faciam pro tenuitate mea, ut instem, ut urgeam, quantum per rerum temporumque adiuncta licebit. Et quoniam ea, quae die 24. Maii anni 1885, scripta sunt de socii regula, illius nimirum exsequendae faciendum esse initium, ita interpretati sunt aliqui, ut initium tantum

exsecutionis regulae, non perfectionem postulari assererent, ut dubium omne tollatur, his ego cum S. Thoma respondeo : « Dicendum, quod inchoatio » et augmentum non quaeritur propter se, sed » propter perfectionem. » 2. 2. q. 184. a. 5. a. 1.

51. Regulae de socio secum retinendo aliae affines sunt regulae, in quibus exsequendis Superiores iuvandi sunt. Ex nostrorum enim voluntate maximopere pendet, ut eae sint salvae. Septuagesima regula Rectoris haec est : « Mulieres invisere, » aut ad eas scribere, nisi in necessitate aut cum » spe *magni* fructus, Nostros non sinat : neque » hoc quidem permittat, nisi viris valde probatis » et prudentibus. » Regula prima septuagesima hoc statuit : « Non permittat feminas Collegium » nostrum ingredi. » Regula denique quarta septuagesima ita dicit : « Non permittat, ut Nostri » cibum capiant apud externos, aut ab iis, cum » aegrotant, visitentur, nisi causa non levis momenti » ad id concedendum moveret. » In his omnibus non petendum est a superiore, ut ipse permittat quod regula prohibet, sed potius cum eo conspirandum, ut regula ad Dei voluntatem servetur. Clarae autem et ita perspicuae hae regulae sunt, ut quid velint nemini dubium esse possit. Et ut dicam de epistolis, raras eas esse debere ad feminas planum est; ad moniales vero rarissimas. Quam sententiam Nigronius noster multo etiam severius ita enuntiat : « Illud est accurate animadverten- in visitationibus externorum, scribendis epistolis et Clausura; Tr. asc. XII. c. II. n. 20.

» dum, a Magistris spiritualibus nos moneri, ut » quamvis ab omnium muliebrium epistolarum » commercio nobis abstinendum sit; tamen id cum » monialibus praecipue ac diligentissime servetur. » Rationes vero non scribendi monialibus profert gravissimas ex sanctorum virorum dictis vel exemplo petitas. Praecipua est, quod facile epistolae ad familiaritatem invitant et ad dona et munuscula danda vel accipienda, atque ita paulatim sanctum illum minuunt amorem, qui instrumentum cum Deo coniungere debet. Quae cavenda in ea re sint, S. Hieronymus his verbis enumerat : « Crebra » munuscula et sudariola et fasciolas et vestes ori » applicitas et oblatos ac degustatos cibos, blan- » dasque ac dulces litterulas sanctus amor non » habet. » Haec in societate non accidere, probe novi; indicanda tamen putavi, ut innuerem pericula. Ad rem Nigronius : « Didici, ait, equidem » alieno malo adulescens, quam sit mundus, qui » positus est in maligno, pronus ac facilis ad reli- » giosorum litteras, mulieribus scriptas, interpre- » tatione sinistra in deteriorem partem detorquen- » das. »

Ep. ad Nepot. 6. al. 52.

Equidem de his id solum, quod lege nostra sancitum est, a vobis, Reverendi Patres Fratresque carissimi, id solum, quod poscere debeo, etiam atque etiam postulo.

In hoc quidem, quod agitur, argumento, quae sit Dei voluntas, etiam regula undequadragesima

summarii aperte declarat, cum praefinit, epistolas quae scribuntur a Nostris, ostendi ei debere qui fuerit a superiore constitutus, ab eodemque legendas esse quae ad Nostros mittuntur. Quod si hoc fieri non posse quispiam asseruerit, non ideo excusabit praetermissionem muneris. Contra regulam facit, qui legendi litteras, quae a Nostris mittuntur vel iis perveniunt, omittit officium; neque vero neglegenda est regula septuagesima Rectoris, nec permittendum cuicumque ut scribat ad mulieres, ac ne permittendum quidem viris gravibus et valde prudentibus, sed sine spe *magni* fructus. Quod si servaretur, pauciores epistolas aliqui exararent, quin etiam hae multo forent rariores, si legi easdem cognitum esset. Ita fieret, ut regula regulam iuvaret. l. c.

52. Iam venio ad rem gravissimam, quae sollicitam semper tenuit Societatem et quae etiamnum angit viros de Societate praeclare meritos et incolumitatis nostrae studiosissimos. « Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est » vir. » Hoc a S. Iacobo edocti ab immoderatione verborum caveamus et ab intemperantia linguae, quae est « universitas iniquitatis, » instrumentum scilicet omnis generis sceleribus committendis aptatum; quae « maculat totum corpus, » sive vitiis inficit, quae « inflammat rotam nativitatis nostrae » id est, totum vitæ cursum contaminat, ab initio ad finem, ipsaque est « inflammata a et caritatem pertinent.

« gehenna » propter vitium a daemone laesae nostrae naturae inustum, quae est « inquietum » malum, plena veneno mortifero. »

Haec, quantum ex lingua nobis immineat periculum, graviter nos admonent. Atque his consentanea sunt, quae in Industriis ad curandos animae morbos legimus. In his sanctorum dicta et facta narrantur, quae malitiam obtrectationis demonstrant. S. Basilius obtrectatorem gravissime punit, separatque ab aliis, ut nemo cum ipso in opere esse velit. S. Ioannes Chrysostomus eundem acriora sagittis infligere vulnera fratribus affirmat, ipsum duci cupiditate et invidia, malitiamque eius tantam esse, ut cum sacrilego sit conferendus, cum ipsum Christi Domini corpus quodammodo violet.

Damna quae affert, gravissima sunt. Pax evertitur, tranquillitas animorum, oboedientia, fructus ministeriorum. Horrendum vero damnum illud est, quod non solum eo tempore, quo obtrectant, nocent maledici, sed post multos etiam annos. Nam non solum in domo, ubi de fama et opinione detrahitur, sed latius etiam serpit ac manat rumor et suspicio per provinciam, usque eo, ut ab se abalienatos quis inveniat animos eorum quibus numquam nocuit, quos fortasse non vidit umquam. Haec non mea refero, sed magnae auctoritatis virorum. Equidem velim considerent, si qui in hac re sunt arguendi, eo gravius esse delictum, quo dolor qui fratri inuritur, est

natura sua acerbior. Iam vero quam aegritudinem animi futuram putamus illius, qui de opinione ac fama sua detractum esse audit non in una domo, sed in pluribus, et fortasse non apud nostros solum, sed etiam apud externos homines?

Ille quidem tutum se praestare a famae deminutione non potest, sed qui dicit : « Mihi vin- » dicta, ego retribuam; » propugnationem suscipiet famae, atque poenas a maledicis repetit gravissimas. Quae poenae utinam non perveniant ad multos, utinam non ad domos, ad Provincias!

Ministros quidem daemonis poena dignos esse, quis dubitabit ? Obtrectatores autem famulari daemoni, nemo negaverit. Certe Paulus Segneri, linguam eorum, teste S. Iacobo, inflammatam a gehenna, obtrectatoremque asserit singulari modo a daemone ad eius negotium gerendum iuvari (1). Pacem autem turbare, dirimere caritatem, facere discidia, daemonum negotium est.

Adesse daemonem et assistere homini maledico, idem P. Paulus lucide commonstrat, cum me-

---

(1) « Io mi figuro però, che quando questi (i mormora- » tori) aprono la bocca a dir male, non mai lo facciano senza » una assistenza più particolare e più prossima del diavolo, » il quale pronto incenda loro la lingua di un ardore » infernale, per mettere, se si può, tutto a fuoco e a » fiamma, con una parola audace. E questa è quella lingua » che vien chiamata : Lingua inflammata a gehenna. » Il crist. istr. p. I. rag. 29. n. 5.

moret, homines ceteris in rebus tardos, hebetes, obtusos et stupidos, mira saepe arte excellere de aliorum fama detrahendi.

Huic nonnumquam vitio obnoxii fiunt itinerum inutilium amatores. Interdum explorant et investigant omnia et in provinciis pervulgant, multa narrant de gubernatione superiorum, de vario abusu, de remissa et laxata disciplina. Ea narrant, postquam ipsi offuerunt disciplinae aliarum domorum, parum curando regulas, tractando, inscio superiore, negotia, invisendo homines externos, prandendo apud ipsos, palam faciendo vitia provinciae, accedendo ad monasteria, inspectando pinacothecas et musea cuiuscumque generis atque generatim indulgendo animo in iis, quae regulis consentanea non sunt, neque probantur illius provinciae vel domus Superioribus, ad quam diverterunt.

Malorum remedium in legibus nostris.

53. Omnium in Societate malorum remedium in nostris legibus est. Si pietatis, si oboedientiae, si caritatis appareat imminutio ; si paucitas petentium nostram Societatem, qui sint idonei ; si sterilitas sit ministeriorum ; si in re familiari vel dissipatio, vel iactura : ad regularum normam revocanda sunt omnia. His si pareamus, iis in primis, quae ad munus cuiusque proprium pertinent ; si quae paupertatis, oboedientiae, caritatis ratio postulat, sint sancta nobis et inviolata, viam ambulabimus, quae S. Ignatio auctore, via quaedam est ad Deum.

Ad Deum dico, quem, eodem hortatore Ignatio, primo et semper ante oculos haberi necesse est, avocando animum ab iis quae cum Deo nos esse non sinunt, et munera obeundo nostra ordinate, sancte, solide, oboedienter iunctisque inter nos animis viribusque. Id agendo carnis, sensuum, amorisque proprii et mundani expugnabimus rebellionem et mitioris quidem, sed illustris apud Deum martyrii laudem comparabimus. Tum assentiemus legi nostrae, caram eam habebimus et cum Davide confitebimur Domino. « Pax multa diligentibus legem tuam. » Ps. 119, 165.

Et cum ipsi Romani Pontifices hortati sint Superiores « *ut observationi... decretorum serio* » *invigilarent,* » ut meis partibus non desim et ut sempiternae meae consulam saluti, omnes hortor, moneo et obsecro per sanguinem Filii Dei, per lacrimas S. Ignatii, dum condidit regulas, per supplicia, quae saeviendo in corpus a se ipso exegit, per BB. Edmundi et Sociorum Martyrum cineres, ut quaecumque praecepta nobis sunt, quoad fieri potest, omnes servari curent qui praesunt, et cum his Socii omnes ad opus tantae Dei gloriae et tantae sanctitatis propriae *conspirent.* Quare servandae omnes

Rem difficilem postulari a vobis non me latet, forti ac parato animo esse opus non difficeor.

Sed loquor magnanimis, paratisque ad « iniurias, illusiones et opprobria in Christi insignibus inclusa » admittenda. In conspectu loquor BB. nostrorum, Ex. gen. c. IV. n. 15.

magno animo.

quorum non mors tantum, sed ipsa vita continuum martyrium fuit, quibus nulla ab hostibus acerbissimis data securitas, qui nondum capti, nondum cogniti, iam capite damnati, in cavis parietum et fornicum latebant; tandem comprehensi, ludibria, equuleos, inusitatae crudelitatis machinam experti sunt, quae laxatis artubus vitae usum semper, vitam ipsam non raro miseris per summum cruciatum eripiebat; in conspectu Martyrum loquor, qui iudicia subierunt iniqua, mortem plenam ignominiae, quibus e dissecto pectore avulsa praecordia, corpus dilaceratum in partes, atque hae ipsae elixae ad urbis turres et portas appensae sunt, quibus nullus exsequiarum honor, nullum sepulcrum. Haec praevisa a Martyribus, pronuntiata dein a iudicibus, tum plausu excepta imperitae multitudinis, fortem eorum animum non terruerunt.

In horum Martyrum conspectu, quid precor, quid flagito? Illud idem, Reverendi Patres et Fratres in Christo dilectissimi, quod petunt a nobis nostri Martyres. Hi postulant, ut etiam nos non formidemus id exsequi quod polliciti sumus ipsi, cum in aeterni Regis nos dedimus famulatum. « Suscipe Domine universam meam libertatem. » Haec mens nostra, hoc consilium fuit; hoc initium incruenti nostri martyrii.

Quod vero novae militiae tirones facturos nos esse promisimus, id nunc explendum est numeris

omnibus. Movit eo tempore nos caritas, ut Deo nos offerremus ad laboriosa et ardua paratos. Eadem caritas, idem Dei amor perficiendus est. Caritas ad martyrium homines, caritas ad vitam religiosam inflammat. Ut enim apud Doctorem Angelicum est : « Martyrium est actus caritatis, » ut imperantis... quod autem sit meritorium, » hoc habet ex caritate... et ideo sine caritate non » valet. »

2. 2. q. 124, a. 2. a. 2.

Ea est inter martyrium cruentum et incruentum similitudo, quod eam caritatem, quam martyr perfectam habet, homo religiosus diuturno conatu perficit. Quae perficiendae caritatis ratio subeundi cuiusdam martyrii, atque idcirco persequendi Martyrum nostrorum vestigia necessitatem nobis imponit. Illi Deo vitam poscenti, vitam reddiderunt; nobis vero libertas, quam regulae nostrae nobis adimunt, ita tota est Deo restituenda, ut « nihil perfectionis, quod divina gratia consequi » possimus, in absoluta *omnium* constitutionum » observatione, nostrique Instituti peculiari ratione » adimplenda, praetermittamus. » Cum vita dimittenda esset nostris Martyribus, quo eam animo profuderunt? Edmundus, cum insertus iam collo esset laqueus, triumphans exclamat : « Spectaculum » facti sumus mundo, angelis et hominibus. » Thomas Cottamus iam moriturus « Procul sit a » me, inquit, ut vel latum unguem a fide mea, ullius rei gratia, discedam. » Alexander Briantus

Reg. Summ. 15.

Sacchin. hist. S. I. p. V. lib. I. n. 261.

Ib. l. II. n. 135.

Exemplum

Martyrum nos excitare debet.

ad tribunal ductus crucem manu gestat, eamque abicere iussus, « Neutiquam, inquit, id faciam; » miles Crucifixi sum : vexillum ad mortem usque » non deseram. Moriar pro eo, qui mea causa » prior est mortuus. » Voluit vir fortissimus, ut Instituti formula habet, *sub crucis vexillo Deo militare* usque ad mortem. Voto se ad eam militiam obstrinxerat in carcere. Cum iam instaret martyrium, cum palmam manibus quodammodo teneret, cum « caelos apertos » videret, non satis tutam sibi victoriam putavit, nisi gloriosum in Iesu Societate cursum consummasset. Tanti fecit in ipso caeli conspectu matrem nostram Societatem. Illius vero de Ordine nostro iudicium Deus probavit, et forti athletae, in equuleo postmodum extenso, doloris sensum fere omnem ademit. Ipse nondum noster adeo amavit Societatem nostram, ut in Societate Iesu palmam vellet accipere. Nos, Reverendi Patres et Fratres in Christo carissimi, idem certe tenet amor. Sed amor Societatis quid est, nisi amor legum nostrarum? Martyres, fratres nostri « noluerunt infringere legem Dei sanctam » et trucidati sunt. » Lex *sancta* sunt etiam regulae nostrae; hoc ipsi Vicarii Christi testantur. Ideo dicam cum Mathathia : « O Filii, aemulatores » estote legis et date animas vestras pro testamento » Patrum vestrorum. » Hoc testamentum regulae sunt et exempla Maiorum nostrorum.

Ib. l. I. n. 257-259.

I. Mach. I. 66.

Ib. 2. 50.

Pro hoc testamento dare animas nostras, truci-

dari potius, quam discedere a lege simus parati. Non hominum timor nos moveat, non hominum gratia, non humanae rationes, non labor, non difficultates, non incommoda. De hoc uno laborandum nobis est, ut primo ante oculos habeamus Deum et semper, in omni re, in omni consilio, in omni conatu gloriam Domini nostri maiorem quaerentes.

Haec enim est ratio martyrii nostri, haec ratio militiae sub vexillo Crucis. Sub hoc Crucis sanctissimae vexillo merentibus nobis animos magnos addere mihi videtur Edmundus cum Sociis et affari nos, quem ad modum Mathathias, praeclarus ille dux in Israel, compellavit filios : : « Vos ergo, » filii, confortamini et viriliter agite in lege; quia » in ipsa gloriosi eritis. »

Gloriosam Societatem etiam nos exoptamus vehementer. In lege vero gloriosa semper fuit, in lege gloriosa semper erit Iesu Societas. In lege igitur nostra agendum est nobis viriliter, ut, digni nomine nostro, Salvatori divino quam devotissimi simus, et quisque nostrum, quantuscumque est, totum se Christo Redemptori mancipet. Nobis autem Christus Dominus multo firmiorem, quam Mathathias filiis suis, facit sponsionem : « Accipietis gloriam magnam et nomen aeternum. »

Illam gloriam magnam feliciter iam consecuti sunt Edmundus, Thomas, Alexander, Martyres nostri, vere Beati. Beatos etiam nos summopere

exoptant. Via autem ad beatitudinem et gloriam aeternam patet : eam commonstrat optimus Parens Ignatius; Institutum nobis exhibens, asseverat : « Haec *via... est ad Deum.* » Haec lex nostra, in qua nihil reperitur, quod pium sanctumque non sit; haec lex heroes facit, haec palmas parat aeternas, aliis cruenti, aliis incruenti martyrii coronas.

Me totamque Societatem sanctis sacrificiis et orationibus vestris commendo

Reverendi Patres et Fratres dilectissimi
Fesulis die festo omnium Sanctorum
anno MDCCCLXXXVII.

Omnium servus in Christo
ANTONIUS MARIA ANDERLEDY S. I.

EPISTOLA

R. P. N. ANT. MAR. ANDERLEDY

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS IESU

DE MUNERE PROVEHENDI CULTUM SS. CORDIS IESU SOCIETATI NOSTRAE ABHINC DUOBUS SAECULIS DEMANDATO.

Qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos et attraxit nos miserans, nova semper, quibus nos afficeret, meditari quodammodo visus est beneficia. Nonne satis fuit, hominem creasse ipsa insignitum imagine divina ornatumque Dei gratia, regni aeterni constituisse heredem?

Eph. 2, 4.

Eph. 2, 4. Ier. 31, 3.

Immensa sunt Dei beneficia,

Sane si qui numquam Deum cognovissent, accepissent autem fama et auditione, esse numen quoddam infinitae maiestatis, illudque hominem, a se eductum e nihilo, socium gloriae sempiternae elegisse, atque ut ad claritatis illius beatitatem certius perveniret atque alacrius, iam in hac vita ducem se ei dedisse ac comitem; rem adeo mirandam nec esse, nec fieri umquam posse arbitra-

rentur. Quid vero, si mortem pro homine oppetivisse crudelissimam intellexissent?

Etiam nos, si haec non essent patefacta divinitus, si lumini intellectus non ea, quae supra naturam sunt, lux et gratia accederent, non solum ea percipere non possemus, sed nec assequi ulla ratione credendo. Et etiamsi beneficia Deus apud homines collocasset tantae misericordiae memores, gratique animi et amoris vicissim exhibendi studiosos, ea bonitas Dei humanam excedere fidem videretur.

collata etiam in homines gratiarum immemores.

His autem beneficiis auxit hominem sibi non obsequentem, non curantem benefacta, sed natura rebellem, divinae maiestati adversum, insolentem, contumacem. Quem cum abicere potuisset atque respuere, non tamen sprevit neque repudiavit; sed calamitatis illius misertus est et *factus pro nobis maledictum*, id est nostram in se suscipiens maledictionem, factus *peccatum* seu hostia pro peccatis nostris, poenas pro nobis sustinuit, atque ita sustinuit, ut lugens de eo propheta narrare debuerit : *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.*

Gal. 3, 13.
2. Cor. 5, 21.
Is. 53, 5.

Miranda haec profecto sunt divini amoris argumenta; sed mirandum etiam magis quod, etsi fidei lumine ea percepimus certa atque indubitata, tamen audiendi consuetudine ita iis assueverint animi multorum, ut parum vel leniter afficiantur tam incredibili amoris divini significatione.

Beneficiis nova semper addit beneficia Deus.

Interea amabilissimus Redemptor alliciendis hominum voluntatibus continuo intentus, omnes adhibuit suavitates tum amoris, tum gratiae, quibus captaret animos parum in divina ac caelestia propensos.

Cor tandem suum exhibuit hominibus,

Et cum iam totum pro nobis effudisset sanguinem, cum cibo divino corporis sui pavisset miseros nos imbecilles atque afflictos, cum habitare etiam constituisset inter gratiarum immemores, cum nihil aliud iam Deo esset quodammodo reliquum quo locupletaret homines, singulari amoris prodigio, bonorum, quae iam in nos contulerat, memoriam in uno beneficio renovans, ipsum dulcissimum Cor exhibuit hominibus.

Quo quid amplius fieri potuit, ut compertum esset toti mundo, Redemptorem nostrum non mirifico solum, sed immenso genus humanum amore complecti? Universo mundo Cor exhibet Dominus exercituum, rex caeli et terrae, nec est homo in omnium terrarum orbe, qui cum Apostolo affirmare verissime non possit : *dilexit me et tradidit semet ipsum pro me,* nemo qui non ametur a Corde, quo nullum est cor amabilius, nullum sanctius, nullum quod tanta sit fide, tanta in amando constantia, quodque divinum cum sit, non solum sancte nos diligat, sed sanctos nos etiam amando efficiat. Gal. 2, 20.

De hac divina in nos caritate ut dubitatio esse non posset, pignus amoris immensi palam fecit

mundo, atque voce divina hic nuntius ad nos allatus est optatissimus : *Ecce Cor illud, quod tantopere amavit homines!*

Quae verba quanti sint ponderis atque momenti, vos ipsi, R. R. Patres et Fratres in Christo dilectissimi, meditati estis multoties animo in Deum gratissimo et corde Christi Domini amore incenso atque inflammato. His verbis cultus in Ecclesiam universam publicus ad salutem et solacium inductus est nostrum hominumque plurimorum.

nosque edocet,

Ex iisdem verbis discimus, quid auctore Christo Domino et quam ob causam sit colendum. Colendum nimirum est Cor illud sacratissimum, quod ab ipso Dei Filio nobis offertur, atque colendum est ea de causa, quod tantopere homines amavit.

Cor eius sanctissimum esse colendum,

Ad primum quod attinet, semper Ecclesia Dei sanctissimae Christi humanitati illum impertita est cultum, quem *latriae* appellamus. Est enim adoranda Domini humanitas tota in persona Verbi cum divinitate coniuncta. Quod si humanitas tota coniuncta est, etiam partes humanitatis coniunctae sint oportet. Cor vero humanitatis est pars, in quovis homine nobilissima, in Christo Iesu divina atque electa ab ipso Salvatore divino, quae nobis adoranda offerretur. Subsistit enim Cor sanctissimum in persona Filii Dei, vivitque in Filio hominis, de quo dixit Pater aeternus, introducens *primogenitum in orbem terrae : Et adorent eum omnes angeli Dei.*

Hebr. 1, 6.

Ad alterum vero, id est, ad cultus rationem quod spectat, usus obtinuit veterum etiam populorum, ut cor in symboli amoris loco haberetur. Plurimum vero ad rem nostram interest, Salvatorem ipsum nos docuisse, e corde emanare dilectionem. Iussit enim nos Dominum Deum nostrum diligere *ex toto corde* et de dulcissimo Corde suo pronuntiat ea verba, quae adeo animum elevant : *Ecce illud Cor, quod tantopere amavit homines.* Ex quibus luculentissime patet, Cor sacratissimum adorare nos debere, ut symbolum est amoris immensi, quo Christus Dominus genus humanum prosequitur.

ut est amoris symbolum.

Matth. 22, 37.

Huic autem Christi Domini caritati nulla alia par inveniri poterit. Quis enim negaverit, Incarnationem Verbi acceptam referendam esse amori Dei nostri infinito? *Sic Deus dilexit mundum,* inquit S. Ioannes, *ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Tale ac tantum donum plane demonstrat, quantus sit Dei amor, quanta benignitas. Filium donavit Pater hominibus, sibi et Spiritui Sancto aequalem, cum nihil impar et dissimile in divinis personis esse possit; Filium donavit, cui eadem essentia est, eadem voluntas, eadem potentia. Tanta est magnitudo doni, ut maior esse non possit.

Haec symboli ratio maxime convenit SS. Cordi : quia ortum est ex amore divino,

Ioann. 3, 16.

Quaenam enim ratio, qui finis Patri aeterno fuit mittendi eum, qui est *splendor gloriae et figura substantiae eius?* Is profecto fuit, ut in partem

Hebr. 1, 3.

nos vocaret hereditatis aeternae. Primo parenti hanc pollicitus est Deus, creatus quippe erat filius adoptionis. Magnum hoc munus et incredibile fuit. Maius vero, cum a Dei oboedientia descivisset Adam et filii Dei dignitatem cum arboris fructu commutasset; Dei benignitate spretum honoris gradum generi humano esse restitutum. Maximum vero decus et ornamentum contigit homini, cum *misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.*

Galat. 4, 4-5.

Haec dignitas tam benigne homini concessa, reiecta ab homine iterumque donata a Deo, sempiternum praebet divini amoris argumentum. Etenim hic est amor, quem animus ingratus non vincit, quem non arcet contemptus, quem scelera non terrent, quemque non ipsa repellit impietas.

Iam vero ab hoc amore ortum, editum, inflammatum est SS. Cor Iesu. Huius enim amabilissimi Cordis principium et origo ab aeterno divinarum personarum amore repetenda sunt. Ille sanctissimae Trinitatis amor Christi humanitatem et cum ea Cor Iesu dulcissimum nobis donavit. Fidei nimirum regula illa tenenda est: Quaecumque Deus extra se in rebus creatis agit, tribus personis esse communia. Totam igitur summam et sanctissimam Trinitatem tanto operi intentam fide percipimus, atque intentam ea de causa, quia *sic Deus dilexit mundum.*

Quo vero magis etiam apertum fieret atque perspi-

cuum, redemptionem nostram amoris Divini et caritatis esse fructum, eandem sacrae litterae peculiari quadam ratione illi tribuunt personae, quae Patris et Filii idem plane ac par caritatis est amor, quaeque a Patre et Filio procedens genitorem et genitum aeterno atque indissolubili vinculo inter se coniungit.

Evidens igitur est, humanitatem Christi sanctissimam ac proinde Cor Iesu suavissimum fructus divini amoris esse dicenda.

Quid amplius deesse poterit, ut Cor Iesu divini amoris symbolum esse intellegatur? Hanc symboli rationem cum Christi Domini voluntas, tum sacrae litterae, tum vero sacratissimi Cordis principium et origo testantur.

quia hunc amorem continuat :

Hunc vero, a quo ortum est, amorem Cor Iesu continuat. A divino amore habet, ut exsistat; hunc sanctum amorem summa hominum utilitate perpetuat, neque umquam flagrare desiit hominum amore.

Cuius tam benignae erga nos voluntatis tot testes in SS. Corde Iesu numeramus, quot sunt actiones Filii hominis, quot gesta, quot dolores et cruciatus, qui peculiari quadam cognatione ad cor referuntur atque ex eodem emanant. Testis Iudaea, quam pertransiit benefaciendo Filius Dei; testes mons Oliveti et Calvariae; testes tribunalia; testes accusatores falsi, derisores, percussores; testes iudices ignavi et iniqui; testis multitudinis furor, testis Barabbas; testes denique terra tremens, petrae scissae, pavor ac

agendo,

patiendo,

gemitus, qui rege caeli et terrae mortuo, totum pervaserunt orbem terrarum.

Possuntne esse his acerbiora, quae summum demonstrent Cordis divini amorem? Sunt perfecto, et quidem adeo acerba et crudelia, ut ipsum Cor Iesu expaverit, contremuerit et cum morte luctans Salvator sanguineum emiserit sudorem. Et haec quaenam sunt? Unum est, quod Cor divinum terrere possit, conspectus nimirum torrentis illius peccatorum ac diluvii iniquitatum, quas subire, quarum reum quodammodo se sistere Maiestati Divinae, et quarum poenas cum dare crudelissimas oportebat.

Labores immanes, inhumanos cruciatus, iniurias atroces exhausit benignissimus Redemptor, et Crucis ipsius subire ignominiam non dubitavit. Quis a rege caelorum hoc pretium redemptionis, non dicam petere, sed vel optare sibi fuisset ausus? Et dum tanta patitur, illi pro quibus se ipsum offert tanta caritate, nequidem misericordia dignum reputant *virum dolorum et scientem infirmitatem. Sustinui, qui simul contristaretur et non fuit et qui consolaretur et non inveni.* Quin immo evenit quod dolorem sustinenti acerbissimum est : *Omnes videntes me deriserunt me.* Quare necesse fuit Filio Dei fateri ruborem : *Sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.*

Is. 53, 3.
Ps. 68, 21.
Ps. 21, 8.
Ps. 68, 8.

Obstupescunt Angeli magnitudinem amoris incredibilem, qui e Corde illo amabilissimo emanat,

eique non ab omnibus hominibus vicissim reddi amorem mirantur. Sed quamvis pro hominum numero gratum animum exhibeant pauci, non ideo quicquam de amore remittit Cor generosissimum.

dona maxima promittendo omnibus,

Promissionibus genus humanum invitat, et tanta Cor divinum colentibus praemia proponit, ut sperari non possint ampliora.

Quid enim optari excellentius, quid expeti praestabilius potest, quam pace frui et tranquillitate; cum de re quacumque laboramus et nos sollicitant curae, blandum praesto esse Consolatorem divinum, gratias petentibus praeberi copiosas? Qui intepuerunt, rerum divinarum amorem, qui fervent, vitae sanctitatem impetrabunt. Viventibus et morituris refugium in hoc Corde clementissimo paratur; iis, qui Cordi Iesu se consecraverint, vitam aeternam spopondit ipse hominum Salvator.

Haec pie ac religiose considerantem in amorem Cordis Iesu vehementem rapi necesse est. Amentem certe dixeris illum, qui haec promissa percipiens, non continuo ac penitus se devoverit Cordi sanctissimo. In hoc enim cultu nihil est quod non conciliet fiduciam et amorem. Nihil in eo quod afferre timorem, quod formidinem inducere possit. Cor in Cruce apertum se exhibet, Cor unde omnia nobis bona venerunt, Cor pignus charitatis et misericordiae; misericordiae, inquam, qua tantopere egemus et qua plane opus nobis est. Cor nihil severum, nihil triste prae se ferens, sed mirae, caelestis,

divinae amabilitatis nos recreans imagine, Cor *suum* ultro nobis offert Filius Dei, benigne nos ad illud contemplandum adhortans et ad reputandum animo quantum dilexerit homines. His adde promissiones summorum bonorum, quae omnem formidinem nobis eximunt tum huius vitae, tum maxime futurae, et post huius lucis usuram mortem spondent plenam solacii cum spe firma beatitudinis sempiternae.

Et haec quidem grandia et salutifera supra quam dici potest, divinitus patefacta sunt omnibus.

praesertim Societati nostrae.

In minimam vero Societatem nostram Deus gratiam contulit plane singularem. Sanctum enim

Huic munus committit provehendi cultus SS. Cordis.

nobis dedit negotium docendi populos cultus sui Cordis rationem atque vim plane admirabilem. Nostrum est solari genus humanum, nuntiumque perferre laetissimum, ad ipsum Cor divinum aditum patere, atque fas esse omnibus, ex illo immenso gratiarum thesauro bona caelestia depromere. Viri, qui opibus et potentia valent, non faciles fere sui aditus praebent et adversus postulantium preces ita se muniunt, ut aegre flectantur rogationibus. Rex vero caelorum, quia *dives est in misericordia*, blande ad se invitat omnes, *Venite*, inquiens, *ad me omnes, qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos.*

Eph. 2, 4.

Math. 11, 28.

Infelices miserosque invitat, quos aspernatur humana superbia; hos prae ceteris ad se vocat, his persuasum esse vult, quam vere de Filio Dei a viro

sapiente sit dictum : *Deliciae meae esse cum filiis hominum*. Fortunatos nimium, quibus datum est haec nuntiare mortalibus, et enarrare haec *mirabilia Dei!* Tantae laudis et gloriae hoc munus est, ut mirum videatur id Societati minimae esse commissum. Prov. 8, 31. Iob. 37, 14.

Quod beneficium S. Parenti Ignatio debemus et

Mihi quidem haec cogitanti atque admiranti vobiscum, Reverendi Patres et Fratres in Christo carissimi, eximiam hanc Dei erga nos bonitatem et misericordiam, illud occurrit, eam gratiam conciliasse nobis S. Parentem nostrum Ignatium. Ardens enim Sancto Patri studium fuit conformandi se suosque filios ad illustre Divini Salvatoris exemplum. Hoc liber exercitiorum, hoc Constitutiones, hoc sancta eius gubernandi ratio demonstrant.

Nullum meditandi finem fecit, quo accuratius gesta Christi Domini, mentem eius ac voluntatem divinam, sancta desideria sublimesque sensus Cordis Iesu cognosceret. Qua in re non pie solum, sed fidenter credimus, S. Ignatium quae docuit quaeque praecepit, suggerentem sibi habuisse optimam Matrem nostram, Virginem Immaculatam. in primis Sanctae Dei Matri.

Sane mens S. Ignatii, studium gloriae Dei, Constitutiones, quas praefinivit nobis, summo duci nostro, Christo Domino non potuerunt non probari.

Retinendum est hoc beneficium

Quibus igitur subsidiis munus hoc angelicum provehendi SS. Cordis cultum obtinuit Societas,

iisdem illud retinere diligentissime debet. Societas nostra ideo est Iesu Societas, quia modum vivendi servat a S. Ignatio praescriptum et leges tanti Parentis exsequitur. Quam diu his legibus fidelem se praebuerit, grata erit et accepta Deo ac Domino nostro, similitudinemque et imaginem referet aliquam sanctissimi Cordis. Certe laus magna est Patrum ac Fratrum, qui abhinc ducentis annis vixerunt, tantam eos adeptos esse gratiam apud Deum, ut ipsos religioso praeficeret muneri amplificandi cultum tam sacrum, tam iucundum, tam salutiferum.

fideliter obtemperando legibus nostris et

Atque utinam Deus etiam nostris in hoc genere laboribus pergat favere! Hos magnos esse, summo meo solacio didici atque perspexi ex nuntiis, qui mihi ex omnibus Provinciis et Missionibus pervenerunt. Ante omnium enim eorum, qui cum Nostris agere solent, oculos positum est atque vulgatum illud Patrum et Fratrum nostrorum tam laudabile studium inflammandi hominum corda eo igne, qui de caelo venit, eademque corda sociandi cum sacratissimo Corde Filii Dei.

Sed *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat Deus.* Ut igitur fructus sit ille quem volumus, non in speciem tantum, sed re copiosus et stabilis, a Deo impetrandum est oratione assidua et vitae ratione ad Instituti normam composita; quae vita gestorum Christi Domini imaginem aliquam referens sanctissimi Cordis imitatio est.

1. Cor. 3, 7.

offerendo Salvatori divino cor nostrum coniunctum cum Deo,

Cuius imitationis ea est condicio necessaria, ut cum Deo coniunctissimi vivamus et mente ac cogitatione habitemus in Corde suavissimo Filii Dei.

Quam coniunctionem etiam laborando retinemus exemplo Domini, qui iure merito de se ipso ait : *Ego, quae placita sunt ei, facio semper.* Quae placita sunt Deo, nos quoque exsequimur, cum laborem nobis praeceptum perficimus alacriter, serio atque ordinate. Tum enim fit, ut Deo, non nobis ipsis serviamus.

Ioann. 8, 29.

Quod si a coniunctione cum Deo discedere nobis non licet laborando, quanto minus, cum ea pietatis opera praestamus, quae ad Cor Iesu sanctissimum proxime pertinent, quaeque eo magis alliciunt animum eumque detinent, quod uno divini Cordis conspectu, in sanctissimo amoris sacramento latentis, omnia iterum patefiunt nobis tum vitae, tum cruciatuum Salvatoris mysteria. Non solum enim nascitur in altaribus nostris cotidie, sed etiam manet nobiscum; latet, vitam agit apud nos reconditam, *interpellat pro nobis*, docet nos; quae passus est pro nobis, in memoriam reducit nostram, mortemque suam ponit ante oculos, satisfacit pro nobis, amori vero erga nos suo numquam satisfacit.

Rom. 8, 34.

Iniuriosus in vos essem, Reverendi Patres et Fratres in Christo dilectissimi, si ad pie parandum animum vos hortarer, cum Sacra vel facienda vel percipienda sunt. Omnes enim regem gloriae

Christum adoramus, mirandam eius benignitatem efferimus laudibus, simulque nostram dolemus egestatem, mendicitatem, inopiam.

Perspicuum omnibus est, summam in hoc pietatis genere curam esse adhibendam, ne de nobis locutus esse videatur Aggaeus Propheta, cum haec effatus est : *Ponite corda vestra super vias vestras... Comedistis et non estis satiati; bibistis et non estis inebriati.* In quam reprehensionem incurrunt, qui aliud comedunt, aliud esuriunt. Cibum caelestem comedunt; panem non corporum, sed Angelorum; caelestia vero non esuriunt, sed terrena, res caducas et inanes : hominum opinionem, amicitiam, laudem, famam, gloriam denique illam, quae nullius pretii, nullius momenti est apud Deum.

Agg. 1, 5-6.

divulsum a rebus creatis,

Ratione autem et usu compertum est, fieri non posse, ut beata hac cum Deo coniunctione fruatur, sive in labore, sive in pietatis exercitiis, qui animum non abstraxerit a blanda huius vitae vanitate, nec solacia percepturum caelestia, qui cotidiana illa et futtilia solaciola non abiecerit.

Iure merito Cor divinum, quod totum se nobis dedit et tam indigna et inhumana passum est pro nobis, cor a nobis postulat coniunctum sibi et prorsus divulsum a rebus creatis.

divulsum a se ipso,

Pari ratione divulsum a se ipso esse oportebit : erit autem a se divulsum, si sit cor nostrum oboediens. Qua in re non ego vos hortor, sed horta-

tur ac monet S. Ignatius : *libertatem conditori vestro, quam vobis ipsemet elargitus est, in eius ministris libere tradite ac dicate.* Magnus enim liberi arbitrii fructus est, quod liceat illud Domino reddere. Neque ita perditur libertas sed etiam augetur et perficitur.

In hac re, auctore S. Parente nostro, Societatis nostrae bonum ac salus universa consistit. Ideoque tam vehementer nos obtestatur, ut excelsiorem et difficiliorem animi partem expugnare et subicere studeamus : *Quo,* inquit, *Dei Domini nostri solida veraque cognitio atque amor vestros ad se animos penitus trahat,* ac si diceret, oboedientiam esse viam, qua ad intimam Dei coniunctionem, id est, ad summam sanctitatem perveniamus.

apertum superioribus,

Postulat autem haec oboedientia a nobis, ut cor nostrum sit apertum superioribus. Clarissime hoc enuntiatur Constitutionum parte quarta, cap. 10., n. 5. his verbis : *Rectorem suum magnopere revereri ac venerari, ut qui Christi Domini nostri vices gerit, debebunt; liberam sui ipsorum verumque suarum dispositionem cum vera oboedientia ipsi relinquendo ; nihil ei clausum, ne conscientiam quidem propriam tenendo, quam ei aperire... suis constitutis temporibus et saepius, si causa aliqua id posceret, oportebit.*

In qua conscientiae ratione gubernationis interioris vis est et fundamentum. Certe R. P. Oliva eam ait esse *Instituti nostri animam.* Quod si Epist. de secr.

fide servanda in rat. consc. redd.

interdum regimen nostrum externum magis quam interius esse videatur, ac propterea menti S. Parentis Nostri minime consentaneum; haud scio an illud sit causae, quod cogniti non sint iis, qui praesunt, animi sibi subiectorum. Qui si probe perspecti iis essent, non possent non diligere etiam magis, quos Dei Providentia eorum curae commisit et influere in eorum animos, eorumque profectum iuvare; atque horum vicissim animo tranquilla pax insideret, commissa praesidibus rerum suarum cura, etiam intimarum.

fratrum amans,

Vix dici autem potest, quantum haec tranquillitas animi conferat ad pacem inter nos concordiamque tuendam. Tranquillitate enim in nobis constituta, ac praegustata quodammodo pacis sempiternae suavitate, iucunditatis huius etiam alios facere participes et caritatem in fratres retinere studebimus. Quo fiet, ut domus nostrae beatorum sedes esse videantur et Cordi divino, quod flagrat amore nostri, cor etiam nostrum, fratrum amans, gratissimum reddatur.

Id spectat cultus SS. Cordis, ut cara et accepta sint Deo etiam corda nostra. Cara autem Deo sunt corda cum eo coniuncta, divulsa a rebus creatis, etiam a semet ipsis, aperta superioribus fratrumque amantia. His virtutibus si ornentur corda nostra, in ipsis etiam inerit decus ac splendor animi excelsi atque generosi.

cor generosum.

Magnanimitate autem similitudinem referent

beatorum emittere videtur tantus vir, atque nos, eos in primis qui sub patrio eius regimine viximus, hortari obtestarique, ut Sacratissimo Cordi, quod ipse tantopere coluit, nos ex animo sacratos, atque libertatis etiam, Dei amore, expertes esse velimus. De ea re nostro quondam obsequendum est patri. Cuius enim pretii aliae erunt victimae apud Deum, negata Conditori nostro ea, quam ipse nobis elargitus est, libertate? Quid offeremus dignum Corde Filii Dei, qui *semet ipsum exinanivit*, qui *tradidit semet ipsum pro nobis*, *tamquam ovis ad occisionem ductus*, si nobilem adeo animi partem reddere Deo detrectemus?

Phil. 2, 7.
Eph. 5, 2.
Act. 8, 32.

Ad haec exsequenda nobis adsunt ss. Corda Jesu et Mariae,

Multum eam rem habere difficultatis et laboris non negaverim. Sed quod difficile, quod laboriosum, id nostrum est. Nobis enim subsidia parata sunt firmissima. Atque, ut alia omittam, propitium sibi Societas habuit semper Cor Virginis Immaculatae dulcissimum, quod praesidium apud Deum tutissimum est. Matri enim suae Filius Dei thesauros gratiarum commisit, eosque credidit Cordi materno, cuius ipse in terris amorem sensit, cui ipse amorem reddidit. Eiusdem materni amoris Deus nos voluit esse participes. Sed ex eo in primis tempore, quo Christus Dominus Cor ipse suum hominum obtulit pietati, Cor etiam Mariae purissimum cognosci atque coli voluit, ut originem caelestium donorum perennem. In Matrem

autem erga nos adeo bonam, in misericordiae Matrem, quas possumus laudes libenter congerimus, ipsam creatis rebus anteponimus omnibus, cultumque Dei genetrici et amorem ita tribuimus, ut eam nemini in corde nostro secundam, nisi Deo soli, esse velimus.

Huic piae Matri id etiam nos debere mihi persuadeo, quod Dominus Iesus ad cultum sui sanctissimi Cordis augendum nostram praecipue elegit Societatem. Certe S. Ignatio semper favit et Societas eam nacta est semper maxime propitiam atque beneficam. Quam iustum igitur, quam bonae Matri debitum est, ut etiam Cordis ipsius Immaculati ornamenta virtutum, benignitatem in primis clementiamque praedicemus. Cor Iesu corona spinea amore nostri cinctum apparet; Cor Mariae gladio, Cor Iesu lancea percussum cernitur. Utraque autem amoris potius quam ferri percussio est. Et pro tam immenso amore quid a nobis petit Filius Dei, quid eius Mater ter admirabilis? Miserum cor nostrum poscunt, ut illud Deo consecremus.

quibus iam sunt sacrata corda nostra.

Corda vestra, Reverendi Patres ac Fratres carissimi, tum Iesu, tum Mariae Cordi sunt sacrata. Etenim tota Societas sollemniter fidem et amorem sanctissimis Cordibus pollicita est.

Hoc anno saeculari denuo sunt sacranda.

Cum vero nunc alterum saeculum claudatur, ex quo ad munus vocati sumus edocendi populos, quanta sint in Corde divini Salvatoris recondita salutis subsidia, et cum Filius Dei Cordi suo Cor

Matris coniunctum semper esse voluerit, aequissimum est, ut hoc anno iterum se dedicet sanctissimis Cordibus, quae tantopere diligit Societas, quibus omnia maxima beneficia debet, et in quorum clementia spem omnem auxilii, tutelae, defensionisque repositam habet his praecipue iniquis temporibus et periculis, quae iterum impendent.

Qua de causa desidero ut, cum ad eos hae litterae pervenerint, statuant Provinciarum Praepositi et Superiores missionum, quo tempore, quibusque pietatis exercitiis hanc in Dei Filium et sanctissimam Dei Matrem fiduciam, amorem, gratumque animum testata velint.

Valeant autem totius Societatis preces ad excitandum in nobis rerum caelestium studium et gloriae divinae ardorem, desideriumque et amorem Missionum, praesertim apud infideles homines et barbaros; valeant ad avertenda a Provinciis, a Missionibus, a Domibus pericula; valeant ad recuperandas, e quibus eiecti sumus, sedes; valeant ad retinendam inter nos concordiam, caritatem, oboedientiam, virtutesque religiosas omnes; valeant ad impetrandam omnibus summi momenti gratiam moriendi in Societate Iesu et, dum vivimus, omni conatu conciliandi honorem et cultum SS. Cordi Iesu, eum in primis, quem ipse divinus Salvator, B. Mariae Margaritae apparens, hanc famulam sibi devotissimam tanta amoris significatione edocuit atque prae ceteris commendavit.

Gratissimum vero fecerit Cordi divino, qui Virginis Immaculatae Cor suavissimum eo honore et observantia, quae Dei Matris postulat dignitas, eoque amore et studio prosecutus fuerit, quae Matri debentur amabilissimae.

Equidem censeo, Reverendi Patres et Fratres in Christo carissimi, felicissimum inter nos eum futurum, qui sacratissima haec corda quam maxime amaverit ipse, et ex animo amanda esse quam plurimis persuaserit.

Omnium vestrum SS. Sacrificiis et precibus me enixe commendo.

Fesulis die festo S. Michaelis Archangeli
Anno 1888.

Omnium in Christo servus
ANTONIUS MARIA ANDERLEDY S. I.

EPISTOLA

R. P. N. ANT. MAR. ANDERLEDY

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS IESU

DE REPETENDA SUBINDE SANCTORUM PETRI, IOANNIS ET ALPHONSI PRAECLARE GESTORUM MEMORIA.

Cum anno huius saeculi quarto et sexagesimo Petrus Canisius, et anno proxime subsequenti Ioannes Berchmans Beatorum essent fastis ascripti, qui tum praecerat Societati nostrae, litteras dedit ad Societatem universam anno sexto et sexagesimo ; atque illud idem praestandum sibi putavit, cum Pius IX ratum habuisset cultum a populo fideli exhibitum Beato Petro Fabro. Quod mihi quoque propositum fuit, cum tres Fratres Nostri aucti essent caelitum Sanctorum honoribus. Multa tamen, quominus mature meo obsecundarem desiderio, moram intulerunt impedimenta. Muneribus enim officii, *quod quidem*, ex S. Ignatii sententia, *magis quam totum*

hominem requirit, negotia accesserunt insueta, in quibus frequens et non semel plurium mensium consumenda erat opera. Odiosa idcirco cunctatio, quae tamen non sine Divino Numine accidit. Incensum namque erat Societatis studium, cum trium Sanctorum sollemnia primum agerentur, et ad gloriam Sanctorum Fratrum ardor tantus, ut supervacaneum fuisset stimulos addere vestrae pietati. Affari vos Deus ipse atque alloqui videbatur. Et divinae huic voci obsequentes vos fuisse plurima testantur vestrarum virtutum specimina, piique ad persequenda Sanctorum vestigia conatus demonstrant. Const. p. 9. cap. 6. n. 4.

Consentaneum igitur rationi non fuit, incitare currentes, et quae ultro implebantur officia pietatis, impellendo postulare. Cum vero, quae hominum infirmitas est, usitata vel e memoria elabantur, vel minus moveant afficiantque; nunc, cum aliquid abierit temporis, renovandam duxi memoriam virtutum Sanctorum Petri, Ioannis et Alphonsi, ut quae sancte antea statuimus, eadem alacriter interdum redintegremus. Quod huic potissimum cultui ac venerationi est conveniens, cum quisque nostrum in quocumque sit gradu vel Sacerdotis, vel Scholastici, vel Fratris Adiutoris, habeat quem imitandum sibi proponat.

Atque hoc beneficium Societati tribuere voluisse Leonem XIII, apertum ac perspicuum est. Pro singulari enim in nos gratia et benevolentia, sua sponte, supplicante nemine, Pontificia potestate decrevit, ut

trium Societatis causarum initium fieret, ac praeterea hos etiam tres, eo tempore Beatos, sancivit esse eligendos, qui caelitum Sanctorum coetui annumerarentur. Instabat autem Christi Domini Vicarius, ut eniterentur ii ad quos pertinebat, ut elaborarent, ut rem perficerent. Non semel me hortatus est, ut quae ad rem facerent, litterarum monumenta procurarem. Tanta erat Summi Pontificis in nostra causa sollicitudo, ut tum aliis, tum mihi significaverit saepius desiderium quo teneretur, his tribus sodalibus nostris caelitum Sanctorum honores decernendi.

Ad hos, cum triplicem Societatis gradum sanctitatis luce illustraverint, merito nos saepenumero convertimus, ut, lumina Societatis cum sint, ad similitudinem suam dirigant vitae cursum nostrum vel in ordine humillimo, vel in recondito intra parietes domesticos, vel in campo aperto apostolicae operae.

In omni quidem virtutum genere hi tres Sodales nostri excelluerunt; emicant tamen eae virtutes prae ceteris, quae gradui cuiusque quam maxime congruunt.

Et cum munus Fratrum Societatis Adiutorum praecipuum sit, ut, dum humilia tractant, animos erigant ad excelsa, quae divinitus patefacta sunt nobis, Sanctum Alphonsum nacti sunt tutorem atque exemplar, ad cuius decus aemulandum sancto quodam ardore excitentur.

I

1. In S. Alphonso enim duarum prae ceteris virtutum splendor elucet : demissionis animi et coniunctionis cum Deo. Quae quidem virtutes tum Dei gratiam, tum hominum studia conciliant. Atque ut de animo demisso dicam, hic modestiam comitem habet, quae et ipsa magnopere confert ad devinciendas hominum voluntates, et ad retinendam inter omnes caritatem et benevolentiam. Neque modestiae tantum, sed aliarum etiam virtutum spectabilem obtinet comitatum. Sunt enim ita aptae inter se atque conexae virtutes, si perfectae sint, ut qui una sit praeditus, aliarum expers esse non possit. Quod si de ceteris virtutibus, quas morales appellamus, magis est etiam de origine et radice harum virtutum, de animi demissione dicendum. Ex radice enim reliquae efflorescunt, et quo vis et efficacia in radice est fecundior, eo laetiore venustate, eo uberiore fructu se exserunt reliquae virtutes atque evolvunt.

S. Alphonsi

animi demissio

Quare si amoena omnis virtus, cumprimis humilitas est amabilis.

2. Haec in pretio ac honore est apud homines, qui virum ab omni fugacis gloriae cupiditate remotum non possunt non magni facere et superiorem sibi reputare.

in pretio apud homines,

Apud Deum autem maxime valet animi demissio. Haec enim Dei voluntati hominem subicit, atque ei vicissim divina tribuitur gratia, et ad amorem et

et apud Deum;

amicitiam benignissimus Dominus se adiungit illius, qui spernere se ipsum et pro nihilo putare consuevit.

eam tamen vitant multi, qui

3. Sed etsi tantum huic tribuitur virtuti, nihil tamen est quod homines plurimi, cum natura sint honorum avidi, adeo metuant, aversentur, refugiant, quam spernere se ipsos ac neglegi ab aliis hominibus.

Eccli. 13, 21.

Abominatio est superbo humilitas.

spernunt superbos,

Solent illi, si in aliquem incidant iactantem se et gloriantem de gestis suis, per risum et iocum eum contemnere. Accidit enim hoc hominibus admirantibus se ipsos, atque iis qui de se praedicant et praedicari volunt, ut despectui sint ac deridendos se audientibus praebeant.

Parvi haec facienda essent hominum ludibria, nisi ansa iis daretur, et Deum ipsum sibi obnitentem haberent homines elati. Sed ut grata humilitas, ita omnis arrogantia Deo est odiosa. Etenim Dominus excelsus, terribilis, *superbis resistit.*

Iac. 4, 6.

dum his similes esse volunt.

Quae cum ita sint, quid est cur de sui contemptu non laborent nonnulli, de gloria vero angantur quam plurimi; quid est causae, cur hi foveant in se, quod derident in aliis hominibus, et cur iis quos contemnunt, similes esse velint?

Sunt expertes verae sapientiae,

4. Magna profecto est eorum caecitas. Non capiunt, quicquid ad contundendam frangendamque superbiam facit, beneficium ac munus esse caeleste. Neque id capere possunt, qui rationibus metiuntur humanis, quae fide divina ponderanda sunt.

Divinum vero hoc effatum est : *Superbum sequi-*

tur humilitas, et humilem spiritu suscipiet gloria. Prov. 29, 23.

5. Divinitus edocemur, in nulla alia re gloriandum esse, praeterquam in Crucis ignominia. *Mihi autem absit gloriari*, profitetur Apostolus, *nisi in Cruce Domini Nostri Iesu Christi.* Eundem gloriantem audimus de hominum odio, de *periculis* ex Iudaeis, *ex gentibus, in falsis fratribus.* quam docet Apostolus et Gal. 6, 14. 2 Cor. 11, 26.

A Iudaeis, ait, *quinquies quadragenas, una minus, accepi. Ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum.* Aspexit mirandus ille vir *in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem confusione contempta.* Ib. 24, 25. Hebr. 12, 2.

6. Divinus vero hic fidei auctor omnem gloriam humanam respuens : *Ego vero*, inquit, *non quaero gloriam meam.* Vir *dolorum* et sciens *infirmitatem* praebet *percutienti se maxillam*, saturatus *opprobiis.* Venit vir, quo *non surrexit inter natos mulierum maior, neque manducans neque bibens, et dicunt : daemonium habet.* Quid homo in hominem iacere potest atrocius? Atqui in Filium Dei haec eadem est iacta contumelia. Maiorem autem, immo maximam vehementer exoptabat ignominiam, cum supplicium omnium infamissimum in summo monte, spectante hominum multitudine ingenti, subire constituit. Atque eo affectus est plaudente vesana hominum turba. Clamabat haec : *Crucifige, crucifige eum*, non semel, sed iterum : etenim *magis clamabant :* exemplum Christi Domini. Ioann. 8, 50. Is. 3, 53. Ier. thren. 3, 30. Matth. 11, 11. Ib. 18. Ioann. 19, 6.

Mr. 15, 14. *Crucifige eum.* Nec pauci odium et invidiam ostentaverunt, sed uno ore *dicunt omnes : Crucifi-*
Matth. 27, 23. *gatur.*

Neque eam infamiae notam oblivione deleri passus est Rex gloriae, sed publicis eam consignari monumentis et in codicem sacrarum legum, pervulgatum in orbe terrarum, referri decrevit, atque Crucem, rei tristissimae imaginem, spectandam praeberi in templis, in domibus, in plateis. Quin etiam in cultu omnium supremo, qui Sanctissimae Trinitati exhibetur, in sacrificio novae legis huius opprobrii memoriam perennem fieri mandavit.

1 Cor. 1, 18. Haec *pereuntibus quidem stultitia*, Dei sapientia est *in mysterio, quae abscondita est... quam nemo*
Ib. 2, 7-8. *principum huius saeculi cognovit.*

Eam cognovit S. Alphonsus, 7. Cognovit autem hanc Dei sapientiam humilis ianitor, S. Alphonsus, eaque fide motus, et ducibus veritatibus illis quae patefactae nobis sunt divinitus, ignominiae aviditatem prae se tulit mirabilem prodigioque simillimam.

non optans laudem, Non illi satis fuit nulli aditum dare cogitationi vanae ac fallacis gloriae, numquam sermocinari de rebus quae ad se pertinebant, nulli obsecundare famae apud homines et existimationis desiderio. Id appetebat, ut eum aestimaret nemo, omnes infra se ducerent atque pro nihilo putarent.

desiderans contemptum. Altiora etiam spectabat. Desiderabat enim vehementer, ut se et spernerent homines, et contemptionem tum verbis, tum re significarent. Quaecumque

adimere laudem vel famam minuere poterant, ea ultro sibi asciscere solebat et maiorem in modum a Deo postulare.

Annuit omnino precibus Dominus, qui sanctissimae Crucis insignibus eos ornat atque decorat, quos caros prae ceteris habet et singulari ratione vult esse sibi devinctos.

Ut alia taceam, contigit sancto illi viro, ut Superioris iussa cum fecisset, propterea ab alio Superiore, periclitandae humilitatis causa, publice ac vehementer argueretur. Nonnumquam ad tentandam eius virtutem, qui praeerant rem difficilem duramque imperabant. Sanctus vero senex tum haec, tum illa sustinuit placide ac sedate, tanta etiam animi laetitia, ut summo eum beneficio auctum esse diceres. Multa huius generis de S. Alphonso narrantur, in quibus elucet, quam divina mente atque consilio perspexerit, quod ii non capiunt qui dicuntur sapientissimi : gloriam, quae vera, quae sempiterna est, sui demissione et ignominiae patientia comparari.

O virum sapientem, qui hoc vidit animo atque intellexit; virum magnanimum, qui quod perceperat animo, subire ac perpeti non formidavit!

Sunt enim, qui vitam discrimini committunt honoris causa, iidemque muliebriter ad omne opprobium expavescunt. Ex humili vero Fratrum Adiutorum ordine procedit et in luce versatur clarissima, qui gessit animum heroibus huius mundi

excelsiorem, animum scilicet illum, quem eliciunt et exsuscitant Societatis nostrae Constitutiones.

Idemque animus documento est hominibus, norma vivendi nostra et regulae quid possint : regulae, inquam, nostrae, quae levissimis etiam naevis hominem eximunt, virtutibus ornant atque ita ad Deum transferunt, ut S. Alphonsus, qui iisdem obsecutus est perfectissime, vere affirmare potuerit : *Vivo autem, iam non ego : vivit vero in me Christus.*

Gal. 2, 20.

Dum homines capiuntur, alii opibus et deliciis, alii honoribus; dum haec in amplissimi beneficii loco ponunt, atque omnia summa consecutos se esse putant, si ad gloriae pervenerint fastigium, altiora quaedam appetit Alphonsus, humana omnia nullo loco numerans, unamque sibi gloriam gratulans Filii Dei, qui humiliavit semet ipsum *factus oboediens*, factus *opprobrium hominum et abiectio plebis.*

Philipp. 2. 8.

Ps. 21, 7.

Eam didicit ex S. Ignatio;

8. Haec eum docuit magnus parens Ignatius, qui praecellentis sui animi speciem quandam et imaginem in primo ac generali Examine exprimens, nos admonet, ut abhorreamus *ab omnibus quae mundus amat et amplectitur.*

C. 4. n. 44.

Sanctorum enim virorum propria est rerum humanarum alta despectio. Omnia *arbitror ut stercora*, exclamat gentium Apostolus : *stulti haberi et existimari* pro Christro, tessera est S. Ignatii. Idem utrique propositum est; illi, ut Christum

Phil. 3, 8.

Ex. gen. c. 4. n. 44.

lucrifaciat, huic *indui eadem veste ac insignibus Domini*.

Sanctus autem Alphonsus tantam tam brevi tempore cum animi demissione assecutus est sanctitatem, quia normam vivendi non aliam sibi constituit, nisi eam, cui fidem olim obstrinxerat suam. Atque huic normae Societatis tam sanctae obsecutus, praeclaro nos erudit exemplo, posse, Deo iuvante, hominem adipisci hunc gradum sublimem animi demissionis.

eadem nobis discenda.

9. Quod si contingat fortasse paucis, ut tantam obtineant sui despicientiae laudem, sunt tamen in hoc genere faciliora, quae communes hominis religiosi vires non superant.

Quis enim cavere non potest, ne ingenio vel doctrina extollatur, vel optato rerum eventui nimium tribuat; ne elatio animi appareat vel aliorum contemptus, ne de se ipso quid praedicet gloriosius, aliorum vero gesta deprimat aut extenuet eorumque famam laceret? Quivis nostrum, si erratum a se quidpiam sit, id fateri et etiam in triclinio culpae reum se facere potest. Munera humilia pro Societatis more obire, subici disciplinae domesticae, obtemperare iis qui praesunt etiam infimis, errata ad eos deferri, arduum fortasse; attamen in nostra est potestate. Pueros et rudes docere, cum sit ex muneribus Societatis praecipuis, prompto quisque et alacri animo debet.

Nulla pars vitae nostrae expers esse potest animi demissionis. Vel enim in splendidis versamur officiis, vel in obscuris. Utraque Societati obveniunt; sed ita sunt obeunda, ut qui clariora exsequitur, ad obscuriora explenda sit aeque paratus. Illa elationem non raro pariunt, periculi plena sunt, falsamque inducunt opinionem, Societatis nostrae minimae proprium esse alta spirare dumtaxat, atque ea sibi prae ceteris Sacerdotibus iure quodam proprio vindicare. Quae opinio plurimum valet ad conflandam nobis invidiam. Atque utinam non valeret ad offendendam Maiestatem divinam! Certe molestiarum animi et sollicitudinum origo est bene multarum, quas nobis vel struimus ipsi vel accersemus.

Eadem in summum nos discrimen adducere potest. Non enim temere haec scripsit P. Ioanni Roderico S. Franciscus Xaverius : *Cave singularitatem affectes, ostentando te mundo et auram captando popularem ; quin potius ab omni ambitu celebritatis ac famae vanae abhorrere te demonstra. Multis e nostra Societate multum nocuit ista iactantia et studium arrogans singulariter eminendi. Multos e Societate dimisi ex quo e Iaponia redii, quia eos isto vitio inter alia infectos repperi. Attende tibi ac sollicite cave, ne quid committas ob quod tu quoque dimittaris. Ut ea, qua par est, animi demissione in Societate vivas, tecum reputa quanto tu Societate plus egeas, quam Societas te.*

E goano Coll.

Qua Indiarum Apostoli monitione alte animo nostro infixa, magis cum Fratribus nostris de humili Cruce Domini certabimus, quam de fama et clari nominis existimatione. Unde fructus emanabunt iucundissimi. Conciliant enim humilitas et modestia hominum voluntates, odia et invidiam a nobis amovent et, quod caput est, gratam Deo et amabilem reddunt Societatem. In animum vero nostrum pacem et animi laetitiam inferunt mirabilem, ut nullae nos sollicitent curae, nulli afficiant metus, timores nulli perturbent. S. Fid. XI Kal. Apr. 1552.

10. Hac pace et iucunditate caelesti potitus Alphonsus, mentem omni humana cura vacuam, ad divina totam transferebat. Et Deus, qui exaltat humiles et de quo scriptum est : *Cum simplicibus sermocinatio eius*, superno lumine recreavit animum aspernantem sui, et *qui docet hominem scientiam* tam alta, tamque mirabilia servo suo patefecit, qualia scripta S. Alphonsi testantur. Orationis gratia eum insignivit singulari, et participem fecit consuetudinis divinae usque eo, ut orando vivere et a contemplando summo bono avelli non posse videretur. Hac consecutus est S. Alph. familiaritatem cum Deo, Luc. 1, 52. Prov. 3, 32. Ps. 93, 10.

11. Contigit illi prospere, ut res divinas meditanti, mens vel voluntas a Dei praesentia et amore non aberraret, et luce veritatum caelestium perfunderetur copiosissima. In familiari cum Deo congressu dulces manabant lacrimae, et foras erumpebat mentis ardor incredibili intuentium stupore ac solacio. singulare donum orationis,

Quicquid temporis vacuum fecerat aliqua a munere obeundo cessatio, id totum in Deo cogitando et amando collocabat, atque ipsas muneris partes cum orationis studio ita sociabat, ut neque deesset officio ulla ratione, neque a Deo recederet, vel animum demoveret a colenda caeli Regina, suavissime solitus in Dei eiusque Matris amore unice conquiescere.

favores B. Virginis.

12. Pariter Immaculata Virgo animum eius solacio lenivit frequenter, difficillimis eius rebus praesto erat ad praesidium, mirisque et inauditis servum fidelem cumulavit favoribus. Unum refero admirans. Contigit viro beato, ut cum Patri domo exeunti datus fuisset socius, compareret Ipsa caeli Regina ac lasso ex via Alphonso benignitate materna detergeret sudorem. Fingite exsultantis animi laetitiam, cum gratiam iniret apud Matrem Salvatoris, gratiam dico, quam ne cogitare quidem umquam fuisset ausus. Sunt id genus gratiae non regibus et principibus, sed Dei servis humilibus constitutae.

P. Nonell, Vida de S. Alonso Rodr. cap. 21.

13. Sanctus vero Alphonsus hos caeli favores ardua et diuturna sui victoria sibi comparavit. Ingentem in orando molestiam sustinuit fortiter, nec ideo a pio hoc studio cessavit umquam, sed in eo, quot per officia licuit, extrahebat horas. Incredibile dictu, quanta sit passus ex vexationibus hostis generis humani, et quam constanti erectoque animo insectationes pertulerit.

14. Modum orandi a S. Ignatio, optimo parente nostro, praefinitum, et magni faciebat et accuratissimo studio exsequebatur. Quo id consecutus est, ut non modo pius esset ac deditus orationi, sed aliis etiam virtutibus praestaret omnibus, quae viros Societatis ornare debent. Pietatem enim ita coluit, ut vincere se ipsum posset, et vitae rationem a noxiis affectibus liberam instituere. Errant igitur ac vehementer errant, qui satis esse putant, si fundant preces, sibi vero non imperent, nec animum vincant suum, nec silentii legem servent, nec laboris nec disciplinae domesticae sint patientes. Omnino preces ad mentem S. Ignatii Deo non adhibent, qui cupiditates non domant, vitiosam naturam non comprimunt, sensuum licentiam non cohibent. Nec vero ab horum numero seiunguntur curiosi rerum alienarum inquisitores, iudices Superiorum, et laudum ac famae suorum Fratrum obtrectatores. In eodem genere sunt, qui intemperantia linguae serunt discordias, coniunctionem dirimunt, labefactant vel rumpunt fraternae vincula caritatis. Orando discere nos oportet oboedientiam, paupertatis studium, cupiditatum moderationem, demissionem animi, diligentiam in munere exsequendo, caritatem, patientiam.

Modum orandi tenens S. Ignatii, omnes virtutes adeptus est.

Exer. spir. S. Ign. Edit. Namur. 1841 p. 24.

15. Quae vero Dei gratia est, sunt, qui haec didicerint in Societate Fratres Adiutores non pauci, sunt, qui S. Alphonsi exemplo vivere optantes, pii et dediti labori, demisse admodum de se sentientes, viliora domi munera exsequi in deliciis habent, seduli cus-

Imitatores S. Alphonsi

todes silentii, paupertatis amantes, Superioribus magna religione obsequentes, iuvantes sese invicem magna caritate, reverentiam adversus Sacerdotes adhibentes. Iidem si deliquerint, erratis veniam poenamque poscere non praetermittunt. Plurimos memorant Societatis annales ex humili Fratrum Coadiutorum gradu, qui vel martyrum palmam, vel S. Alphonsum imitati, domesticarum virtutum laudem consecuti sunt immortalem. Hi vitae exemplo eximium Societati decus atque splendorem attulerunt; sibi vero quanta pepererint laudis insignia et ornamenta gloriae, dies aliquando ultima in lucem proferet clarissimam.

Hac etiam aetate nostra in eodem inservientium ordine viri conspiciuntur non pauci, qui divinae Maiestati famulantur alacres, dilecti Deo et hominibus, qui Societati plurimum afferunt utilitatis ad dandam expeditius operam saluti animorum.

quinam sint.

16. Hi vero quinam sunt? Illi scilicet, quorum delectus habitus est diligens et percautus, quos vita extra Societatem acta commendat, quosque antequam nomen darent Societati, Superiores cognoverunt ad virtutem esse propensos. Quod latere eos non potest, qui cum viris agunt frequenter, eos in sodalitates congregant vel sacris commentationibus exercent.

Sunt viri rite formati,

17. Solacio hi sunt Societati Adiutores, qui apti ad eam inventi, vitae religiosae principia edocti, iisdemque imbuti penitus, egressi e tirocinio non sunt,

antequam iis qui praecerant plane se probassent, quibusque postmodum animi cura in collegiis vel domibus non defuit. Tirocinii enim disciplinae animi cultus postmodum accedat necesse est, ex Superiorum Praefectorumque rerum spiritualium cura et industria. Qui si identidem eos ad se vocent, neque de domesticis solum rebus, sed de orandi studio, de modestia, de oboedientia, de paupertate, de silentio exigant rationem, si de sui despicientia et de rerum humanarum contemptu cum iis agant, si iis addant animum, eos solentur atque adhibeant iis curam, ex qua intellegant in Fratrum se numero haberi; optime profecto de Societate se mereri, penitus sibi persuadeant.

qui valde iuvant Societatem:

18. Sunt enim magno Societati adiumento Fratres praediti virtute. Hi ordinem domesticum mirifice sustinent, ac cura et labore, quae impertiunt nobis, alacritatem et vocationis fovent amorem, vitam communem tutantur et amoenitatem addunt domibus, ubi commoditati religiosae et iucunditati prospiciunt, ac desiderium amovent res ad vivendum vel necessarias vel utiles aliunde sibi comparandi.

hi vicissim iuvandi

19. Quare R. P. Mutius Vitelleschi : *Quanta possum,* ait, *cura affectuque commendo..... ut generatim induentes erga hunc gradum viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, ea caritate cum iis* (FF. Coadiutoribus) *agamus, quae debetur filiis eiusdem Patris, atque hominibus Deo dicatis, quibuscum illi Domino*

benignitatis significatione,

inservimus, apud quem non est acceptio personarum ; utque ab omnibus dictis, factis ac signis etiam abhorreamus, quae aliquam ipsis afferre possint acerbitatem, quae fiduciam atque amorem illum imminuant, quo erga alios in Societate gradus affici debent, quae denique ipsis de aliorum erga se aestimatione atque amore suspicionem iniciant.

Epist. ad Provinciales VI Kal. Iul. a. 1618.

officia eorum magni faciendo.

Instructio vero VIII admonet, ut *severe caveant Superiores, ne in suis ministeriis a ceteris contemnantur ; neque officia quae pro Dei amore exercent, illis a quopiam tamquam vilia et servilia obiciantur.*

Ipsis etiam FF. Coadiutoribus eadem Instructio persuasum esse iubet, quanti eorum officia facienda sint. Haec enim praecipit : *Curandum erit, ut intellegant* (Coadiutores) *quae in saeculo vilia aut etiam servilia iudicantur, ea magni momenti Deoque valde cara esse in Religione, quandoquidem propter Divinum eius amorem et oboedientiam fiunt.*

Haec magno in pretio sunt apud Deum.

20. Valde cara haec Deo sunt, quia humilia, quia in Religione fiunt, in statu qui perennitatem quandam habet, et quia Dei amore suscipiuntur. Gratiae singulares id testantur, favoresque eximii, ne dicam inauditi, quos Christus Dominus et sanctissima Dei Mater in S. Alphonsum contulerunt.

Quod testantur divi favores.

Non semel, sed frequenter Dei Filius et Immaculata Virgo in animo Alphonsi, tamquam in domicilio, sedem ita collocarunt, ut suavitate perfusus incredibili, sensum perciperet praesentiae Dei, et caeli

Reginae, non solum puncto temporis, sed diu, immo pluribus annis. P. Nonell c. 23 (Memorial n. 7)

Rogata ab eo Dei Mater, ut gratiam impetraret sibi, hanc saepe vocem mittere audita est : *Faciam, noli dubitare.* P. Non. ib. (Mem. n. 322).

Domina mea, fortunatos nimium, qui Te vident in caelo! Ita supplicanti adest benignissima Mater : *Et tu quidem,* ait, *videbis.* P. Non. (Mem. n. 147).

Pie precantem solata est aliquando caeli Regina his verbis : *Quantopere te amo, fili mi!* Quibus haud scio an quidpiam a Matre Dei possit audiri suavius. P. Non. ib. (Mem. n. 222).

Cum vero singularis ille amor, quem divinus Redemptor et purissima Mater S. Alphonso exhibebant, ei iniceret timorem, animum firmabat Mater amabilis, in hunc modum eum compellans : *Cur te non amem, qui me amas tantopere?* P. Non ib. (Mem. n. 161).

Miratus aliquando facilitatem, qua Beatissima Virgo suis obtemperabat desideriis, hanc audivit dulcissimam vocem : *Tu mihi es fidelis, cur non ego fidelis sim tibi*? P. Non. ib. (Mem. n. 205).

Hos tantos caeli favores vel explicare verbis vel cogitatione comprehendere quis umquam poterit? Ad Beatorum sedem translatum se quodammodo sentiebat Dei servus, cum tanta oblectationum copia cumulatum se intellegeret, quanta in mortali hac vita sperari non potest.

Qua autem via et ratione assecutus est, ut Dei Filius et Divina Mater tam plane tam aperte suum ei testati sint amorem?

Profecto non alia via quam illa, quam sedulo vitant atque declinant quam plurimi, cuius nomen ipsum horrori est permultis, ad cuius memoriam omnium pavet animus, quem non muniverint atque firmaverint ea quae tradita sunt nobis divinitus.

Fallacis enim honoris cupiditatem nobis ingenuit natura, fides autem est caelestis illa sapientia, quae gloriari nos docet in Cruce Domini Nostri Iesu Christi.

Et iure quidem merito in ea gloriamur. Crucis enim ignominia nobis aditum aperit ad aeternae, quae sola vera est, gloriae felicitatem. Etenim caelitum gaudia humilitatis sunt praemia.

Humilia munera sibi gratulatur S. Alphonsus.

21. In clarissima illa luce, in qua nunc versatur S. Alphonsus, humilem quam elegit vitae rationem sibi gratulatur. Nos autem cum in eum suspicimus, non possumus non reputare animo, quam recte senserit, quam sapienter fecerit, cum spreto honore ac laude hominum inani, non modo subierit patienter quae contemptum afferre poterant, sed ea subire voluerit, studiose conquisierit, ardenter a Deo et a Superioribus petierit, imploraverit.

O felix paenitentia, exclamat S. Petrus de Alcantara, *quae tantam mihi promeruit gloriam!* O felix animi demissio, triumphans exclamat S. Alphonsus, quae tantum mihi promeruit dignitatis splendorem!

Quis nostrum non vellet vitam exegisse humilem, ut tantae fieret particeps claritatis; abiectum se fuisse et contemptum, ut dulci, qua iam in hac vita mortali usus est Alphonsus, frueretur Dei et Immaculatae Virginis societate; munus obiisse vilissimum atque infima suis Fratribus praestitisse officia, ut aeternam, quae S. Alphonso obvenit, gloriae sedem obtineret?

Sunt haec sancta nostrum omnium desideria. Deus autem, qui miseretur *omnium* atque amat *animas*, *omnes homines vult salvos fieri*. Ea de causa haec Apostolus fideli populo nuntiat : *Servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam aeternam*. Sanctitatem quidem sequitur gloria, praecedit autem animi demissio, atque ita praecedit, ut sine hac sanctitas esse non possit.

Sap. 11. 24.

Ib. 27. 1 Tim. 2. 4.

Rom. 6, 22.

Cuius rei probe conscius S. Ignatius, hanc virtutem mentibus et auribus ita inculcatam voluit, ut nihil animi demissione magis esse in Societate necessarium omnibus persuaderetur.

22. Hoc primum est in nostro Instituto, hoc primum in ipsa formula Instituti, quae huius praeclari operis totius formam adumbrat. Prima haec vox est, qua evocamur ad vexillum. Neque enim ad honoris et vanae gloriae, sed ad Crucis vexillum invitamur. Sub Crucis autem vexillo, opinandum non est, nos ad ea tantum gerenda esse electos, quae grandia profanis hominibus

Ad humilia nos invitant Constitutiones nostrae.

esse videntur. Ut demisse de nobis sentiendum et loquendum est, ita nec abhorrendum a rebus humilibus. Quin etiam lex lata est Societati rerum humilium, rationis tum itinerum, tum vivendi generis totius, quae sit accommodata pauperibus. Ita pauperem, ita a rebus huius vitae vacuam se profitetur Societas, ut nequidem, quod pauperrimis licet, pecuniam apud se habere quispiam nostrum possit, etiam stipis erogandae causa. Paupertatis enim sub hoc Crucis vexillo pudere neminem decet. Paupertatem quidem spernunt profani homines, eamque magnopere metuunt. Eadem vero ita nostra est, ut in matris eam loco habeamus, nec umquam avelli nos ab eius amplexu patiamur.

Gignit enim paupertas atque alit animi demissionem. In hac autem colenda id spectant, id volunt Constitutiones nostrae, ut nos anteferamus nemini, sed omnes in animo nostro superiores nobis ducamus, atque inter religiosos ordines Societatem minimam reputemus, ut intra parietes nostros boni consulamus ab aliis corrigi, errata nostra deferri ad Superiores, quasvis adimplere paenitentias. Et vero eos, qui ad Societatem adiungi postulant, ita comparatos animo cupit S. Pater noster, ut iniurias tam domesticas quam extraneas ferre patienter velint. In Societate oboedire et humiliari quemvis exoptare, sibi persuadet S. Ignatius Sane, ut alia taceam, quis

Exam. gener. c. 4. n. 45.

rationem conscientiae, ut decet, reddere, quis nullam celare tentationem, quis facultates ab iis qui praesunt constanter petere, quis a litteris sine licentia vel mittendis vel accipiendis abstinere, quis extra domum actionum suarum testem socium habere, quis in rebus etiam minimis obnoxium se facere Superioribus, et generatim Regulis obtemperare poterit, nisi inimica legibus frangatur superbia?

Cum elatione animi consistere enim ea virtus non potest quae est propria Societatis, virtus, inquam, oboedientiae, quae lucere per se ipsa in Societate debet, et Patres Fratresque nostros, ubi in conspectum se dederint, spectatos probatosque reddere. Oboedientia nimirum hominem ita subicit alterius potestati, ut nihil sit, neque in mente, neque in voluntate legi non consentaneum. Itaque, ut oboedientia, ita humilitas ea virtus est, qua tamquam nota Societatis veram germanamque subolem distingui oportet. Quare si genuinus Societatis Iesu filius non est, nisi oboediens, consecutione necessaria dicendum est, ex hac Societatis sincera stirpe ortum non esse, qui non serio colit animi demissionem et, cum nulli societati magis quam nostrae necessaria sit oboedientiae virtus, nullam etiam minus quam Iesu Societatem posse animi demissionis esse expertem.

Profecto ut Societatis est dimicare sub Crucis vexillo, ita etiam ad Societatem spectat demisse

de se sentire, et in habitu oris ac vultus, in omni gestu atque sermone prae se ferre modestiam.

Ita sensit S. Ignatius, atque illa caelestia sensa hausit ex sacris litteris, quibus edocemur humilitate summam apud Deum nos gratiam consequi posse.

Quos enim salvos vult esse Deus? Respondet
Ps. 33, 19. regius Propheta : *Humiles spiritu salvabit*, idemque Dominum alloquitur fidenter : *Tu populum*
Ps. 17, 28. *humilem salvum facies*. Idem nos docet cuius oratio accepta sit Deo : *Respexit in orationem*
Ps. 101, 18. *humilium*. Ac fortis illa Iudith, quod ipsa est experta, ita testatur : *Humilium... semper tibi*
Iudith 9, 16. *placuit deprecatio*. Humilibus familiariter utitur Deus. Etenim *cum simplicibus sermocinatio*
Prov. 3, 32. *eius*. Deus *consolatur humiles*, teste Apostolo, et
2 Cor. 7, 6; Ps. 112, 6. *humilia respicit in caelo et in terra*. De vera autem eorum gloria, qui inanem ac falsam spernunt, haec habet Proverbiorum liber : *Gloriam praecedit*
Prov. 15, 33. *humilitas*. Ac S. Iob magno suo solacio didicit
Iob. 5, 11. illud : *Ponit humiles in sublime*. Ex quibus perspicuum est, quod habent Parabolae Salomonis : *Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia : ubi autem*
Prov. 11. 2. *est humilitas, ibi et sapientia*.

Quod pronuntiatum est a Deo, et approbatum est eventu in S. Ignatio. Parem mirandae humilitati adeptus sapientiam S. Parens, nullo subsidio tutiorem ac magis firmam fore Societatem censuit, quam animi demissione. Minimam idcirco

Societatem appellavit. Deus autem hanc minimam adeo suam esse voluit, ut eam augustissimo nomine Iesu adornaret. Obtemperando legi humilis Circumcisionis, tantum sibi nomen promeruit hominum Redemptor. Sui despicientia dignam divino nomine se probare enixa est Societas, neque umquam fuit clarior, quam ubi excelluit animi demissione. Tum enim moribus Christum Dominum maxime referebat, nomini suo vexilloque consentiens.

Frequens SS. Ignatii et Franc. Xaverii de animi demissione admonitio ;

23. Id praesagiebat animus tum S. Ignatio tum S. Franscisco Xaverio. Idcirco vehemens erat utriusque ac frequens admonitio, quae eam vim habebat, ut ad sui contemptum et oboedientiam Societatis filii prompti ac parati redderentur. Hinc praeclara primorum Patrum nobis lucent exempla : ardens rerum abiectarum studium, humilium officiorum aemulans ambitio, in erudiendis pueris ac rudibus exsultans alacritas, ac pietas in matrem nostram, paupertatem, et amor tantus, ut iter facere pedibus, habitare in publica pauperum domo, cibo uti egenorum, et in ipso Patrum Tridentinorum consessu vestibus attritis in conspectum se dare non dubitaverint. Tantumque afuit, ut ideo Societatis nomini aspergeretur macula, ut etiam gloriam haec consecuta sit amplissimam.

Hanc virtutem requirit aetas nostra.

24. Sed alia, dicet aliquis, vivimus tempora. Alia sane, mitiora fortasse ad speciem, re autem severiora ; ea ratione similia, quod hoc saeculo nostro non sit dispar arrogantia. Haec etiam nunc

se effert insolentius, et iis, quorum potestati subicimur, audacter insultat. Qui inanis gloriae appetitum sequuntur, nec rationi parent nec legi, neque intellegunt ad ipsam referri divinam Maiestatem, quicquid tribuitur vel detrahitur iis, quibus tamquam potestatis suae ministris utitur Dei providentia. Hominum sic errantium nunc formidolosus est numerus. Frequentissimi enim sunt, qui ea quae cupiditates coercent, iussa contemnunt, iisque extenuari iura queruntur, dum ipsi vim potestatis, quae ex Deo est, enervare quovis artificio ac debilitare non metuunt.

Illa quidlibet opinandi, iudicandi faciendique licentia ruere societatem omnem, convelli hominum coniunctionem atque everti necesse est.

eam commendant SS. Alphonsi et Ioannis exempla.

25. Cum vero Deus singulari nostram Societatem foveat amore, ne quae aliis exitio fuerunt, Ordinis etiam nostri labefactent firmitatem, providens eius sapientia duos Sanctorum catalogo ascribi voluit sodales nostros, eosdemque ad exemplum demissos animo obtemperantesque legibus. Haec duo sunt Societatatis sidera, insignia quidem omni virtutum splendore, ita tamen, ut in altero magis feriat oculos sui despicientia, in altero observantia fidelissima legum nostrarum.

Hoc tempore, hac aetate, haec astra illucescere Deus tanta claritate voluit, ut pateret quid placeat Salvatori divino in Societate nostra, quid ab ea requirat, quid postulet, quosnam Sodales nostros

suo nomine ac vexillo dignos iudicet ac diligat prae ceteris, quibusque quam simillimos esse exoptet filios Societatis omnes.

Caelitum honores hac etiam in terra delati nos admonent, ut nihil aeque necessarium Societati ducamus, ac reverentiam legum nostrarum atque animi demissionem.

Quae opinio firmissima apud nos esse debet, illa imbutos penitus nos esse oportet, illud persuasum sit omnibus necesse est, in his virtutibus colendis sitam esse salutem Societatis et incolumitatem.

Illud igitur certum deliberatumque nobis sit, sancti senis Alphonsi heroum laude cumulatum imitari sui contemptum, in Ioanne vero legem nostram spirantem quodammodo atque animam de sancto hoc iuvene ducentem tam pie sancteque colere, ut eadem lex, eaedem Regulae, vivere etiam in nobis ac vigere videantur.

II

S. Ioannes vitam agit caelestem

1. Caelum, credo, non terram, habitasse Sanctum Ioannem nostrum tum etiam, cum in custodia corporis innocens eius animus detinebatur. Nihil in eo puerile a teneris annis, nihil non ad modestiam gravitatemque compositum. Longe remotus a culpa, cuiusvis noxae pericula sedulo cavebat. Nulla sanctum iuvenem cura huius vitae rerum sollicitabat. Nullam mirabatur pulchritudinem, nisi

vel divina esset, vel animum raperet ad divina. Neque vanos honorum gradus cogitabat, nec incertas avebat divitias. Solius, quae ex virtute sponte sua enascitur, gloriae sempiternae desiderio tenebatur, neque ullas opes, nisi caelestes, appetebat.

in Collegio Societatis Belgico, in Tirocinio,

In disciplinam Societatis traditus, maiori etiam exarsit rerum divinarum studio, et cum in eam esset cooptatus, tanta edidit virtutum exempla, ut etiam tirocinii Praepositis esset admirationi, tamque immunem se praebuit culpae cuiusvis, ut centum, qui erant Mechliniae tirones, a Magistro rogati, nihil in eo deprehenderint Regularum normae non consentaneum.

et Romae inter Scholasticos.

Romam deinde missus cum esset, quantumvis magna de eo fuerint nuntiata, omnia tamen, cum advenisset, re quam fama maiora videbantur. Angeli speciem, Aloisii redivivi effigiem offerebat. In omni enim habitu, gestu ac sermone ita sibi imperabat, ut nihil nisi religione plenum prae se ferret et angelorum more a Deo animum numquam avertere videretur. Tam placida in sereno vultu tranquillitas apparebat, ut inhabitantem in animo Deum facile agnosceres. Mira simul in eo inerat suavitas morum, quae caelitum magis, quam hominum, referebat imaginem. Haec tamen non oberat, quominus, si quid contra Regulas vel Superiorum iussa fieret, id sibi displicere, virili fortitudine declararet. Iuvenum animos rara, insueta et quae curiosa sunt,

vehementer allicere solent. Sanctus vero Ioannes ea studiose cavebat, ne quid inde detrimenti caperet et coniunctionis cum Deo faceret iacturam.

Sanctitatis laudem conciliat

Quo vivendi genere eam brevi consecutus est sanctitatem, ut eorum, qui spectatores erant eius virtutum, in se oculos, venerationem, amoremque converteret. Quisque enim, quantumvis gravis aetate, id sentiebat in se, sanctum hunc iuvenem eum iam adeptum esse perfectionis gradum, ad quem veterana et emerita multorum annorum virtus aegre aspiraret.

2. Unde vero tam brevi, tanta Ioanni sit facta sanctimoniae accessio, notissimum est. *Quomodo dilexit legem tuam Domine!* Haec pia erat obsequentis animi affectio. *Tota die meditatio mea est*; hoc propositum, hoc susceptum eius consilium. Cum regio Propheta spondere Deo de se potuit : *Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis.* Libellus Regularum erat ei carissimus, hunc meditabatur assidue, et eos qui praeerant adhibuit legum nostrarum interpretes.

Ps. 118. 97.

Ib.

Ps. 118, 105.

Quare non temere affirmare quis poterit, vitam eius integerrimam laude ornatam esse triplici : sancti iuvenis ipsius, sancti Instituti nostri, et sapientis ac sanctae rectionis eorum, quos Ioannes nactus est Superiores.

3. Quod ad virtutes ipsius attinet, quae iam dicta sunt eximias eas fuisse satis demonstrant. Ad institutionem tamen nostram interest, quae mirabilia in eo apparent attentius intueri.

1. *Sibi ipsi*,

vita interiore,

4. Vitam in primis, quam interiorem dicimus, colere, in deliciis habuit. Eam intermitti a se vel conquiescere nulla ratione est passus, et quicquid operis faceret foris, intus a Deo non recedebat. Agebat quae illi cum sodalibus erant communia, sed Deo placendi studio, non communi, ditare suam operam noverat eamque insignire, ut magnae apud supremum iudicem esset aestimationis.

solitudinis amore,

5. Gratiam ita in dies maiorem apud Deum inibat, et ut in coniunctione cum Deo intima ducere vitam posset, solitudinem praecipue adamabat, sibi gratulari solitus, quod per annos cum ceteris vel tironibus vel scholasticis seorsum sibi esse liceret.

Ex. spir S. P. N. Addit. 20.

Quanto se magis, ait S. Parens Ignatius, *reperit anima segregatam ac solitariam, tanto aptiorem se ipsam reddit ad quaerendum attingendumque Creatorem.* Legit haec S. Ioannes, nec legit tantum, verum alte ea infigebat animo et quod ita didicerat, opere complevit.

ad exemplum

Amabo cellam; hoc erat ipsi, ut eius scripta testantur, firmum ratumque; ab hoc proposito non declinabat. Mirifice enim consentiebat cum S. Bernardo, qui in epistola ad Fratres de Monte Dei solitudinem cum caelo comparat. *Cellae et caeli*, inquit, *habitatio cognatae sunt... A cella in caelum saepe ascenditur, vix autem umquam a cella in infernum descenditur.... quia vix umquam aliquis nisi caelo praedestinatus in ea usque ad mortem persistit.*

Ad Fratres de Monte Dei.

Haec sententia est summi viri, qui aetati suae potis-

simum profuit, qui principum, regum, episcoporum controversias diremit, qui profligavit haereses, pacem S. Ecclesiae reddidit, bellum infidelibus suscitavit.

Cum tantum intersit ad beatitudinem nostram solitudinis amor, nemo mirabitur, hostem generis humani ab ea timere sibi, vitamque solitariam aspergere mendaciis. Miserationem simulans, mentem in solitudine obtundi dolet, atque hebetari ingenia, vim fingendi atque imaginandi languere, dedisci mores urbanos et civiliter perpolitos. Haec queritur; tacet vero iste, vel ipsos falsi numinis cultores, qui in summorum virorum numero habebantur, alios laudasse solitudinem, alios adamasse.

Publium Scipionem Cato ita loquentem facit : *Numquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus esset.* Haec digna censuit Cato, quae posterorum memoriae traderentur, et Marcus Tullius eadem narrans, exclamat : *Magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna.... duae res, quae languorem afferunt ceteris* (fortasse minus sapientibus), *illum acuebant, otium et solitudo.*

De offic. 3, 1.

Quanto magis acuere illa debent nos, qui partem aliquam vitae solitudini mandamus ac tenebris, non quietis amore, sed gloriae Dei provehendae studio! Operam enim daturis illi rei, quae est omnium divinarum divinissima, faciendum est, ut divina illa vis, quae salvat animas, illabatur in animum atque

influat, instrumentumque, ut Sanctus docet Ignatius, cum Deo coniungat. Ad finem enim *auxilii animarum... quae cum Deo instrumentum coniungunt.... efficaciora sunt, quam quae illud disponunt erga homines.* In illa ergo potissimum cura et labor impendenda sunt. Quorum praecipua censentur a Sancto Patre nostro, *caritas et pura intentio Divini servitii et familiaritas cum Deo... et zelus sincerus animarum.*

Const, p. 10. n. 2.

Ib.

Hisce praesidiis ad omnia summa homines instituuntur. Inter omnia vero summa nihil est expetendum magis, quam gloria Domini nostri, ad quam provehendam Deus seorsum a multitudine erudire hominem ac facere idoneum solet.

Sanctorum,

6. Latuit Moyses, antequam populum electum vindicaret in libertatem ; latuerunt venerandi viri Prophetae, qui e solitudine prodierunt ad nuntianda populo iudicia et misericordiam Domini ; latuit fortis illa Iudith, quae *in superioribus domus suae fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.* Latuit magnus Ioannes Baptista, *vox clamantis in deserto*, de quo canit Ecclesia : *Antra deserti teneris sub annis, civium turmas fugiens, petisti.* Latuit Virgo Immaculata ; solam invenit caeli nuntius futuram Dei Matrem, ac tacitae solitudini mandatum est magnum mysterium, quod nuntiari postmodum toti oportebat terrarum orbi.

Iudith. 3. 5.

Matth. 3, 3.

Brev. Rom. d. 24 Iun. ad Matut.

et Ipsius Christi Dom.

7. Quod vero maxime mirandum, latuit ipsa

Divina Sapientia, latuit annis triginta, latuit in carne et etiamnum latet, Deumque ac Hominem in solitudinis silentio delitescentem ita precatur Ecclesia : *Adoro te devote, latens Deitas, quae sub his figuris vere latitas.*

Orat. post. Miss. Rhythmus S. Thomae ad Sacr. Euch.

Sapientiae igitur Divinae consentaneum fuit remotam ab hominibus externis vivendi necessitatem, eandemque diuturnam, Societati imponere.

8. Quare dubitandum non est, quin Deo hortante S. Ignatius longam annorum seriem virtutibus et scientiae colendis constituerit : virtutibus quidem praecipue, quia *cum Deo instrumentum coniungunt*, scientiis vero, *quia instrumentum in proximorum utilitatem disponunt.* Virtuti ac scientiae acquirendis prodest sane familiaritas cum Deo, obest vero frequens cum hominibus externis consuetudo. Longam in hoc utroque genere institutionem suadet etiam ea ratio, quod constat, viros doctrina insignes simulque integritate vitae conspicuos praeclariora ad Dei gloriam conficere tempore brevi, quam longo annorum spatio eos, qui modice tantum virtutibus et scientiae operam dederint.

Haec exempla secutus S. Ignatius, solitudinem praefinivit Scholasticis

Const. p. 10. n. 2 et 3.

Vellem equidem consolari desiderium, quo Scholastici nostri laborant, navandi quam primum curam et studium gloriae Dei hominumque saluti ; vellem eximere carissimis Fratribus eam molestiam, quam gignere solet vita solitaria. Sed eam levat S. Ioannis exemplum, qui solitudine

mirifice delectabatur, eamque leniunt dulces illi fructus vitae internae, coniunctionis cum Deo, pacis animi, modestiae, doctrinae atque efficientiae et facilitatis traducendi homines ad vitam emendatiorem, quos seorsum a turba et frequentia percipimus. Qui fructus abunde solacia humana compensant.

temperatam solaciis, domesticis

9. Sed neque his caremus. Filiis enim Societatis utimur benevolis ac domesticis, quorum consuetudine haud scio an alia sit, non solum ad pietatem, sed etiam ad cultum et doctrinam utilior atque ad vitam agendam iucundior.

Fraterna cum iis necessitudine sanctissime iungimur. *Fratres mei sunt :* ita respondit S. Ioannes interroganti, quare tam amanter salutaret etiam eos sodales nostros, quos ne de facie quidem novisset. *Fratres mei sunt.* Grata sane vox atque a fide profecta, quae sincerum amorem demonstrat pietatemque in Societatem. Hanc in matris loco cum haberet, etiam filios tenerrimae parentis colebat religiose et amabat prae ceteris hominibus. Quare nihil ei ad beate vivendum defuit domi, ubi et famulari Deo ei licebat et traducere vitam cum Fratribus, in quibus Filium Dei Christum Dominum agnoscere studebat.

Atque ipsi vicissim sodales in deliciis eum habebant. Cum enim vident Fratres nostri eorum in primis nos delectari consuetudine, agnoscunt caritatem, eam sentiunt atque ita afficiun-

tur, ut iucundam in Societate mansionem sibi non possint non gratulari.

10. Sedulo autem curant nostrae Constitutiones, ut haec inter nos caritas retineatur. Cum vero coniunctionis vincula saepe laxentur inter absentes, statuunt, quam plurima nobis esse oportere communia, ut cibum, potum, recreationes. Et cum sint, qui remissione animi indigeant longiore, eam decernunt esse debere cum Fratribus. Indigent autem hac cessatione Scholastici in primis, Magistri et Lectores, quorum mentis contentio et acrior est et cotidiana.

His ruri esse, cum vacant scholae, conceditur. Attamen ea lege, ut *in villa obseratae fores sint, ne liber sit exitus.* et religiosis.

Ordinat. general. c. 14. n. 1.

Quod honestatis quidem causa praeceptnm traditur, et ut consociati sint Nostri, atque iisdem una et communis sit animi relaxatio; verumtamen etiam ratione caritatis.

Ordinatio XIV clausuram, ut loquimur, praefiniens, potestatem simul adimit ei qui domui praeest, permittendi ut quispiam *externorum villas, licet propinquorum, adeat.* Religiose enim magis cum Fratribus nostris, quam cum aliis, recreamur ; nec conveniens est, nos pluris facere videri hominum consuetudinem externorum, quam Fratrum, qui nobiscum Domino Deo se suaque omnia addixerunt. Ib. n. 3.

11. Ratione, non sensibus, fide autem potissi- Ex fide vivit S. Ioannes;

mum, vita nostra regenda est. Fide vero intellegimus, Fratrum caritatem a caritate Dei ortum habere, atque ad eam ita referendam esse, ut amor, quem Fratribus exhibemus, Deo potius impertiatur quam hominibus. Quo fit, ut amorem temperet reverentia, et ut id assequamur, quod scriptum reliquit S. Ioannes : *Nulli ero familiaris*

Cepari p. 2. §. 7.

Mirandum sane in motus animi imperium, et quidem ea aetate, quae ut viribus floret, ita procul abest a maturitate consilii.

perfectione eminens.

12. Sed quid non est mirandum in iuvene, cui nulla umquam virtus defuit, cuiusque nullum umquam vitium cognitum est etiam ab iis, qui acrius et acutius errata detegere solent?

Qui praefuit disciplinae domesticae in Romano Collegio de S. Ioanne scripsit, nullo tempore se quicquam in eo vel vidisse, vel de eo audivisse ab aliis, quod minus perfectum esset; contra quicquid egisset, pietatem spirasse mirabilemque sanctitatem. Quod idem alii sacramenti religione confirmarunt. P. Thomas Bisdomini, vir gravis doctusque dedita opera explorabat, an notare naevum in eo vel minimum posset. Verum nihil visum ab eo umquam fuit, quod consentaneum virtuti non foret. Tantam tam brevi tempore consecutus est sanctitatem, ut omnibus numeris absolutus appareret. Quanti laboris hoc sit, quantaeque fortitudinis animi, hoc ii norunt, qui perfectionis semitam studiose ac constanter persequuntur.

Fieri tamen Deo iuvante id posse, in sancti huius Fratris exemplo ante oculos est. Demisso igitur animo gratiam divinae Maiestati persolvamus cumulatissimam, quod Societatis filium esse voluerit, qui documenta daret tam mirabilis sanctitatis.

2. *Societati* laudem conciliat,

13. Haec immortalem S. Ioanni gloriam, nobis domesticum attulerunt splendorem. Sunt enim quae pie sancteque gessit Ioannes, laudis ipsius, sed etiam sanctitatis Instituti nostri monumenta. Ex Instituto enim nostro integerrimam didicit vitae rationem, qua rite cognita et perspecta, Christi Vicarius caelitum Sanctorum eum numero inseruit. Praeclare sensit de Instituto nostro et tanti fecit regularum librum, ut moriens eum teneret manu et, quantum in ipso erat, inferre illum in caelum velle videretur. Intulit autem in gloriam aeternam eximiam de Constitutionibus nostris opinionem, amorem earum verissimum, gratumque animum erga Societatis Iesu conditorem S. Ignatium.

mori potius, quam minimam regulam praeterire paratus,

14. Non aliam quam Constitutionum nostrarum viam persecutum esse S. Ioannem, ut tantam apud Deum laudem obtineret, res est tam certa, tam cognita, ut ne recensenda quidem esse videatur. Fuit hoc ipsi adeo firmum, ut staret sententia, ardua subire quaecumque, exhaurire molestias et aerumnas, mori etiam potius quam a regula deflectere vel minima.

Proposito sibi divini Salvatoris exemplo, statuit

Matth. 3, 15.; Cfr. Cepari p. 2. §. 6.

implere omnem iustitiam. Movit eum vehementer amor Christi Domini, cui gratissimam in primis fore fidelitatem in regularum munere exsequendo confidebat. Movit amor Societatis, quem opere testatum voluit, non laudibus tantum iis quae speciosae verbis, re autem inanes agnoscuntur. Movit ardentissimum sanctitatis desiderium, quam nulla breviore via, nulla magis secura quam regularum, consequi se posse persuasum habebat.

Quare ut sanctum suum animum redderet in dies sanctiorem, legum nostrarum iussa ne minima quidem praeteribat. Sunt autem haec sapientissima tum de oratione et coniunctione cum Deo, tum de omni ratione vivendi in Societate.

Regulis orandi,

15. Orationi apprime deditus cum esset, modum a S. Parente traditum tenebat magna religione et constantia, ac Deum precandi methodum vitabat singularem nobisque insolitam. Accurate servabat, quae aureus Exercitiorum liber nos edocet, quaeque mirifice iuvant tum coniunctionem cum Deo, tum conscientiae puritatem. Atque hac via id assecutus est, ut animum libens transferret in Deum, atque vicissim Deus liberaliter ac prolixe illi se impertiret. Plurimum igitur in omni virtutum genere proficiebat; qui fructus esse debet piae, germanae ac solidae precationis. Quam qui deserunt, non raro, pii viri dum speciem prae se ferunt, proprio ducuntur sensu, sibi obtemperant; oboedientiae vero, ut par est, rationem

non habent, reliquas virtutes ita colunt, ut religiosi fortasse homines, sed alieni, non de Societate esse videantur.

16. Sanctus vero Ioannes, ut munera pietatis, ita etiam sui gradus officia explevit ad normam legum nostrarum. Studiis litterarum cum operam navaret, quamvis acri esset ingenio, diligentiam tamen adhibuit singularem, tantamque quantam in nullo discipulo se vidisse testatus est P. Franciscus Piccolomini. Neque in legendo vel studendo suo ducebatur arbitrio, sed minimis etiam in rebus magistrorum obtemperabat consiliis. Singulari enim adversus eos qui eum erudiebant, semper erat observantia. Regulis officii obtemperat.

Superioribus vero ita se probabat, ut non solum regulis pareret studiosissime, sed mandata omnia religione summa persequeretur. Solebat ea quae in triclinio dabantur praecepta, chartae committere, saepe eadem in memoriam reducere, ne peccandi periculum inferret oblivio.

Hac diligentia, hac assiduitate omnes omnino partes implevit officii tum hominis religiosi, tum Scholastici Societatis.

17. Neque ullo id negotio consecutus est. *Minima* enim *maxima fecit*, et constitutum plane habuit *sequi in omnibus communitatem et maxime odisse singularitates*. Ea res quantum habeat difficultatis, fateri non dubitavit. *Mea paenitentia*, dicebat, *maxime est vita communis* Imitatores Vitam communem sequitur; Cepari p. 2. §. 11. Ib. Ib.

tamen nactus est praeclari huius exempli non veteres tantum, sed quae Dei gratia est, etiam recentiores. Licet enim cernere etiamnum de Nostris, qui vel paupertatis, vel oboedientiae, vel animo suo moderandi studio ab iis quae communiter pie et ex ordine fiunt, a victu, vestitu et ab omni vita communi nonnisi iussi a superioribus, vel viribus fracti discedunt.

censet esse pestem immunitatem legum.

Ib. §. 6.

18. Sanctus vero Ioannes in tuenda auctoritate legum tam offirmato erat animo, ut memoranda haec verba scripta reliquerit : *Odisse ut pestem dispensationem a regulis.* Haec immunitas, si frequens, initium est ruinae ordinum religiosorum. Vim enim, quam adimit legibus, licentiae tribuit.

Graviter quidem non tamen temere, sed sancte et sapienter locutus est Beatus Ioannes.

Pestem appellavit eam solvendi legibus facilitatem, quae cum deest iusta illius petendae causa, ad sui ipsius amorem tamquam ad originem revocanda est.

Pestis odio dignam eam appellat, quia, ut regularum commune studium addit animos omnibus, ita paucorum immunitas facit ut multi gravius ferant onera legum.

Pestis nomine appellat, quia dum exstat illa lenitas, qui fidenter atque audacter agere norunt, gaudio triumphant ; maerent autem viri modesti atque amantes ordinis ac disciplinae.

Pestem appellat, quia invitat inconsiderata illa clementia ad machinanda artificia, quibus commoda commodis addantur.

Pestem appellat, quia aliis virtutem infirmat, aliis perniciem affert et vocationis divinae iacturam.

Pestem appellat, quia, si sit frequentior, nervos incidit religiosae disciplinae. Etenim obest illi constanti, in qua tota vis legum posita est, exsecutioni. Silent enim leges, quae non servantur, nec illae quempiam movent, quae reconditae sunt. Ipsa etiam prava nostra et bellatrix natura facile patitur eas esse in codice Instituti, nec querelarum ideo concitat tempestatem. Id vero aegre sustinet, si vivere incipiant leges, vel mortuae revocentur ad vitam. Quare, si levi de causa legibus solvendi sit consuetudo, eae, quas latas esse constat, fere languent perpetuo vel iacent; quae vero iterum vulgatae reviviscunt, vix natae suffocantur, et antequam tentata sit earum observatio obruuntur querimoniis, vel tacendo nihilque agendo sepeliuntur. Tutae igitur sunt violationes legum; tuti abusus, nec tolli poterunt. Haec si accidere in re publica cernimus, ne in religionem quoque irrepant, omni cavendum est contentione.

Quare si sapientissimi iuvenis imitatores esse cupimus, odisse ut pestem debemus, quaecumque Instituto nostro sunt aliena. Vota Deo fecimus; odio igitur haberi oportet, quicquid eis pe-

riculum afferre potest, odisse nos oportet quae sunt inimica paupertati, quae oboedientiae obstant, quae Societatis famae detrimentum inferunt, odisse ut pestem otium et itinera non necessaria, odisse ut pestem quaevis mira, rara vel singularia videndi et audiendi aviditatem, et quaecumque ad delectationem tantum sensuum faciunt et quibus Const. p. III. c. 1. n. 4. interdictum est gravibus hisce verbis : *Omnes diligentissime curent portas sensuum suorum, oculorum praecipue, aurium et linguae, ab omni inordinatione custodire.*

Const. p. 3. c. 1. n. 4.

Non qualicumque modo, sed *diligentissime* id curandum esse a S. Ignatio praecipitur. Cui praecepto certo consentanea non est eorum opinio, qui sentiunt, nobis etiam nota et explorata esse oportere omnia, quae a profanis hominibus honeste spectari vel audiri posse videntur.

Sensuum licentiam frenat.

19. Quicquid oblectabat oculos, mulcebat aures, sedulo vitabat S. Ioannes, linguam vero diligentissime continebat. Quod si vires superat multorum, omni tamen ope et opera, dulcissimi Salvatoris nostri amore, enitendum est hominibus mundo crucifixis, ut ad praeclarum hoc exemplum accedant. Spirituales enim, ut loquimur, esse volumus. Mundana igitur repudianda sunt et caelestia nobis proponenda. In terram ferimur pondere naturae, et qui virtute vivunt modica contenti, metam attingunt virtutis nequidem mediocrem.

Gratulor autem Societati, esse in ea quamplurimos disciplinae non solum patientes sed studiosos, regularumque sedulos custodes. Hi singularia non appetunt, horrent quae mundum redolent, sedulo vitant inutiles hominum externorum aditus sine teste et inutiles congressus, eos praesertim, quibus per decreta prohibemur, horrent quae necessaria non sunt itinera, sermones fructu vacuos, familiaria per litteras colloquia, visere parentes, morari extra domos animi causa.

Congr. 20. decr. 12. et Congr. 23 decr. 40.

Hi ut pestem oderunt eam libertatem, qua lege soluti pro arbitrio vivere possint.

Incidunt tamen causae, ob quas immunem fieri a regula aliquem oporteat. Quod evenit, cum rationes sunt iustae, adeo ut non adimatur legi reverentia, sed potius odium depellere a lege, quae secus durior esset, quam legem ipsam infirmare videamur.

Mala etiam tolerari nonnumquam necesse est, nec ii qui praesunt ulcisci omnia queunt, quae ordinem turbant. Qua in re sapienter, ut solet, Leo XIII : *Quanto plus*, ait, *in civitate mali tolerari pernecesse est, tanto magis distare id genus civitatis ab optimo.* Nostrum autem est facere ut quam minimum mali sit tolerandum. Quid enim ad salutem nostram interest magis, quam obtemperando regulis parere Dei voluntati, exemplo esse sodalibus, angores levare superiorum, quibus est curae religiosa disci-

Litterae Encycl. de lib. hum. Edito Rom. p. 34.

plina, et quibus patres cum sint, tristitiam inferre sibi subiectis, negando quod cupiunt, sane molestissimum est.

Non facile petit facultatem generalem.

20. Magnopere sanctus iuvenis cavebat, ne iis qui praeerant vel levissimam exhiberet molestiam, usque eo, ut ne quidem eas facultates, quas dicimus generales, facile peteret. Principii enim loco sibi statuerat illud : *Non facile petam facultatem generalem pro aliqua re.* Sapienter maioris ad sancte vivendum momenti esse duxit, carere agendi libertate, quam ea ad mensem, more nostro, vel ad annum donari.

Cepari p. 2. §. 6.

De testimoniis, id est de lege Domini, regius Propheta pie aiebat : *Exsultatio cordis mei sunt.* De Societatis institutis S. Ioannes candide fatetur : *Mea delectatio sunt regulae, exercitia et vitae nostrorum Beatorum.* Oh vere beatum, quem aliae non tangunt illecebrae ! Illa vero eius delectatio quantum profuit ipsi et quantum prodest Societati, tam sanctum iuvenem haec, quae sensit de Instituto nostro, protulisse in lucem ac testatum esse, summum se iucunditatis fructum percipere ex iis quae totam vitae nostrae continent rationem !

Ps. 112, 111.

Cep. p. 2. §. 11.

Ioannes nostro Instituto sanctitatem, Institutum Ioanni laudem sanctitatis debet.

Haec tria, Regulae, Exercitia, Beatorum nostrorum exempla ad Sanctitatis culmen eum evexerunt, et ipse vicissim eadem tria, Regulas, Exercitia, et exempla Beatorum, id est nostrum vitae institutum, sanctitatis laude decoravit.

3. Laudem

21. Summa sane laus ei debetur a nobis. Sed

eadem laus in eos quoque redundat, qui S. Ioannis fuerunt tam Mechliniae quam Romae superiores.

Ioannes etiam conciliat *Superioribus.*

Erat illa aetate lecta in Societate iuventus, multique in Belgica et Romana Provincia adulescentes nostri praeclaro ingenio, omni virtutum genere florebant. Disciplinae ac legum vigor iungebat animos, et obtrectationum morsus et aculeos arcebat, familiaris vero cum Deo consuetudo miram afferebat communi Nostrorum vitae iucunditatem.

Quis neget, superiorum in primis studio atque opera, in hac valle lacrimarum caelitum quodammodo paratum hoc esse domicilium ? Omnis enim beatitudinis nostrae fons atque origo in legibus, tota vis legum in superioribus est.

22. Magistratum veteres legem esse loquentem dicebant, legem autem mutum magistratum. Regulae nostrae sunt quidem magistri, qui ad omnem eruditiunt pietatem perfectionemque, sed taciti tantum. Ut loquantur, superioribus opus est. Ili vero cum non verbis tantum, sed re etiam loquantur atque exemplo, optandum est ut qui praesunt legum similes sint. Animatae autem Regulae ii videbantur, qui fuerunt S. Ioanni moderatores.

Tull. de leg. 3, 1.

Qui praesunt, legum similes sint oportet.

Plato, tum denique fore beatas res publicas putavit, si aut docti ac sapientes eas regere coepissent, aut ii qui regerent omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent. Vera autem sapientia altissima sapit atque complectitur. *Ecce*

Tull ad Quint. fr. 1, 10

timor Domini, ipsa est sapientia; et recedere a malo intellegentia.

Iob. 28, 28.

Fuerunt tales S. Joanni moderatores.

23. Hanc sapientiam nacti Ioannis moderatores, a Deo movebantur et vim a Deo profectam, qua regebantur ipsi, sibi subiectis impertiebant sodalibus.

Neque desunt nostrae aetati.

At vero cum tantum tribuo priscis moderatoribus, nemo reputet excidisse mihi ex animo, quam bene meriti sint quam plurimi, qui hoce nostro tempore Provinciis, Collegiis, Domibusque vel praesunt, vel praefuerunt. In magna enim rerum vicissitudine, calamitoso tempore ac perturbato ordine, nec sibi defuerunt nec aliis, ac vitae sanctioris studia tum opere et exemplo, tum monitis et hortatione incenderunt. Omne suum tempus et laborem Fratribus suis impenderunt multi, nec usi sunt ea libertate, quam offert ipsum eorum munus, ad indulgendum genio, vel ad obsequendum suis desideriis.

Saepe mecum reputo multorum qui superiores sunt laborem improbum et curas, quae animo tranquillo consistere eos non sinunt ; tot negotia, ut neque diem agere possint sollicitudine vacuum, neque horae spatio quiescere a molestiis.

Haec cogito commiserans. Perfundor tamen solacio, cum subit animum recordatio promissae a Deo mercedis, et cum occurrit divina illa fidelis servi ad gloriam sempiternam invitatio : *Super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.*

Matth. 25, 21.

Iuvantur in gubernando

24. Quod ego praemium cumulatissimum om-

nibus exopto, iis nominatim, qui in partem aliquam curae vel disciplinae Fratrum nostrorum vocabuntur; eaque de causa capita quaedam duxi recensenda, quae leges nostrae ad moderandos, ut par est, eos qui sunt de Societate suppeditant.

Horum primum illud est, quod ad rerum divinarum studium pertinet. Corpus quidem nostrum et sensus temporalia pascunt et caduca; animum vero alunt atque nutriunt sempiterna. Quod si rerum huius vitae cura viros postulat, praeditos ingenio, qui assiduum in eam impendant laborem, quanto magis providendum est de animi et conscientiae moderatoribus, qui scite ac studiose tanti momenti munus exsequantur? oratione,

Praecipuus in ea re superiorum sit labor. Ipsis quidem, si sint provinciis Praepositi, hoc caput esse debet, ut *Provinciam... in acquirenda perfectione... promoveant;* non modo qualicumque, sed ad *proprii Instituti rationem et regulas.* Spiritualis enim aedificii potissima cura est habenda. Reg. Provincialis 2,

Praeposito domus professae secunda, eademque Rectori prima statuta est regula, ut *primam officii sui curam in eo positam esse intellegat, ut oratione et sanctis desideriis totam domum velut humeris suis sustineat.*

Professorum, qui facultates superiores docent, *feratur... peculiaris intentio... ad auditores suos ad obsequium et amorem Dei ac virtutum... movendos.* Reg. comm. omn. prof. sup. facult. 1.

In classibus inferioribus *adulescentes, qui in Societatis disciplinam traditi sunt, sic magister instituat, ut una cum litteris mores etiam christianis dignos in primis hauriant.*

Reg. comm. prof. class. infer. 1.

25. Summi momenti hoc humaniorum litterarum et grammaticae magisterium est. Sed *nobilius maiorisque momenti* munus est Praefecti rerum spiritualium, *quia basis et fundamentum est alterius.* Quare huic muneri adhibendi viri non sunt nisi aptissimi. Neque enim satis est ad alia parum esse utilem, ut quis illi officio vacet. *Ingens* est *error*, ita Instr. x, *quemlibet mediocri probitate, mediocri prudentia, recto tantum studio instructum, propensaque ad virtutem voluntate, ad tantum munus idoneum iudicari.* Contra eligendi *silentii et secessus amatores, orationis et divinae contemplationis studiosi. Neque cuiquam otiosa res videri debet... vel si cum aliquo... incommodo id fiat, navum aliquem hominem a ministeriis aliis clarioribus cessare... si quidem aliorum omnium manibus, qui ab ipso promoti dignos se praebent Societatis administros, operatur.*

Instr. x. n. 4.

industria rerum spiritualium Praefecti,

idonei,

Ib. n. 3.

Ib. n. 5.

Ib. n. 6.

rite formati;

26. Qui vero electi fuerint, *aliquas exercitationes ministeriaque, laboris quidem, humiliationis utilitatisque maioris, occupationis tamen et illecebrae minoris assumant; cuiusmodi sunt carcere detentos, hospitalia, aegrotos invisere, aut breves aliquas subinde obire missiones : sed certis, quibus-*

cum usum habeant, nullis addicantur paenitentibus; feminis vero, cum quibus nimium plerumque est negotii, multo minus. Nam rei spiritualis Ib. n. 10.
magistri non doctrina solum et monitis, sed exemplo etiam et opera eam viam debent spiritualem commonstrare. Haec, ut sunt in Instructione x et Ib.
in Superiorum ac Professorum regulis, proferens, facere non possum, quin rerum spiritualium Praefectos obtester, ut secum reputent crebro, quanti sit momenti munus a Deo Domino nostro ipsis concreditum et quantum conferat ad Societatis incolumitatem, ut ipsi in dies ad illud fiant aptiores, et ut luceat eorum exemplum sodalibus. Ipsis quidem reverentiam exhiberi aequum est; eandemque sibi conciliabunt, si prae ceteris oboedientes, demissos animo, amabiles, ut habent eorum regulae, se praebuerint omnibus, et eorum qui praesunt tutati fuerint auctoritatem.

Amanter quidem, sed etiam sine timore humano, hortari, instruere, admonere debent et curam gerere Fratrum Adiutorum peculiarem. Tam ab his, quam ab aliis, ratio petenda est orationis et virtutum quibus dent operam, caritatis in primis et oboedientiae. Omnino curandum ut omnes magni faciant Institutum, orandi modum S. Ignatii retineant, et cognitum habeant librum Exercitiorum. Summopere vero caveant, ne peregrina quaedam et aliena ab Instituto in Nostrorum animos influat pietas. Qua etiam in re valde memores

esse cupio delectationis, quam Sanctus Ioannes petebat, non ab orationis sublimitate, quae paucorum est et sibi praefidentibus periculosa, sed ab exercitiis S. Patris nostri, a regulis et a vita Beatorum nostrorum.

iuvantur Exercitiis S. P. N.

27. Et cum de S. Exercitiis incidat sermo, haec peragi necesse est quotannis, cum omni diligentia et in ipsa Societatis domo ad quam quis pertineat, vel si id fieri non possit, certe in domo ubi sit idoneus rerum spiritualium Praefectus. Nullo modo autem ferendus, si uspiam est, abusus ea obeundi in aliena domo, quae Societatis non sit. Neque id tolerandum, ut quis vacet iisdem eo tempore quo sacris hisce commentationibus excolat eos, qui de Societate non sint. Damnandum vero prorsus, si opportunitate quis uteretur iis vacandi in domo religiosa quidem, sed quae non sit virorum.

Haec tum superiori cuicumque, tum rerum spiritualium Praefecto, curae quam maximae sint oportet. Nititur enim nostra salus S. Exercitiis. Quae si ad mentem S. Ignatii non obeantur, ad casum vergere res nostras ac labare necesse est. Triste sane malum, quo non poterit non moveri, qui perpenderit e mortali hac vita excedendum esse aliquando, et migrationis huius neque diem nos scire neque horam.

Cfr. Matth. 52, 13.

Quare hoc commentemur, disiungamusque animum ab iis quae nos circumstant rebus peri-

turis, ut assuescamus mori et consulere rationibus nostris sempiternis. Cui negotio, quod momentum habet rerum omnium maximum, nullum tempus inveniri potest magis propitium, quam dies illi sacri, qui in meditanda vita futura ponuntur.

iis, quae in deliciis fuerunt S. Ioannî;

28. Atque utinam nobis, ut S. Ioanni, sint in deliciis non exercitia solum, sed praeter regulas etiam vitae Beatorum nostrorum. Hae enim viventes sunt regulae, horum Beatorum gestis, et non aliorum, ad modum vivendi Societatis proprium erudimur. Omnes quidem Sancti et Sanctae Dei sunt venerandi summopere, nec nostrum est decernere quis alio sit eminentior. Sed cum Deus velit, ut non aliam quam nostrarum Constitutionum viam teneamus, qui eam commonstrant, ii sequendi sunt. Nostrorum igitur virorum sanctitate praestantium acta studiose leget, qui spiritus capere velit Iesu Societate dignos illique consentaneos. Id spectant etiam regulae Praefecti lectorum ad mensam, quae piam esse volunt, quae fit in triclinio lectionem. Regula enim decima praefiniuntur libri *examinati et probati a Provinciali;* dein hoc statuitur : *atque illi esse debent* (libri), *qui et pietatem promoveant et vocationis propriae propositum confirmare possint.* Hos probare Provinciae Praeposito licet, qui ad firmandum propositum valeant, non alienae, sed propriae vocationis. Itaque arcendi sunt ii libri, qui vel ad alia vitae instituta pertinent, vel profani quidpiam redolent.

lectione pia

ad mensam.

Arcendae a iuvenibus ephemerides;

29. A lectione vero, quae non communis est, sed privata, iuvenibus nostris arcendae ubique sunt ephemerides. Iis enim mature discunt terere tempus, effundere animum, fastidire solidarum rerum studia, in rebus politicis, quae alienissimae sunt a Societate, mentem occupare. Ea de causa mihi displicet summopere, mitti ephemerides iis Scholasticis, qui in alia Provincia vel studiorum vel alia de causa versantur. Ita enim illic ubi sunt hi iuvenes, eadem futtilia legendi desideria excitantur et de Provincia ad Provinciam transferuntur abusus. Quod cum pati non possint superiores, hosce hortor ac moneo, ut tradi eiusmodi ephemerides non permittant. Neque vero moveantur, si trita illa ac decantata ratio opponatur : nosci oportere quae in patria geruntur. Id enim sciri nec ab omnibus, qui scientiae politicae dediti non sunt, nec omni tempore necesse est; neque ex omni fonte haurienda est earum rerum cognitio. Prius sanis solidisque principiis animum imbui oportet, rebusque seriis, quae plurimum habent laboris, assuescere.

magis etiam fictae narrationes.

30. Maiori etiam vigilantia et fortitudine inhibenda est lectio fictarum narrationum, quae aetate hac nostra circumferuntur, Illae enim levitates lascivae et amatoriae ne uno quidem temporis puncto hominis religiosi animum obsidere debent : et quantumvis eas narrationes commendet stili elegantia, procul a domibus nostris propulsandae sunt.

Nostrum enim non est tractare futtilia; neque ad ineptias abire vel versari in nugis eum decet, cui sanctum concreditum est munus, aliorum hominum mentes a terrenis et caducis ad caelestia atque aeterna traducere.

Gubernationem iuvat modestia,

31. Ipse noster habitus oris atque vultus illudque decorum, quod appellamus modestiam, innuit atque indicio est, nos non cogitare caduca, sed ad sempiterna nos sentire vocatos. Ab eo enim, qui amorem omnem humanum nos spernere docuit, aureas modestiae regulas accepimus. Non fuerunt illae a viro exaratae in communi hominum vita rudi; sed a praenobili viro et probe experto, in ipsa aula regia quid deceat, quidque aptum sit ipsis regni proceribus; a viro, qui Societatem condidit, ut omne hominum genus summum et infimum Deo Creatori nostro conciliaret.

Hasce regulas cum recordamaur, etiam versatur ante oculos viva atque eminens illarum effigies, S. Ioannes, qui frequenter reputabat secum, hae Regulae quanto labore, quot lacrimis steterint S. Ignatio, quam diligenter eas servari voluerit et quantum illae valeant ad exemplum et ad conciliandum Societati amorem ac reverentiam.

Eaedem mirifice conferunt ad religiosam disciplinam. Nos enim ad legum reverentiam componunt, necessitudinem cum Deo adiuvant, vim animi roborant ad navandam operam virtuti et ad sibi

imperandi alacritatem. Fit etiam, ut quorum similis est habitus, eorum etiam non dissideant animi, nec voluntates ac studia discordent.

Praeclare igitur de Societate merentur ii superiores, quibus curae est non mediocri, sed assiduae, ut hanc, quam a S. Ignatio didicimus, Nostri exhibeant, et ut ita dicam, circumferant virtutis speciem atque imaginem. Qui enim excellunt modestia, non communis hominum naturae, sed altioris cuiusdam esse videntur participes. Hos profani etiam homines suspiciunt, his non raro se ipsos et sua credunt consilia, ac propensius se dant morum honestati ac virtuti, quam percipiunt sensibus, quam sentiunt aspectu, cuiusque formam et pulchritudinem cernunt expressam moribus.

Ea de causa qui hanc speciem gerunt religiosi hominis, magnam Societati laudem conciliare consueverunt. Et contra qui Deo sacri dum sunt, sacram illam et religiosam oris et vultus et actionum dignitatem deserunt, ad eorum accedunt similitudinem, quos sacrosanctum Tridentinum Concilium homines esse iudicat *pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus.*

Trid. sess. 14. c. 6. rf.

Quod neminem latet, quam dignum contemptu videatur hominibus, quam indignum nomine nostro, quam iniuriosum Maiestati divinae.

qua

32. Haec Dei praesentia ratio S. Ioanni fuit

singularis modestiae. Ea virtute etiam imitari Beatissimam Virginem voluit eidemque suum testari amorem; hac fidelitate gratum exhibere S. Ignatio animum cupiebat et suam solari matrem Societatem. Scripsit enim, virum parum amantem modestiae, pudorem, maestitiam, infamiam quandam afferre Societati.

excelluit S. Ioannes.

Cepari p. 2. §. 7.

Ut in omni alia, ita etiam in hac excelluit virtute, hominumque movit admirationem. Alii e schola egressurum solebant exspectare, ut transeuntem conspicerent; alii in eum se locum conferre, ubi orantem spectarent : neque hos, neque illos intuendi satietas capere poterat.

Cepari p. 2. §. 7.

Parendo igitur legibus nostris accuratione summa, id consecutus est, ut exempla, quae alii sequerentur, praeberet et in moribus eius quivis recte vivendi praecepta legeret.

Quare ergo, dum ad omnia summa natus videbatur, dum excelsa omnia sibi de eo pollicebatur Iesu Societas, ereptus est morte S. Ioannes, in aetatis flore, cum ad spem Dei gloriae certissimam adolescere videbatur?

33. Quare, vitae cursu exacto tam brevi, iam caelo est illatus, qui Dei cultum provehere mirabilem in modum multosque ad gaudia aeterna transferre potuisset?

Quare morte ereptus in flore aetatis?

Ita Domino visum, qui est *Altissimus super omnem terram*. Neque nos scrutari decet, vel pervidere velle consilia Dei.

Ps. 96, 9.

Illud vero certum, S. Ioannem consummatum
Sap. 4, 13. in brevi explevisse tempora multa.

Dein nemo non videt, Societatis Institutum non solum vita S. Ioannis, sed etiam eius morte praematura illustrari. Non enim ex eo solum quod vixit in Ordine nostro, splendor ac decus accedit Societati; sed maxime ex eo quod non vixit tempore longiori. Diutius enim viventi munus vel apostolicum obtigisset, vel aliud quod nobis est commune cum aliis Ordinibus. Sanctitatis igitur famam adeptus esset vel eximiis laborum fructibus ad hominum salutem, vel virtutibus iis, quibus eminere viri sancti in alio etiam vitae genere solent.

Quae licet apud piissimum quemque plurimum habeant approbationis, non ex iis tamen Deo placitum fuit, caelitum laude dignum iudicari S. Ioannem. Medium integerrimae eius vitae cursum inhibuit, quem ad unam legum nostrarum normam dirigebat sanctus iuvenis. Libuit enim Domino nostro patefacere, solo regularum quae sunt propriae Societatis nostrae subsidio, sine alterius normae adiumento, factum esse, ut Caelitum cultu, ipsius Sanctae Sedis iudicio, ritu sollemni augeretur. Quare cum amabilissimus adulescens, qui modum vivendi eum solum tenuit, quem Societati peculiarem esse novimus, ea solum de causa, quod eum secutus est perfectissime, in Sanctorum numerum sit relatus;

sancta etiam cum ipso simul Berchmanno declarata est Instituti nostri ratio.

Huc accedit, quod ex funere illo inopinato iuventus, quae Deo tam cara est, amantissimum nacta sit custodem, cuius exemplo innocentiam vitae integram servarunt quam plurimi; multique eam tum in Societatem nostram, tum in alias hominum religiosorum familias intemeratam intulerunt.

Maerorem denique et luctum, quem ex Ioannis obitu cepit Societas, solatus est Deus, suscitando virum magnum, gigantem dixerim, qui unus esset instar plurimorum.

Carthagenam enim hic pervenerat et feliciter iam erat auspicatus laborem ingentem, inauditum fere, pro hominum omnium miserrimis susceptum, fructuosum vero usque eo, ut eo auctore ac duce centena hominum milia se ad Iesu Christi fidem contulerint.

Admirandus ille vir eiusdem cum S. Ioanne gloriae particeps, eodem die, eadem hora, exhibitus est populo fideli Sanctorum cultu in toto terrarum orbe venerandus.

III

S. Petrus Claver

Quem ad modum Indorum S. Franciscus Xaverius, ita Nigritarum S. Petrus Claver Apostolus merito est appellatus.

Bulla canoniz. B. Petri Claver, Prooem.

Cum enim ex Constitutione Leonis XIII ii sint Apostoli, qui *divinum lumen attulerunt miseris, qui in tenebris et in umbra mortis iacent,* Apostolis profecto is est annumerandus, qui ingentem hominum barbarorum multitudinem luce Evangelii collustravit.

iuvenis,

1. Hic autem vir inter ipsos caelestis doctrinae praecones adeo insignis, vita et moribus iam a prima aetate qualis postmodum esset futurus praenuntiare videbatur. Mira iam tum claruit in Deum et Beatissimam Virginem pietate, mira innocentia, et Societati nostrae in disciplinam datus, dum litteris operam navabat, et virtute inter aequales excelluit, et ingenio. In tirocinio memoranda virtutis, inter Scholasticos, tum sanctitatis, tum doctrinae praeclara dedit specimina.

Scholasticus,

2. Iam tum longinquas cogitabat Americae oras, ac operam immensae ad Dei gloriam molis animo volvebat. Firmabat animum S. Alphonsus, qui infinitos Petri labores et admirabilem gloriam edoctus, quam in Beatorum sede ei paratam suspexerat, multa de eius aerumnis, multa de salute per eum hominibus ferenda vaticinatus est.

Ipse vero compos factus sancti illius desiderii, quo aestuabat, operam dicandi omnem barbaris hominibus; ubi se dedit in viam et prope aberat ab aedibus paternis, S. Franciscum Xaverium imitatus, parentes quos pluribus annis non vide-

rat, nec umquam erat revisurus, non adiit, nec animum potuit inducere, ut materni et paterni sanguinis amore vel modicum a via deflecteret. Praeclarum sane etiam nostris temporibus documentum, et aliqua saltem ratione imitandum ab hominibus mundo crucifixis, qui mundo et proprio amori mortui Christo Domino nostro soli vivunt, eumque loco parentum, fratrum et rerum omnium habent.

Exam. gen. c. 4. n. 7.

3. Ad Americae litus appulsus, Carthagenae paulum, Bogotae S. Fidei diutius substitit, quod cursum Theologiae nondum confecerat. Ibi Adiutorum temporalium obivit munera, dum divinarum rerum scientiae vacabat, illud sibi gratulatus, quod latentis in officina Filii Dei sibi liceret facta imitari. in Ameriea,

Atque ita captus est huius vitae dulcedine, ut in hunc infimum Societati inservientium gradum cooptari ardenter petierit.

Iisdem muneribus se dedit in Tuniensi tirocinio, ubi annum agebat tertiae probationis. Deinde Carthagenam reversus, anno ibidem exacto, sacris tandem est initiatus. Neque hanc gratiam prius sibi fieri postulavit.

4. Socius ibidem laborum datus est Patri de Sandoval, qui, longo a Peruvia itinere pedibus confecto, Carthagenam venerat. Erant tum in ea urbe tres Patres, qui magna premebantur rerum inopia. Ipse P. Sandoval, vir nobilis et optime

cum Patre de Sandoval.

de Societate meritus, stipem tribus annis sibi et sociis quaerebat. Idem ianuae, culinae ac valetudinarii curam suscepit. Assiduam simul operam navabat Nigritarum saluti tanto ardore ac fructu, ut septem annorum spatio triginta mancipiorum milia Christo Domino initiaverit.

Curam mancipiorum suscipit.

5. Hoc auctore ac magistro tantum profecit S. Petrus, quantum mirabilia quae fecit animorum lucra demonstrant. Trecenta hominum milia sacro fonte eum lustrasse indubium est; longe vero maiorem numerum, immo ad quadringenta mancipiorum milia christianis ab eo sacris imbutos esse testantur eius socii et interpretes.

Neque in hos tantum contulit operam. Haereticos quam plurimos, Anglos et Batavos, incredibili patientia et suavitate a falsa opinione revocavit ad puram religionem.

Potissima tamen ei semper fuit cura Nigritarum, quod ea gens esset barbara, horrida et usque eo neglecta et contempta, ut vix in hominum numero haberetur.

Longum hoc martyrium est:

6. Haec cura, hic labor, non apostolatus solum, sed martyrium fuit. Fidem enim superat humanam gestorum S. Petri magnitudo et aerumnarum continua acerbitas.

Nigritarum morbi,

7. Versabatur ante oculos atrocissimae calamitatis imago, corporum simulacra, obsitorum squalore, fractorum molestiis, dolore tabescentium. Cotidianum erat heroico viro, esse in loco

putido, in foetore, quo infici valentissimum quemque, repelli animo fortissimum necesse erat. Obtundebantur aures gemitu flebili, eiulatu lugubri hominum miserorum, qui se infelicissimos esse lamentabantur.

Tam triste spectaculum nec arcere caritatem Petri, nec frangere constantiam animi poterat. Contra magis etiam incendebat animum et industriam acuebat. Quotiens vir ille mirabilis nactus aliquem erat prae ceteris ulcerosum squalidumque, sibi gratulatus, singularem homini calamitoso impertiebat amorem ac misericordiam, eique summa, ut Christo Domino, serviebat reverentia. Frequenter etiam, ne dicam cotidie, admovebat labia horridis vulneribus.

Accidit, ut odoris foeditate et ulcerum squalore depellerentur ipsi Nigritae, solus autem Petrus immobilis persisteret. Ipsi etiam ex vulnere aegri, putidum gravate suum perferebant odorem, sibi erant oneri ac fastidio et a se abhorrebant ipsi. Rogabant illi sanctum virum, ut paulum a se abscederet, ne contaminaretur. Is vero eos solari magis etiam tenero amplexu, ac moram facere diuturniorem, ubi nemo omnium ne punctum temporis quidem poterat consistere.

Tanta heroice in hoc genere fecit, ut si quis vel unam subiret sponte similem molestiam, sanctitatis sibi laudem asciscceret. Viro autem magnanimo haec erant quadraginta ferme annis non frequentia solum, sed fortasse cotidiana.

Locus erat valetudinarii remotus, illis miserrimis hominibus constitutus, quorum graveolentia ceteris nauseam faciebat Nigritis. Hos adibat, hos fovebat in primis, solabatur amicissime, hos erigebat afflictos, hortabatur ad paenitentiam, ignarosque rerum divinarum mirabili patientia erudiebat.

eos erudiendi difficultas,

8. Hoc vero erudiendi genus immensi erat laboris ac molestiae non modo apud aegrotos, verum etiam apud eos, qui valebant corpore. Moram enim sancto operi afferebant tam innata Nigritis inertia et tarditas ingenii, quam interpretum paucitas atque incuria; dominorum praeterea morositas, qui horam labore vacuam fieri mancipiis aegre ferebant. Impedimento saepe etiam fuit horum omnium insolentia. Nam Nigritae doctrinam interdum fastidiose repudiabant; interpretes suam negabant operam; domini servum Dei conviciis insectabantur et contumeliis.

oppositiones,

9. Admirationi quidem fuit vir sanctus quam plurimis. Sed etiam non defuerunt qui praeclara eius gesta carperent. Ardens animorum studium alii rebantur esse impetum animi, alii imprudentiam; corporis afflictationem duritiem atque asperitatem; amorem Nigritarum aliqui dementiae tribuebant; mentem in Deo defixam animum peregrinantem esse censebant; sanctitatemque viri malum, qui ipsi illuderet, mentis errorem esse arbitrabantur.

Qui in censorio coetu erant mitiores, aegre ferebant occupationum strepitum; animi, ut ipsi dicebant, effusionem; iacturam temporis, quod daretur hominibus, ad capienda bene vivendi credendique praecepta parum idoneis; querebantur de multis et operosis negotiis, quibus interpretes et socii implicarentur.

Si quid a Nigrita factum erat inscienter vel immoderate, vitio id Petro vertebatur.

accusationes, reprehensiones, poena gravis.

10. Unde evenit, ut accusaretur apud eos qui praeerant, et acres nonnumquam reprehensiones sustineret. Etenim moderatores vel numero accusatorum, vel continuatione querelarum, vel Petri silentio in errorem inducti, cum non satis fortasse perspectam haberent eius sanctitatem, non recte de eius prudentia sentientes, aures obtrectatoribus praebendas esse putabant. Credulitas error est potius, quam vitium. Quare mirandum non est, eam in optimi cuiusque animum irrepere.

Fit etiam ut de iis quae ad Dei gloriam spectant alii aliter opinentur. Fortasse non defuerunt qui maiorem Dei Domini nostri laudem colligi fructumque uberiorem ex iis percipi hominibus confidebant, qui praestare ceteris cultu et humanitate videbantur. Ad altiora munera natum esse Petrum censebant, qui generis nobilitate insignis, et ingenio plurimum valebat et doctrina.

Quidam metuebant ne desertum foret Societatis templum ab iis qui dignitate vel fortuna aliis

praestabant civibus. Atque civibus ipsis molestum erat incidere in Nigritas, cum pedem in Societatis nostrae templum inferrent. Iidem illum vituperabant viri sanctissimi morem solos pro confessione audiendi Nigritas, quam diu essent qui peccata deponere vellent; ceteris vero tum tantum aures praebere, cum eius opera non requireretur a mancipiis.

Interim Carthagenam venit Provinciae Visitator. Hanc opportunitatem nacti municipes, qui Petro invidebant, graves de hoc ad illum querelas deferunt, falsa promunt, quorum caput hoc fuit, Dei servum eos etiam baptismo lustrasse, qui Christo initiati iam fuissent. Ob eam rem a sacro fonte abstinere iussus, demisse et humiliter obtemperavit, et quamvis honor ageretur et fama, horum nihil moderatoribus obiecit.

Quid multa? Ingentes sanctus ille vir exantlavit labores, atque immanes exhausit aerumnas usque eo, ut instar miraculi esse videatur, quod in operando perstiterit, nec cessaverit in contentione intolerabili, quam assiduae cumulabant molestiae.

Regularum amantissimus S. Petrus,

11. Sed mirandum est illud etiam magis, quod nec labores, nec res adversae excelsum abducere animum potuerunt a vitae nostrae ratione et a legibus Societatis. Quis umquam labores sustinuit vel plures, vel duriores et magis molestos et quis umquam disciplinae domesticae fuit cultor magis eximius?

12. Morem gessit sanctissime regulis etiam minimis, illis etiam quae fructum operae impedire videbantur. Et quamvis omnino se devovisset hominum saluti atque huius arderet amore incredibili, potiorem tamen semper regularum, quam operum, rationem ita habebat, ut quicquid operis incolumi regula fieri non posset, etiamsi multa sibi de eo polliceretur, sine mora non omitteret solum, sed illius persequendi consilium et cogitationem plane abiceret.

legibus nostris primas tribuit.

13. Qui sunt operosi, naturae interdum atque genio indulgent, ideoque non sunt admirandi, praesertim si ministeria praetendant ad usurpandam sibi libertatem. Qui vero regulas omnes omnino venerantur tamquam vivendi formam divinitus traditam, quique dum hominum saluti vacant, regi etiam moderatorum voluntate atque arbitrio volunt, hi non communi modo ac vulgari Deo serviunt et hominum saluti, sed more rectissime operantium atque sanctorum.

Omnia exsequitur, duce oboedientia

14. S. Petro foris laboranti nulla sane virtus apostolica defuit; domi vero ita se gessit, perinde quasi numquam e tirocinio pedem extulisset. Tot ac tanta, quae alii sequerentur, praebuit domesticae sanctitatis exempla.

Ad praesidum nutum et ad ardua quaecumque paratus, nullum sibi officium, nullas officii partes ipse elegit, sed in omni re Superiori, divinae voluntatis interpreti, obnoxium se fecit.

erga Superiores Societatis,

Iussus a Rectore omittere pias exercitationes, quas magno Nigritarum commodo induxerat, eas omisit; totum mutare ordinem docendi instruendique hos miseros, eum mutavit; intermittere sanctam hanc operam, eam intermisit. A sacra expeditione cui vix dederat initium, derepente revocatus, nulla interposita mora revertitur. Flagitabat populus, obsecrabant sacerdotes, ut litteras ad collegii Rectorem dari atque exspectari responsum pateretur. Ille vero non secus ac si Dei vocem audivisset, itineri se, nulla precum habita ratione, committit. Collegii minister constitutus cum esset, a caro sibi Nigritarum ministerio recedendum fuit; recessit ac totum se inexspectato dedit officio.

erga externos,

Inerat in sancto illo viro immensa oboediendi cupido, adeo ut si abesset domo, sub imperio esse vellet aut socii, aut viri externi.

15. Id evenit, cum in S. Sebastiani valetudinario praesto esset aegris hominibus. Facto ibidem sacro auditisque iis qui confiteri vellent, verrebat cubilia, neque ullum officii genus, quamvis abiectum ac sordidum aversabatur. Haec tamen exsequebatur ex mandato praesidis, qui erat ordinis S. Ioannis de Deo. Et cum haec agens ad morientem vocabatur, ad illum se non conferebat, nisi facta sibi prius a praeside potestate.

Caritatis et oboedientiae praebens exemplum

16. Caritas qua aequales, observantia qua dignitate antecedentes colimus, fidem nobis, In-

stituto nostro pariunt reverentiam. Illae virtutes sunt dignae nomine nostro, gestisque divinis ducis ac Domini nostri consentaneae. Dignissimus profecto Societatis filius S. Petrus, qui caritatis et oboedientiae praebuit exemplum, quod cum Constitutionibus nostri mirifice concordat.

congruens menti S. Ignatii,

17. S. Parentis enim praeceptum est, *ut amor et caritas omnium... erga Societatem conservetur, eorum praesertim, quorum voluntas... multum habet momenti, ut aditus ad Divinum obsequium et animarum auxilium aperiatur vel praecludatur.*

Const. p. 10. n. 11.

Et regulae nostros admonent, ut *cum ingressi fuerint loca ea, in quibus Ordinarii resident, eos quam primum adeant, suamque operam illis submisse offerant... ut omnes... ecclesiasticos, praecipue parochos... benevolos sibi facere studeant, ut caveant, ne religiosos aliorum Ordinum, quos revereri et observare debent, etiam tacite videantur reprehendere.*

Reg. miss. 7.

Reg. continuat. 13.

Ex sententia S. Ignatii *etiam moderatus et prudens usus gratiarum a Sede Apostolica concessarum* esse debet. Constat enim, propter usum frequentiorem vel iactantiam de privilegiis invidiam nos vel reprehensionem incurrere.

Const. p. 10. n. 12.

S. Francisci Xaverii,

18. De reverentia praesidibus exhibenda multa sapienter aeque ac graviter scripsit S. Franciscus Xaverius.

Et Ioannem Rodericum quidem serio ad obtem-

perandum Proepiscopo hortatur. *Hoc tibi*, ait, *pro potestate impero, ut Domino Proepiscopo te valde oboedientem praebeas... et adverte, hoc non a me consuli, sed mandari; atque adeo in virtute sanctae oboedientiae prohiberi, ne quacumque tandem ex causa discidium cum Proepiscopo facias aut simultatem umquam ullam cum eo suscipias... Aliis sacerdotibus multam exhibebis venerationem ac reverentiam; cavebis autem diligenter, ne quemquam eorum spernas, aut ulla contemptus specie offendas. Amicos omnes habe; praeluce iis exemplo oboediendi Proepiscopo; sic imitatione sacerdotum pariter omnium condiscet populus plenam atque integram, quam pastori suo Proepiscopo debet, oboedientiam. Atque hunc exempli fructum tanti velim aestimes, ut plane statuas, te, praeeundo cunctis specimine humilitatis et oboedientiae, longe plus quam contionando proficere.*

Epist. S. Franc. Xav. XI Kal. April. ann. 1552.

Iisdem litteris eum redarguit etiam severius : *Pro eo*, inquit, *quanti referre arbitror ad maius Dei obsequium, exhiberi a te Proepiscopo summam demissionem et oboedientiam; impero tibi in virtute sanctae oboedientiae, ut hac istius indicatrice praecepti epistola visa, coram Proepiscopo positis humi genibus procidas, veniamque supplex petas inoboedientiarum et culparum, quibus ei hactenus molestiam facessivisti; tum illi manum osculaberis, profitens, te iusso meo id facere. Inde ab illo audies, quid velit a te fieri, oboedienterque*

quicquid iusserit, exsequeris... Totum enim id plane sic debet fieri, ut confundatur malus daemon auctor discordiarum et inoboedientiae. Epistolae autem finem facturus, hoc apponit mandatum : *Hanc epistolam ostendes Domino Proepiscopo.* Ib.

Neque Patri Alphonso Cipriani pepercit Indiarum Apostolus. His enim verbis eum compellat : *Sic certo habe : incredibiliter offensum me his, quae a te istic inurbane et inhumaniter acta comperio. Si Proepiscopus aliter agit ac debeat, non utique tuis emendabitur reprehensionibus; praesertim imprudenter, ut a te factum est, oggestis. Tam longo iam usu insuevisti nihil non obsequi voluntati tuae propriae, ut, ubicumque moraris, omnes offendas, speciminaque tecum agentibus manifesta passim edas intractabilis tuae cuiusdam et asperae indolis. Faxit Deus, ut horum imprudenter actorum seria te aliquando subeat paenitentia.* Ib. mense Apr. 1552.

Nemini magis, quam Indorum Apostolo, perspecta fuit mens S. Ignatii, et nemo fortasse hanc, quam dixi, caritatem ac reverentiam animis inculcabat severius.

19. Quam severitatem imitata est generalis Congregatio duodecima, quae in eam sententiam decretum condidit undevicesimum. Congregationis duodecimae.

Hoc decretum me admonet, ut reducam in memoriam, quam iuste leges nostrae animad-

verti in eum velint, qui lingua vel calamo aliquem offenderit. Utrumque odiosum est et alienum ab ea humanitate ac dignitate, quae virum religiosum decet; illud vero odiosissimum, cum calamo quempiam vel arguimus vel castigamus. Hoc enim obiurgandi genus plurium incurrit offensionem, nec facile deletur oblivione.

Quare Patres in ea quam dixi Congregatione, postulante R. P. Carolo de Noyelle, generali Praeposito, statuerunt, ut *si contigerit... quemquam e nostris, alios, etiam quoscumque externos, maxime vero religiosos aut viros primarios, vel lingua vel calamo aut quacumque alia ratione offendere, aut iustam illis offensionis causam dare... in illum superiores diligenter inquirant, quaque par est severitate animadvertant, nihilque huiusmodi impunitum relinquant; ut curent iis, qui se laesos existimare merito potuerint, debitam satisfactionem quam primum exhiberi...; ut consultores... teneantur monere superiores mediatos, si quid ab aliquo peccatum sit et an paenitentiae, necne, et quales illi iniunctae fuerint.*

Congr. 12. decr. 19.

Equidem magni semper feci Societatis nostrae scriptores, arduumque esse eorum officium probe novi. Idemque constat esse ex praecipuis Societatis muneribus, quae ad gloriam Dei, ad hominum salutem, ad commendandam Societatem, si rite, ut par est, expleantur, valent quam pluri-

mum. Prostant a saeculis, tamquam monumenta, scripta Patrum nostrorum, plena illius doctrinae, quae etiamnum lucem effundit in Societatem atque splendorem.

Evanescere hoc decus vel obscurari nolim; et praesertim quia ita decretum est a Societate, hortari debeo, ut nihil in eo genere leviter vel imprudenter, nihil aspere vel temere fiat. Quin etiam animo tranquillo, magna prudentia, dignitate potius quam impetu, pro veritate ac iustitia certandum est.

Nec vero, quae Dei gratia est, praeclara nos in eo genere deficiunt exempla. Sunt enim praestantes, qui hac aetate nostra floruerunt vel etiamnum florent de Societate bene meriti scriptores, iidemque imperant sibi, neminem laedunt et, si quam propellere iniuriam coguntur, tanta illam animi moderatione ac modestia a se amovent, ut vel ipse modus, quem in scribendo adhibent, controversiam sedare videatur.

Idcirco dolemus etiam acerbius, ea, quae prospere horum temperatione prudenti creverunt, dilabi interdum atque everti inconsulta vel unius scriptoris imprudentia ac temeritate. Quod si fiat, ut aditu propterea Societas ad regionem quamcumque prohibeatur, quis illud animorum damnum ingens praestabit?

Haec praesentiens animo S. Ignatius, hortatur ut sit in Societate *quidam universalis amor* et

Const. p. 10. n. 11.

rationem haberi vult praecipuam eorum, qui aditum ad Dei obsequium et animarum auxilium
Ib. aperire possunt vel praecludere. Neque in ea solum in qua vivimus regione serviendum est gloriae divinae, sed quoad fieri poterit, ubique terrarum. Magnus enim et nobilis est filiorum Societatis animus, nec finibus continetur exiguis. Quare cavendum est omnino scriptoribus, ne, dum uni regioni prodesse volunt, alteri noceant. Societas nimirum, cum in multis regionibus teneat domicilia, multorum est subiecta imperio, multorumque obnoxia tum potestati tum arbitrio, et quae impune fortasse in una regione scribuntur, eadem in alia sine discrimine proferri non possunt.

Est autem res mali exempli carpere publice eos qui rerum potiti sunt. Id *generat*, ut scripsit S. Ignatius, *damna et scandala* et sequitur inde *obtrectatio populi adversus principes ac pastores suos*, si quis *in publica contione vel in populari*
Regulae, ut cum orthod. Eccl. sentiamus. Cfr. Reg. Contionat. 12. *commercio ipsis obloquitur*. Quanto magis, si vituperantur calamo? Dum enim verba volant, scripta manent et totidem sunt argumenta valde idonea ad concitanda in nos odia atque invidiam, non coaevorum solum, sed etiam posterorum.

S. Petri imitanda humilis oboedientia, 20. S. Petro satis fuit, esse aliquem valetudinarii praesidem, ut reverentiam ei exhiberet et praestaret obsequium. Hinc facile iudicium, quo fuerit animo in eos qui regunt rem publicam vel christianam vel civilem.

Societatis autem moderatoribus ita omni tempore se probavit, ut non modo in re difficili imperata faceret laeto animo atque alacri, sed etiam, cum fama eius et honor ageretur, nullo non tempore ad nutum eum haberent praesides. In omnium erat admiratione ac nova patrabat atque insolita. Haec cum facile dent locum suspicioni latentis erroris, collegii Rector, sui muneris esse putabat, eius tentare virtutem, quotiens se daret occasio.

tentata a Superioribus;

21. Quare non semel nota inusta est immerenti, frequentesque ei vituperationes erant subeundae, quas mira animi non solum tranquillitate sed etiam laetitia excipiebat. Optabat enim Dei servus, qui nullum patiebatur praeterire diem, quin heroica ederet caritatis ac sui despicientiae exempla, culpari ab hominibus atque ante omnium oculos reprehendi.

Severissima enim sibi in hoc genere constituerat vitae praecepta. Hominem sui despicientem sentiebat id agere, ut contemptu dignus etiam appareat, atque optare ut omnes se neglegant, despiciant ac male habeant, iisdemque sit persuasum, se haec tolerare non virtutis studio, sed ex vili, angusto abiectoque animo. Quare cum contemnimur, aiebat, id cupere necesse est, ut pudore suffusi, fracti animo atque afflicti esse videamur.

Iussus aliquando, cum reprehensionem susti-

nuisset, in genua subsidere, donec surgendi copia daretur, prompto animo paruit ac substitit usque dum superior finem poenae statuisset.

Accidit, ut templi praefectus cum esset, matronam argueret de veste indecora, cum qua ausa esset in loco sancto comparere. Illa vero indignari, clamare vehementer atque expostulare de iniuria. Audita querelae muliebris tempestate, accurrit aedituus, paulo post ipse Rector, qui Petrum imprudenter quidpiam fecisse ratus, eum obiurgat. Triumphat femina procax, vir autem sanctus, ad genua provolutus sui praesidis, veniam sibi dari atque irrogari poenam flagitat. De honoris iactura, de ignominia, ne cogitare quidem umquam videbatur. Erat ei persuasum, superbia et contumacia hominem religiosum aspergere sibi infamiam, non demissione animi atque oboedientia.

imitanda legibus obtemperatio

22. Contra ad perfectionem, in qua sita est laus nostra et gloria, viam brevissimam dicebat esse oboedientiam. Atque hanc coluit morem gerendo, non superioribus solum, sed etiam regulis nostris adeo, ut numquam expediri vellet disciplinae religiosae vinculis, nec ullam umquam a communibus oneribus vacationem admittere, ne iis quidem, quibus sancta illa, cui deditus erat, opera impediri videbatur.

de scribendis epistolis,

23. Afferebantur epistolae : aegre ferebat, eas sibi tradi clausas, propter reverentiam regulae,

quae praecipit ut lectae reddantur. Magis etiam, ut par est, horrebat mittere litteras quas Superiori non exhibuisset.

Mandatum ei a Praeposito generali fuit, ut litteras ad alium patrem daret, quas cum tradere domus moderatori non posset, ad Provinciae Praepositum detulit.

de socii regula constanter servanda

24. Mirabile vero dictu est, qua diligentia, fidelitate ac religione paruerit regulae, quae extra domos nostras sine socio nos esse prohibet. Vir tot tantique momenti implicatus negotiis, quae foras eum prodire adigebant, nullo non tempore adhibuit testem suarum actionum, nec umquam uti voluit ea libertate, quam alii, minus religiosi, contendissent ad salutem hominum esse necessariam. Instruebat Nigritas, aderat socius toto illo tempore; praesto erat infirmis, adstabat socius; comitem interdum habuit interpretem et simul Fratrem Adiutorem socium. Carthagena relicta Bogotam petit, iter cum eo facit frater scholasticus; ad confessiones in domo belli ducis excipiendas invitatus, eo solum in loco confitentes audire vult, ubi videri a socio potest. De scholastico narratur, eum mente fere deturbatum fuisse ex vulnerum aspectu et foetore aegrotantium, cum socius fuisset S. Petri visitantis infirmos Nigritas; in domibus nobilium, ut socio daret locum sermocinandi, ignorantiam suam et inscitiam praetexebat. Qui de servo Dei copiosius

scripserunt, socium ita commemorant, ut planum omnino sit, eum horruisse egressum e domo nostra, nec moram in aliena sustinuisse, sine teste.

inter plurimas difficultates;

25. Difficillimum tamen ei fuit, huic regulae obsequi. Saepius ei erat exeundum domo, ut in Nigritas, in alienos a fide catholica, in ipsos Mahometis sectatores impenderet operam. Plures succedere debebant socii, quod unus in tanto solis aestu calorem tam diu tolerare non poterat, quam diu Petrus eum sustinebat. Aegre etiam aliqui ei se adiungebant socios, tum propter nimios suos labores, tum propter repugnantem naturam. Deo permittente id accidit, ut constaret quanti faciant viri sancti hanc nostram regulam et quo animo superent difficultates.

Sanctus quidem Petrus, cum legi adeo gravi deesse minime vellet, pacto cum Fratribus Adiutoribus inito, quibus per labores non licuit eum comitari, partem ipse operis, eos adiuvans suscepit, et ipsi vicissim, facto eius ope temporis lucro, socii officium ei praestiterunt. Insita est Sanctorum mentibus profecta ex animo excelso fidelitas, cuius praemium S. Petrus amplissimum tulit, ingenti cum animorum fructu et divinae gloriae incremento.

C. van Aken, Vie de S. Pierre Claver 1. II. Chap. 4.

imitanda fidelitas in officio Ministri,

26. Persuasum autem moderatoribus erat, hunc mirabilem quaestum animorum dictum comprobare S. Ignatii de virtute solida et rerum spiri-

tualium studio : *Illa enim interiora sunt, ex quibus efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oportet.* Quare eodem Petri animo imbuendos esse nostros censuerunt, ac propterea ad breve tempus avocandum Dei servum ab opera, quantumvis fructuosissima. *Si quidem*, ut habet Instructio decima numero sexto, *illorum omnium manibus, qui ab ipso promoti dignos se praebent Societatis administros, operatur*, qui illos erudivit. Minister igitur collegii supplicanti Rectori datus est.

Const. p. 10. n. 2.

27. Munus hoc est profecto gravissimum. Est enim ministri constitutiones, regulas, consuetudines approbatas tueri ac custodire, ex quibus enascitur ordo Domino Deo gratissimus. Partes ipsius praecipuae sunt, coniunctionem animorum fovere et oboedientiam exhibendam illi qui domui praeest. Illi clausura, illi silentium, illi munditia, tria, ex quibus domus rite constituta dignoscitur, sunt commendata, ut ea exsequi curet et domus nostrae ordinem, tranquillitatem et decorum prae se ferant et ad normam, ut ita dicam, atque imaginem domus Nazareth constitutae esse videantur. Ad ministrum pariter pertinet, parare ad vivendum et ad habitandum necessaria. Quae si rite fiant, fidentius etiam quae ad domus disciplinam spectant poterit praecipere.

gravissimo;

Curae vero paupertas ei in primis esse debet, ne sit in domo quidpiam alicui proprium, pretio-

sum vel superfluum. Atque, ut dicam quod caput est, domi Minister continere se debet, ut praesto sit nostris ad licentias et ad res vitae necessarias.

Reg. Ministr.

Neque enim satisfacit officio, nec divinae obtemperat voluntati, qui se subtrahit suis, ut studium, laborem et tempus impertiat externis hominibus. *Ordo caritatis postulat*, ita scripsit S. Franciscus Xaverius, *ut prius et magis domesticis, quam externis consulatur... Habeo persuasissimum, praecipui hoc monitum momenti esse; nec fere tolerabilius errare illos, qui oculis hominum probare se, speciosa superficie contenti, nihil pensi habent... Dei obtutibus satisfacere, quam qui... civitatis captant gratiam, sese perperam arbitrantes officium explesse, cuius primo ac potiori capite neglecto in posterioribus dumtaxat et accessoriis totum praepostere consumpserint studium. Aberrant tota via, qui sic agunt.*

Epist. ad P. Gasp. Barzaeum. Apr. 1552.

Sanctus vero Petrus, in eo munere ita se gessit, ut omnes vigilantissimi ministri partes quam diligentissime expleverit. Vir ille, si quis umquam, incensus studio animorum, magni faciebat insuetum hoce officium. Prorsus intentus in omnia quae prodesse collegio, solacio esse domesticis poterant, advigilabat sedulo, praeteribat nihil, minima etiam curabat. Dilectus Deo et hominibus, adeo omnibus sese probavit, ut qui, eo moderante, collegium incolebant, vitam agerent periucundam ac religiosissimam.

Flagitabat autem necessitas ut ministerio Nigritarum redderetur. Quare ad operam, cui totum se addixerat, redire iussus, ardentissima in Deum caritate ad intermissos se labores rettulit, atque in sanctissimo munere quod reliquum erat admirabilis vitae consumpsit.

imitandum studium animorum;

28. Plurima de eximio hoc Dei famulo heroice facta narravi, sumpta ab iis scriptoribus, quorum in hoc genere fides et ars iudicandi laudatur. Attamen perpauca mihi videor tetigisse, si conferantur cum ceteris, quae tacita reliqui, ne essem infinitus.

Nihil dixi de hominum lepris affectorum cura eximia ac plane singulari. Horum calamitatem amore levabat incredibili, ignaros rerum divinarum erudiebat, ac raro prodigio, pallium admovendo medebatur miseris.

Silentio praeterivi capitis damnatos, quibus mortem obituris affuit. Ferunt eum nocentibus interdum ad triginta, qui simul afficiendi erant supplicio, praesto fuisse.

Operam contulit etiam in Mahometi sectatores, quorum obstinatum animum ita vicit, ut ferocissimum ponerent ingenium et quotquot erant Carthagenae, propemodum omnes exuerent errorem.

imitanda mortificatio.

29. Multa omisi de eius paenitentia. Infensissimus deliciarum hostis nulla in re obsequebatur sensibus, sibi indulgebat nihil. Quattuor et quin-

quaginta annis, quos egit in Societate, ne semel quidem, nisi cogeret necessitas, coniecit oculos in rem, quae delectare innocentissimum quemque potuisset. In solis aestu flagrantissimo numquam, nisi hora cum omnibus communi, visus est sitim bibendo restinguere, vel vires edendo revocare.

Minister cum esset, cibum a coquo reiectum pluries dari sibi petiit. Erat autem cibus, qui alteri gustanti ita movit fastidium, ut retinere illum non posset. Nec mirum; araneam enim esca continebat.

Saepe etiam cibo omni caruit. Non raro vespere fesso de itinere, quod susceperat missionum gratia, nihil supererat quod apponeretur. Ipse vero rem tacitus ferebat ac hilaris, quamvis nihil illo die gustasset, nec patiebatur certiores fieri Moderatores cibum toto die omnem ei defuisse.

Frequenter ex labore vocisque contentione deliquium passus ex templo in domum portari debuit. Ubi vero animum recepit, flagris se ad sanguinem caedebat. Quo genere afflictionum asperrimo uti solebat ter quavis nocte. Contextam spinis coronam, ubi solus erat, capiti infixit. Hirsuto cilicio ac catenis cinctus atque involutus, gradum sine acerbo dolore facere non poterat. In quovis corporis habitu, in sedendo, in orando semper aliquid ingeniose ac subtiliter inveniebat, quo molestiam corpori cieret vel crucia-

tum, nullamque sibi horam vacuam a paenitentia esse patiebatur.

Favit autem Deus militanti sub Crucis vexillo servo fideli; gratiae donis eum auxit singularibus et laborum fructibus mirandum in modum locupletavit.

Ille vero orationis continuae studio, obtemperando legibus, caritate ac paenitentia, cuius vel speciem horret animus cogitatione percipere, nos edocuit regnum caelorum vim pati, hominemque segnem, parcentem sibi, obsequentem genio suo et libertatis amori, illud non rapere, sed hominem violentum, hominem illum qui vi utitur et contentione, reluctante quantumvis natura.

Imitanda haec, quoad vires suppetunt,

30. Heroica quidem gesta S. Petri referre moribus nostris non possumus; vires enim superant humanas. Utinam tantum nobis sit roboris ac nervorum, ut ea sectemur atque adumbrare conemur, onera subeundo legum nostrarum! Sane quidem cogitanti quid laboris, taedii atque aerumnarum insignis Dei famulus susceperit, severiores non videbuntur Constitutiones nostrae; neque aegre feret, qui haec expenderit, paupertatis angustiam, neque vitae communis molestias, neque iniecta nobis oboedientiae vincula. Contra parum se praestitisse putabit, etiamsi in iis quae praecipiunt regulae diligentem se ac sollicitum praebuerit.

amore Dei,

31. Summo enim ac aeterno Domino vitam

addiximus et operam. *Gratiam* autem *et gloriam* Ps. 83, 12. *dabit Dominus.* Et vero quam gloriam! Vidit aliquando splendidissimam lucem S. Alphonsus in Beatorum sede S. Petro paratam. Hanc aeternam lucem gloriamque Carthagenae, procul a patria, inter homines barbaros, moriens est consecutus.

desiderio iuvandi homines, quibus alii praesto non sunt,

32. Dicto audiens S. Alphonsi : *Qui nescit pati, nescit amare,* locum indagaverat viasque immanissima tolerandi. Vias demonstrarat Sanctus Adiutor : *Quot homines*, aiebat, *ad interitum ruunt sempiternum, quia non habent, qui iis opitulentur! Quot viri in Europa otiosi, in America forent Apostoli!* Ita S. Frater adiutor. Iam anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto scripserat Indiae Apostolus : *Mihi vero persaepe venit in mentem circum Europae academias ac praecipue Parisiensem cursare et insani ritu passim vociferari; eosque, qui doctrinae plus habent quam caritatis, his compellare verbis : Heu quam ingens animorum numerus vestro vitio exclusus caelo deturbatur ad inferos!* Haec secum reputans nobilissimoque aestuans homines salvandi desiderio, longam patiendi viam ingressus, incredibili constantia in ea perseveravit, immanes exhauriens labores, molestias atque aerumnas.

ad exemplum missionariorum nostrorum,

33. Sunt qui Apostolorum sibi nomen usurpant et, quae agunt, glorioso Apostolatus nomine decorant, dum vitam iucundam cum grato negotio transigunt. Sunt etiam alii in missionibus

nostris exteris, quorum vita in durissimo labore, in continua aestus et frigoris, famis et sitis patientia consumitur. Sunt qui itinera longa faciunt pedibus, flumina vado transeunt frequenter, qui sub dio pernoctant, animalium morsibus obnoxii, qui inter homines barbaros vivunt sine ullo solacio, qui hanc tamen sibi vitam exposcunt, eam caram habent, nec avelli se ab aerumnoso illo ministerio ulla vi, nisi oboedientiae, paterentur. Illos ego admiror, illis benedico ex animo, ac Societati nostrae, quae tales instituit filios, vehementer gratulor. Cum vero mihi nuntii veniunt Nostrorum, qui vitam posuerunt in missionibus, alii in flore, alii in robore aetatis; cum audio voces postulantium ut mittantur qui sint participes laborum, ne defluant lassitudine vires eorum qui sint superstites, nec postulationi adeo iustae concedere possum, maereo ac gemo.

Neque vero incusandi qui praesunt Provinciis. Generosos enim plerumque, quidam etiam supra vires, se exhibent. Attamen cum viam succurrendi fratribus non invenio propter domorum in Europa numerum, erumpit interdum ea vox : quare non deserimus domos, quae spem certam collegii non praebent, domos, quae saepe plus habent invidiae quam fructus, et in quibus labor Instituto consentaneus ita deest, ut anxie quaeri eum oporteat?

Quicquid est gloriae etiam in terris S. Petro ea quoque de causa tribuisse videtur Deus, ut

eius exemplo agamus non nomine solum, sed re apostolica, atque firmetur animus ad auxiliandum iis, qui adiuvantem se cum non habeant, opem implorant nostram, ut a poenis vindicentur sempiternis.

Principem sane locum apud nos missiones tenere debent cum collegiis. Quod si numero sumus pauciores quam par est, huic defectui succurrere debet ardens in Deum amor. Divina caritate si fuerint inflammati praecones evangelici nostri, unus erit instar multorum. Nonne instar magni agminis fuit S. Petrus? Vir vere admirabilis, cui laudem meritis parem impertiri numquam poterimus. Dominus autem Deus Altissimus contulit in eum laudes, ac per suum in terris Vicarium Sanctorum albo eum adscripsit.

spe gloriae sempiternae,

34. Gloriae ac beatitatis consortes habet suum quondam rerum divinarum moderatorem atque innocentissimum iuvenem, cuius, ut credere fas est, cum in terris ageret, fama sanctitatis ad ipsum pervenerat. Ante horum aras sanctasque imagines provoluti, Sanctos Petrum, Ioannem, Alphonsum veneramur, in quorum fidem et clientelam nos ovantes contulimus, ad eam spem erecti fore, ut tantorum Dei servorum persequamur vestigia atque eorum gloriae simus consortes.

partae observatione fideli Instituti.

35. Cum S. Benedictus piissimam efflasset animam, vox audita est : *Haec est via, qua dilectus Domini Benedictus in caelum ascendit.* Viam pariter

nobis in patriam caelestem Sancti nostri demonstrant. Illi vero non aliam persecuti sunt viam, nisi Constitutionum nostrarum. Hae eaedem nobis sunt leges, votis iisdem Deo et promissionibus obstringimur; unum requiritur, ut idem sit animus. Voluntas nostrorum ad obsequendum regulis generatim est propensa, multorum etiam eximia. Et tamen non eandem ubique Societatis formam et tamquam faciem conspicimus, etiam in iis quae ad normam Instituti fieri nihil vetat. Unde igitur ea varietas? Ex dispari, ut arbitror, eorum quae praefinita sunt nobis intellegentia.

Institutum igitur cognosci debet.

36. Sunt enim, qui non satis norint Constitutiones. Alii norunt quidem, sed earum vim ac gravitatem non satis perpendunt, moremque sequi antiquiorum satis esse reputant. Sed cum persuasum unicuique esse debeat, quae iubemur, *Dei praeceptum esse et voluntatem,* ignorari ea vel minoris momenti putari minime licebit.

Quare carissimos Patres, qui annum agunt tertiae probationis, rogo, hortor ac moneo, ut ad intellegentiam sancti nostri Instituti plurimum curae atque operae conferant.

Damna ignorantiae Instituti non levia,

37. Non enim decet quae totius vitae nostrae continent rationem ignorare. Neque levia censenda sunt damna, quae ex hac ignoratione proveniunt. Malum enim haec inscitia intestinum cum sit atque domesticum, ea etiam labefactat quae sunt in Societate praecipua. Obest ordini,

caritati, oboedientiae. Inde violationes legum frequentes, inde idoneorum praesidum defectus, inde in praecipiendo et vetando ambiguitas. Praeterea multa iubentur ad arbitrium et voluntatem vel propriam vel hominum externorum, minime vero ad mentem divi parentis Ignatii. Alia etiam ex eodem fonte profluunt mala. Defervescit Societatis amor, remittit ac delabitur legum severitas, ad genium quisque suum interpretatur regulas, et tandem, quod perniciosissimum est, ex illa ignorantia falsa fluunt atque redundant principia.

quorum gravissimum est falsa opinandi ratio,

38. In quo genere illa est opinio, rei qualicumque dandam a nobis esse operam, ex qua fructus aliquis speratur. Fructus sane amplissimi spem offert Episcoporum dignitas. A Societate tamen alienam esse voluit S. Ignatius et eos, qui a doctrina et virtute ceteris essent aptiores, voti etiam religione arcendos a dignitate esse constituit. Nec in re tam gravi dubitavit supremis etiam Principibus quid sentiret declarare.

tum generatim, tum speciatim de dignitatibus,

Ferdinando, Romanorum Regi, haec scripsit : *Cui rei* (professioni religiosae) *ita adversari honores persuasum habemus, ut plane deque animi nostri sententia pronuntiemus, si cogitatione fingendum sit quanam ratione posset hic ordo everti, nescire nos quicquam excogitare Episcopatuum receptione deterius.* Cum vero S. Franciscus Borgia in Sacrum Cardinalium collegium

Dec. 1546.

esset cooptandus, novies S. Parens noster Summum Pontificem adiit, illum honorem deprecaturus. A Deo vero petiit ac impetravit multis precibus, paenitentiis et lacrimis, ut periculum tam grave a Societate amoveretur.

de paroeciis,

39. Nulla animorum cura fructu vacua dicenda est, et quamvis non desint in Societate qui eam gerere cum laude possint, id muneris tamen suscipi a Patribus nostris vetuit, et qui sunt a pluribus annis provinciis Praepositi, laudabili studio a paroeciis expedire sese nituntur. Exstat ea de re S. Parentis Constitutio.

Const. p. 6. c. 3. n. 5.

de monialibus

40. Eadem Constitutione improbatur cura mulierum religiosarum, quamvis negandum non sit multos e nostris ad eam esse idoneos. Curam ordinariam vetuit S. Ignatius, et Patres septimae Congregationis generalis eam dixerunt esse *malum*, eamque a Societatis Instituto semper habitam fuisse *alienissimam*, illius vel initiis *occurrendum fortiter*, ac remedia huic *malo* quaerenda *validissima et certissima.*

Affero verba decreti sexti quinquagesimi :

Rogata Congregatio, ut de efficaci remedio aliquo provideret, ne nostros circa mulierum curam certis locis certisque inter se legibus in una domo conviventium occupari et distineri paulatim permitteret.

Censuit fortiter his initiis occurrendum : cum cura qualiscumque talium Constitutionibus... vi-

deatur adversari, periculisque haec res sit non vulgaribus multorumque oblocutionibus exposita, maxime quod haec cura alienissima semper a Societatis Instituto ministeriisque habita fuerit. Quare Superiores omnes monitos voluit, ut ab omni illarum directione ac promotione abstineant; neque suorum quemquam quocumque praetextu patiantur illarum se rebus miscere... Rogavitque Congregatio R. P. Nostrum, ut... dignetur... omni studio invigilare huic malo, eaque remedia adhibere, quae in hanc rem validissima et certissima iudicaverit.

et de feminis simul degentibus.

41. Itaque non de solis mulieribus religiosis agitur, sed de feminis omnibus, quae in una vivunt domo, certisque inter se iunguntur legibus.

Harum curam qualemcumque adversari Constitutionibus, ea quae dixi generalia comitia declarant.

Eadem, huius curae pericula esse non vulgaria, nos edocent. Ab ea cura vel directione Superiores omnes abstinere debent.

Nemini fas est, quocumque praetextu illarum mulierum se rebus miscere. Quare initia earum et institutionem iuvare, regulas condere, regere mulieres illas, vetitum nostris est. Hae enim sunt *res* illarum, et quidem primae ac praecipuae; in earum vero res immittere nos prohibemur.

Integrum generali Praeposito non est connivere in hac re, sed vigilandum est ipsi et, cum haec cura sit malum, initiis illius mali est occurrendum fortiter et malo quaerenda remedia validissima et certissima. Imposita est ei haec agendi necessitas. Quae enim a comitiis generalibus sanciuntur, leges sunt.

Quid vero in hoc genere liceat, quid vetitum sit, nominatim definitur a S. Ignatio et a Congregatione generali vicesima. S. Parens noster haec constituit parte sexta Constitutionum cap. 3. n. 5 : *Cum homines itidem huius Societatis* (haec eius sunt verba) *semper parati esse debeant ad discurrendum per quasvis mundi partes, ubi fuerint a Summo Pontifice vel a suis Superioribus missi; non debent curam animarum, neque item mulierum religiosarum, vel aliarum quarumcumque suscipere, ut ordinarie illarum confessiones audiant, vel ipsas regant : quamvis nihil repugnet, semel unius monasterii confessiones, ob speciales causas, audire.*

Congregatio autem vicesima haec decrevit, quae, ut sunt in Instituto nostro, transcribo : Approbavit Congregatio decreto duodecimo, numero nono : *Ut nemini nostrorum* (haec sunt verba), *nisi maturae sit aetatis, et, si fieri potest, ante determinatam aetatem, permittatur frequentare monasteria monialium aut puellarum conservatoria; et iis, quibus permittetur, liceat accedere*

tantum ad tradenda Exercitia spiritualia, vel pro excipiendis extraordinarie confessionibus...

Facta tamen est huic decreto intercessio quoad punctum, in quo prohibentur nostri accedere ad monasteria monialium vel puellarum conservatoria, nisi ad tradenda Exercitia spiritualia vel ad excipiendas extraordinarie confessiones, et dictum fuit, huius decreti exsecutionem esse moraliter impossibilem, saltem in pluribus locis. Attentis rationibus quae afferebantur, placuit Congregationi hanc apponere limitationem, ut si in aliquibus locis obtineri nequeat ne nostri frequentius accedant ad dicta monasteria et conservatoria, id non fiat nisi ob graves et iustas causas et ex speciali Superioris licentia.

Congregatio vero tertia et vicesima, cum eadem res diligenter fuisset perpensa quattuor actionibus, edidit decretum quadragesimum, quod refero verbis ipsius Congregationis. *Cum in pluribus Congregationis actionibus* (ita decernit) *tractatum esset de cura monialium, et varia in utramque partem fuissent disputata, censuit demum Congregatio, nullum novum de hac re decretum esse necessarium, sed standum esse Constitutioni S. P. N. Ignatii et Congregationum decretis.*

Quam severitatem nemo mirabitur, qui cognoverit Pontificia auctoritate prohibitum esse presbyteris Societatis Iesu *ne se in directione* (haec sunt verba Summi Pontificis) *convictuum*

quarumcumque mulierum immiscerent, cum id ipsius Societatis Instituto contrarium dignoscere-tur. Haec refert Benedictus XIV; idemque Pontifex, cum ex Concilio Tridentino consequens esse pronuntiasset : *Monasteria adire, monialesque invisere sine custodis (Episcopi) iussu licere nemini*, rata eadem habuit, haec adiciens : *Quae quidem confirmata omnino volumus, ac, si opus sit, quod non putamus, nova lege sancimus* (1).

Const. *Quamvis iusto*, anno 1749 prid. Kal. Maii.

Trid. sess. 25 De Regul. et Monial. c. 5. rf.

Planum igitur est, tam legislatorem nostrum, S. Ignatium, quam comitia nostra generalia, ad mentem S. Ecclesiae fecisse, cum leges in eam quam dixi sententiam tulerint. Sanctus autem Fundator etiam exemplo quid spectaret haud obscure declaravit.

Dotare coeperat Societati collegium dux Ferrariensis. Plurimum ille valebat opibus ac potentia, favebatque feminarum coenobio, tum propter perspectas sibi illarum mulierum virtutes, tum maxime, quod mater eius religiosam illam familiam instituisset. Petiit igitur a Sancto Ignatio, ut *aliquot* tantum *dierum* (2) curam illi mona-

(1) Epistola encycl. *Gravissimo, qua prohibetur ne quis, etiam exemptus et ecclesiastica dignitate praefulgens, ad monasteria monialium accedat sine Ordinarii loci licentia.* Cp. Ben. XIV de syn. dioec. l. XIII. c. 12. n. 23.

(2) Haec Romae ita reddita sunt italice : *per alcuni pochi giorni* (a. 1860). Recens interpres utitur hisce verbis : pour quelque *temps*. P. Ribadeneira rem ita narrat : para que algunos *dias* tuviesen cargo.

sterio tribui a nostris permitteret. Verum nullis poterat precibus impetrare, ut vel brevissimo illo tempore quispiam nostrorum curam sustineret mulierum religiosarum. Erat enim in ea re immobilis. Quod si pater fuit immobilis, genuinos filios etiam decet esse immobiles.

Ribadeneira vida del B. P. Ignacio de Loy. l. 3. c. 14. (Vers. ital. c. 13).

Profecto haec admirabilis sapientissimi viri constantia nos admonet tum de gravitate rei, tum de illorum errore, qui fortasse sentiunt curam mulierum, quae simul certis legibus vivunt, repugnantem nostro Instituto non esse, si ordinaria non sit, vel si integrum maneat nobis, cum volumus, eam deponere.

de socii Regula.

42. Pari tenentur errore, qui regulam de socio secum retinendo existimant ex diffidentia ortam, obstare gloriae Dei, eamque aetati nostrae ac moribus non convenire.

Ad primum quod attinet, obsecundandum est regulae Sancti Fundatoris nostri, qua monemur, promptiore animo *sententiam obscuram alterius in bonam trahere partem, quam damnare.* Quod multo magis de lege dicendum est, quae lata a viris gravissimis, duobus saltem saeculis servata a parte Societatis non infima, magni semper aestimata est a viris doctrinae ac virtutum laude clarissimis. Si igitur gravia rationum momenta hanc regulam commendant, his potius tribuenda est sanctio regulae, quam suspicionibus. Societas non diffidentia partam eam esse censuit, sed Deo

Exerc. spir. S. P. Ign. editio Namurc. alt. p 24.

auctore constitutam. Ceterum prudentis est, ut habet aurea de virtute oboedientiae epistola, *sua ipsius prudentia minime fidere*. Equidem fateor, me diffidentia moveri, non fratrum meorum, sed mei ipsius, eaque de causa numquam exire domo sine socio. Habet autem ea regula dignitatem. *Sacerdotes*, ut testatur P. Natalis, *soli non egrediuntur propter decentiam*. Idem haec de S. Ignatio narrat : *Ad confessiones audiendas extra nostrum templum nullum misit solum, non ad contionandum, non ad iuvandos moribundos*. Qui enim genere vel munere sunt clariores, comitati procedere solent. Quid autem clarum magis, quam totum se addixisse Domino Deo in religioso instituto?

Ep. S. P. N. Ign. de virt. obed. n. 11.

In declar. I. c. III. p. Const.

Ibid.

Alterum, quod obstet haec regula gloriae Dei, ratione vacat omnino. Rei enim adeo sanctae obesse non potest fidelitas et studium legum nostrarum. Haec, non regularum neglectus, Summi Boni amorem gratiamque nobis conciliant. Sine divino auxilio autem quid agimus? quid praestamus, quod intersit ad hominum salutem? S. Petrus noster ausus numquam est pedem efferre domo sine comite. Numquid offuit hominum saluti haec fides, haec religio? Centena milia si quis, neglecta socii regula, ad Christum adiunxerit inanium deorum cultorum, quibus salutem praesente comite afferre non potuisset, ei fortasse socii regulam incusare licebit.

Ad tertium quod spectat, regulam hanc aetati nostrae non esse consentaneam, equidem sentio nostrum esse ita coniti et contendere, ut sit consentanea. Neque enim adeo serviendum est tempori, ut disciplina religiosa fidesque Deo data labefactetur. Sed neque est verum, illam regulam non convenire nostrae aetati. Gravioribus enim nunc, quam acta aetate, cingimur periculis, magis nunc furit criminandi libido, atque impune convicia et calumniae, qua voce qua scriptis, iaciuntur in homines religiosos. Firmioribus nunc, quam olim, muniri praesidiis Societatis famam necesse est.

Sed dicet aliquis, rem iis esse difficilem, qui Superiores non sunt. Usu et experientia doctus, non diffiteor facilius Superiorem, quam alium quemcumque, ad nutum habere cum quo exeat domo. Tamen etiam iis, quos habent sibi subiectos, paterne provident moderatores, ut egredi foras sine comite non cogantur. Gravior fortasse est ex libertatis amore difficultas et ex verecundia quadam, vel timore humano paucorum, qui dedecus putant fateri se regulae esse subiectos. Pietas vero in Deum, pietas in Societatem, parentem nostram amantissimam, hunc superat timorem. Et ex iis quae obstant legi, securius accrescet regulam servantibus meritum, certiorque laborum conatuumque fecunditas.

Sunt qui *ad mentem*, ut aiunt, servari regu-

lam velint. Hi certe non aliam quam Sancti legislatoris mentem tamquam normam sibi constituunt. Haec autem mens quaenam fuit? Historia Societatis nos eam edocet. P. Orlandinus libro quarto decimo, numero septimo haec margini apposuit : *Cura Beati Ignatii, ne suorum quis feminas quasvis viseret sine comite, qui et spectator semper adesset.* Dein factum enarrat his verbis : *Sedulo autem Ignatius excubans cura in filiorum suorum tum sanctitate tuenda tot inter animarum iuvandarum diversa munera, tum fama praemunienda, edixit tota Societate non modo ut feminarum quamvis nobilium, aut decumbentium domos incomitatus nemo adiret, sed omnino ea esset in alloquendis observatio atque provisio, tametsi exciperetur confessio, ut aures quidem comitis, sed oculi numquam excluderentur. Utque doceret, quantum apud se ea lex haberet ponderis et custodiam exemplo sanciret, cum unum e Sacerdotibus domesticis hominem senem et antiquae bonitatis contra fecisse cognosset, sed per bonam simplicitatem, ut prorsus culpa vacaret; tamen ad ceterorum commonitionem octo Sacerdotes unum convenire iussit in locum, in eorumque medio reum flagello se caedere, quoad singuli ex iis singulos e psalmis Davidicis pronuntiarent, quorum primus psalmus esset quinquagesimus.* Orland, hist. S. I. 1. 14 n. 7.

Quis nostrum ausus fuisset umquam ab homine sene, a viro sincero, simplici ac religioso, a

Sacerdote tantam repetere poenam? Estne haec illa benignitas paterna, quam extollunt laudibus, qui de rebus a S. Ignatio gestis scripserunt? Est sane! Benignitas haec insignis profecto exstitit. Non enim uni solum nostrorum, sed toti profuit Societati, nec solum de filiis suae aetatis optime meritus est S. Parens, sed etiam de posteris. Erudivit enim omnes, qui nihil in ea regula momenti esse putant, eamque levi de causa neglegunt; et poenam irrogando gravem, quanti sit ponderis haec praescriptio, etiam nos edocuit. Fuit sane benignissimus pater divus Ignatius, filiorum amantissimus omnium. Ea de causa ad sanctitatem instituit omnes, et quotquot potuit gloriae aeternae fecit participes. Contra benigni non sunt nec paterni praesides, qui omnibus in rebus conivent et noxas atque errata tolerant, salutarium aliquando flammarum ignibus expianda.

Mentem S. Ignatii perspectam habemus. Eadem est mens Superiorum aetatis nostrae quam plurimorum. Facere non possum quin hunc iis animum ac virtutem gratuler, gratiasque agam amplissimas de conatu, labore ac studio, quo sanctam de socio regulam tueri conixi sunt. Neque enim me latent difficultates ac molestiae, quas subierunt magno animo, ut Dei obtemperarent voluntati, qua voce qua exemplo illam regulam inducendo vel eam sustinendo incolumem. Non dubito quin vocationem tutam praestiterint multorum, ad per-

fectionem provexerint plurimos, famae ac dignitati Societatis servierint, eamque tutati sint, ac praecipue Dei gratiam et auxilium domibus ac provinciis impetraverint. Quem Dei favorem ac praesidium sempiterna iis exopto ac praemia aeterna ipsis obventura precor et confido.

Quod si fortasse sint, qui contra hanc regulam nitantur, ne despondeant animum praesides. Grande enim beneficium agitur in eos conferendum, qui illo indigent prae ceteris. Sunt isti aegris hominibus similes, qui salutaria medicamenta respuunt. Hos ideo non deserimus, quod sibi consuli nolint; sed blande primum, dein fortiter instamus, ut remedia sibi adhiberi patiantur, victa qualicumque morositate sensuum. Atque haec agimus eo propensius, quo ardentius amamus. Aegri sunt, qui aberrant a regula, aegriores, qui adversantur legi, nec statuunt secum ipsi, ut docet S. Ignatius, *quicquid Superior praecipit, ipsius Dei praeceptum esse et voluntatem*. Hi repugnando regulae de socio animum patefaciunt suum, ac regulam sibi potissimum necessariam esse non obscure demonstrant. His ergo est opitulandum studiosius, et quamvis aegre se adiuvari patiantur, a cura desistendum non est. Ingenti enim eos afficimus beneficio, quod interdum est aequiperandum aeternae saluti. A beneficio vero fratribus nostris, quoad licet, praestando cessandum numquam est, tum ipsorum gratia, tum discipli-

nae causa atque exempli, quod manat ad aliorum damnum non leve vel ad ipsam perniciem.

Lugent nonnulli et lugebunt, quod regulam de socio magni non fecerint. Asserere non dubito, eam insigne esse decus Ordinis tum nostri, tum aliorum, quorum ad laudem nonnulli et ad exemplum eam servant. Si, quod Deus avertat, hanc legem tolleret aliquando incuria vel ignorantia, obscuratum doleremus nobilissimum Societatis nostrae splendorem, damno nostro non levi ac dedecore, mali autem daemonis exsultatione incredibili.

Quare vos rogo atque obtestor, Reverendi Patres ac Fratres in Christo carissimi, nolite committere ut hoc, quod Deus ipse Societati suae elargitus est donum ornamentumque clarissimum, vel intereat umquam vel obsolescat.

Vis legum repetenda est a fontibus iuris nostri,

43. Et haec quidem, quae de summi momenti regula dixi, in totam Instituti rationem aliquo modo conveniunt. Illud autem in primis animo teneri oportet, vim regulae non ab exemplis, sed a fontibus iuris esse repetendam. Exempla enim virorum, etiam praeditorum virtute, leges non sunt. Docent exempla quid fiat, leges vero quid fieri debeat. Varia sunt exempla et legibus saepe dissimilia, nataque non raro ex legum ignorantia. Harum cognitio haurienda est ex Constitutionibus vel litteris Apostolicis, ex Constitutionibus Sancti Fundatoris nostri, ex Congregationum generalium

decretis. Ab hisce fontibus, qui rationem legum continent, scientia Instituti primum, dein a regulis et Ordinationibus petenda est, quae vel idem statuunt, vel ex illis fontibus manant. Augetur illa scientia et locupletatur Instructionibus, quae etsi nec leges sunt, nec regulae vel Ordinationes, deducuntur tamen ex ipsis legum fontibus, ac tam Superiores, quam alios mirifice adiuvant ad officia Societatis exsequenda. Haec quo saepius, quo attentius ac studiosius legerimus, eo pluris Institutum faciemus, eo propensius pietatem et amorem in Societatem non solum verbis, sed etiam re probabimus.

non a consuetudine quacumque.

44. Contra ex ignoratione legum nostrarum id consequitur, ut plus mori nostro et consuetudini quam Instituto tribuamus, ut magis quam par est diversa in Societate sit vivendi ratio, ut in eadem Provincia domus a domo in disciplina discrepet, ut in eadem interdum domo et iisdem Superioribus non sit idem gubernandi modus, et certum cuique non sit quid agat, deficiente firma et stabili norma Constitutionum nostrarum.

Quae profecto plurimum detrahunt de Societatis amore atque Instituti reverentia. Amor autem nostrae Matris si absit, iussaque eius si iustam venerationem non habeant, labi religiosam disciplinam necesse est, ac languere studia sancta pietatis, doctrinae, Exercitiorum spiritualium Beati Parentis nostri ac missionum collegiorumque

excelsa desideria. Subit dein animum atque obsidet rerum nostrarum taedium, atque ex taedio prodit opinio, Societatem non convenire ingenio alta spectantium, nec lumini, ut dicunt, aetatis nostrae congruere. Mira prorsus opinio ignorantium res nostras vel caecorum! Maiorem enim in modum petuntur nostri ubi non sunt, atque in tot regionibus petuntur, ut postulantium votis satisfieri non possit, atque a viris non solum primariis, sed etiam summis.

Non inveteravit Societas.

Ubi vero sunt, singulari hominum proborum utuntur benevolentia, iuventutem, quoad fas est, instituunt litteris, populos excolunt, prosunt omnibus.

Eiectos e sedibus luget populus fidelis, atque incredibili conatu, labore ac studio contendit et conititur, fortunatum parare exsulibus reditum in consueta quondam et cara domicilia.

Societas igitur, quae gratia Dei summa est, non consenuit. Quod quidem dico non glorians — absit —, sed laudem tribuens et honorem debitum Deo Domino ac Salvatori nostro, gratiasque agens iustissimas conditori Deo, qui fecit *nobiscum misericordiam*. Huic misericordiae ac benignitati confisus infinitae, iterum dico : Non consenuit Societas. Minime vero consenuit divinus erga dilectam Societatem amor, minime Dei clementia. Atque in ea re consentientes mecum habeo Patres secundae vicesimae Congregationis

Tob. 8, 18.

generalis. Huius enim suae voluntatis testimonium nobis reliquerunt ac simul documentum priscae fidelitatis, quod tanti ponderis atque momenti cum sit, illud ita proferendum esse duxi in lucem, ut Nostris palam fieret omnibus. His autem est enuntiatum verbis :

Priscae fidelitatis documentum

Patres deputati ad detrimenta cognoscenda Congregationem rogarunt, ut auctoritate sua compesceret quosdam e nostris, qui dicere non verentur, ab ea, quae nunc est, temporum condicione exigi, ut nostrae Constitutiones temporibus aptentur. Ut haec res audita fuit, non potuit Congregatio, quin ex indignatione simul tota exclamaret. Res quidem vix credibilis videbatur, sed Patribus deputatis fides non poterat non haberi. Aliqui petebant, ut in illos homines utpote Societatis perturbatores severiore decreto animadverteretur. Verum cum huic deterrimo malo plene provisum sit Congregationis V decreto 54, Congr. VI decr. 2, Congr. IX decr. 25, cumque huius criminis reos non appareat esse nisi paucos, Congregationi visum est novo decreto opus non esse, sed Superioribus demandandum, ut in huiusmodi homines inquirant, sique de delicto constiterit, ea, quae in illis decretis praescripta sunt, exsequantur.

Qui tam praeclare senserunt, quique haec censendo profuerunt Societati maiorem in modum, sunt mortui nunc fere omnes. Tres tantum, quod sciam, superstites sunt. At vero emortuus non

est ille animus, non exstinctum est lumen eiusdem consilii ac sapientiae. Vivit per Dei gratiam bonitatemque infinitam, vivit vigetque fides illa innata Societati insitaque illi fidelitas probitasque; nec deletum est, nec fractum vel labefactatum animi robur et invicta in tuendis legibus constantia.

Amabilissimo Iesu Cordi gratiam hanc insignem referimus acceptam; Maternum Cor Virginis Immaculatae eam nobis conservat, Sanctus Pater noster deprecator nobis adest, triumphans in caelis Societas nobis opitulatur. Ad eandem retinendam animum nostrum erigit et confirmat trium Sanctorum fortitudo ac gloriosa victoria. Non enim possumus non parere legibus, quibus sanctus senex Alphonsus tanta religione obtemperavit, ut fingi nihil possit perfectius; non possumus non caras habere regulas, quas ita in deliciis habebat S. Ioannes, ut mori potius voluisset, quam minimam praeterire regulam; non possumus non primas dare praescriptionibus nostris, quas ita colebat S. Petrus, ut cum infinitus ei esset labor fructuosissimi apostolatus, nihil tamen operis vel sanctissimi aggredi vellet, quod exsequi regula incolumi non potuisset. Insedit in Sanctorum animis penitus ea veritas, Dei ipsius denuntiari voluntatem per regulas; qui iis obtemperent, acceptos carosque esse Salvatori nostro, dignos nomine Iesu sanctissimo, ac gloriae aeternae futu-

ros aliquando participes. Ea spes sanctos heroes nostros non fefellit, neque fallet vos, Reverendi Patres Fratresque dilectissimi, quos vestigia eorum veneranda secutos, caelestis regni hereditatem aeternam adituros esse confido. Quam ego gratiam vobis omnibus ex animo mihique desiderans, SS. Sacrificiis et precibus Vestris me commendo.

Fesulis die festo B. V. sine labe
conceptae a. 1890.

OMNIUM SERVUS IN CHRISTO
ANTONIUS MARIA ANDERLEDY, S. I.

Faciant Superiores, ut haec epistola in triclinio, si fieri potest, secus in aliqua aula legatur coram iis saltem omnibus, qui Fratres Coadjutores non sunt.

EPISTOLA

R. P. N. ANT. MAR. ANDERLEDY

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS IESU

DE VANITATE RERUM HUMANARUM EXEMPLO S. ALOISII CONTEMNENDA

Romae Sancti Aloisii Gonzagae Societatis Iesu, principatus contemptu et innocentia vitae clarissimi.

Hac illustri laude Martyrologium Romanum triumphalem nuntiat Beatissimi Fratris nostri ad caelestia regna migrationem.

Despicit mundum Aloisius.

1 Cor. 9, 25.

1 Petr. 5, 4.

1. Feliciter ille terrena cum caelestibus honoris et imperii insignia permutavit. Rerum divinarum amore *corruptibilem* sprevit, *immarcescibilem* vero adeptus est *gloriae coronam*.

Cum paratae illi erant opes, cum deliciae suppetebant et hereditario iure obventurus ei erat regionis patriae dominatus, cum summam

penes eum futuram aliquando potestatem populus sibi gratulabatur; fortunatus ille iuvenis, rebus diffidens transituris, copiam rerum, vitae iucunditatem, splendorem ac magnificentiam levia atque inania ducit, pro nihilo putat, aspernatur.

Nihil melius est, ita sensit cum filio Sirach, *nihil melius est, quam timor Dei et nihil dulcius, quam respicere in mandatis Domini. Gloria magna est sequi Dominum.* Eccli. 23, 37-38.

Cum vero stetisset sententia sequi Dominum quam proxime, ac vitae rationem inire pauperem et hominum opinione ignobilem, non eum latuit, in laboriosum ideo cum patre sibi veniendum esse certamen. Illud suscipit tamen ac mirabili constantia sustinet contra parentem, quem veneratione summa, amore tenerrimo prosequebatur.

Vincit tandem atque incredibili palam gaudio triumphat. Adeo succensus erat amore Divino beati adulescentis animus, ut suam laudare fortunam verbis Prophetae regii videretur : *Mihi autem adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Ps. 72, 28.

Mirari iuvenem homines plerumque solent, qui caelestia reputans potiora terrenis, procul a patria et parentibus religiosum vitae institutum ordiri decrevit. Abicit ille bonorum huius terrae spem aliquam, sed spem fortasse rei modicae vel pertenuis; Aloisius vero spem sibi adimit opum

amplissimarum; ille spem obscuram, dubiam ac vacillantem; Aloisius vero manifestam, certam, firmamque; illi ad acquirendum quod sperat, opus foret labore et contentione; Aloisio vero luctandum est acerrime, ut amoveat a se atque avertat quod iure ei obventurum esset natalicio.

Sunt etiam qui se abducant a rebus humanis, harum gravia pericula experti; Sanctus vero Aloisius semper *innocens manibus et mundo corde*, numquam non cavit summa vigilantia, ne quidpiam ad se perveniret, quod aspergeret labem animo candidissimo.

Ps. 23, 4.

Vivendum tamen ei in medio mundo fuit, in aula etiam potentissimi regis, neque integrum ei erat a prima aetate, subducere se hominum profanorum consuetudini. Cum proceribus ei erat agendum, viris ac feminis, cum ipsa Maria Austriaca, Imperatrice; ad eius tamen faciem oculos intendit numquam angelus ille, qui eos ab ipso etiam materno vultu continebat. Haud scio an fingi in hoc genere aliquid possit mirabilius. Tum domi, tum in aula regia adeo modestiam coluit, ut iure merito, si quem innocentia morum conspicuum cernimus, alterum praedicare soleamus vel Angelum, vel Aloisium.

Hanc autem virtutem, quae proxime ad Angelorum, ad Immaculatae Virginis, ad Dei ipsius similitudinem accedit, firma et stabili munivit

rerum externarum despicientia, in eaque totam vim sancte vivendi quodammodo collocavit iuvenis ille, *principatus contemptu et innocentia vitae* vere *clarissimus*.

Nos autem similes illi Angelo fecit sancta nostrae vitae condicio, quam acceptam referimus Dei miserentis infinitae bonitati. Sumus etiam ea in re tam illustri exemplo similes, quod in mundo vivendum nobis sit. Ad homines enim salutis periculo liberandos cum simus Dei nutu vocati, cum hominibus versandum nobis est etiam a religione remotis, quibus facem praeferamus ad fidem, ad Dei cultum, ad omnem vitae honestatem.

Etiam a nobis spernendus est mundus,

2. Sed in primis e Sancto Fratre nostro virtutis similitudinem ita ducamus necesse est, ut dum mundi circumfundimur aura, mundi dolis insidiisque non circumveniamur. Cavendum igitur est nobis; nec ulla cum iis qui a Christo Domino dissentiunt ineunda societas. Iuvandi quidem sunt qui aberrant a lege Domini; sed ab eorum opinionibus, institutis, moribusque abhorrendum est.

3. Hoc concepto in mundum odio, hoc rerum humanarum contemptu, hoc fastidio summum Societatis decus, innocentiam vitae sanctissime tutabimur. Quicquid enim est virtutis huius nitori contrarium, ex sordidissima re, ex carne oritur. Ex carne etiam manant illae concupiscentiae, ex

ex carne ortus,

quibus mundus veterator constat totus. Ex carne nascuntur illa domestica intestinaque proelia, quae inter se corpus et animus assidue gerunt. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; haec enim sibi adversantur.* Ita gentium Apostolus.

cum spiritu pugnans,

Gal. 5, 17.

discidium inferens in humanum genus.

4. Iam vero sicut spiritus et caro inter se in uno homine pugnant, ita etiam hominem ab homine seiungunt, dirimuntque humani generis societatem. Alii enim homines spiritui obtemperant, alii carni oboediunt. Carni obsecutus est Cain, carni indulserunt illi, quos Sacrae Litterae *filios hominum* vocant.

Ps. 61, 10.

Gen. 6, 2.

Contra *filii Dei* a Seth, qui pio Abeli suffectus est, claram derivant originem. *Filiae hominum* vero ad suas partes trahunt et ad nequitiam abducunt filios Dei paene omnes; *dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.*

Ib.

Ib. 6, 3.

Eadem est discidii ratio inter filios Noe, eadem inter filios Abrahae.

Certant spiritus et caro in filiis Isaac, certant in urbibus, in populis, aliosque ab aliis distrahunt.

Ab Adamo, qui ab oboedientia Dei descivit, ad Noe, a Noe ad Abraham, ab Abraham ad Moysem, a Moyse ad adventum Christi Domini exstitit filiis Dei cum filiis hominum, virtuti cum voluptate, spiritui cum carne perpetua luctatio.

Ex quo surgunt duae civitates,

5. Ex spiritu et carne surgunt duae illae civitates, quas legentibus sub aspectu ponit mirabilis Doctor Augustinus : civitas Dei et civitas hominum. Illa filiorum Dei est, haec filiorum hominum; illa caelestis, haec terrena; illa in Creatore, haec in re creata spem collocans; illa peregrinans in terra et ad caelestia contendens, haec terrenis, tamquam si sola sint, gaudiis inhians; illa eorum qui utuntur mundo, ut fruantur Deo, haec vero hominum qui, ut fruantur mundo, uti volunt Deo; illa spiritus, haec carnis est civitas.

De civitate Dei l. 15. c. 1. ss.

Dei et hominum.

Ad hanc pertinet mundus

6. Hanc carnis civitatem significamus, cum de mundo nobis est sermo. Cum enim mundum dicimus, de hominibus loquimur qui sunt in mundo, non tamen de omnibus, sed de iis solum qui adeo addicti sunt rebus terrenis, ut ad partes Christi Domini transire nolint.

vanitati deditus,

Hi autem quinam sunt? Sunt filli hominum, qui diligunt vanitatem, qui clamant : *Venite... fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura. Cinis*, aiunt, *erit corpus nostrum... et transsibit vita nostra tamquam vestigium nubis et sicut nebula dissolvetur... et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus et nemo memoriam habebit operum nostrorum. Ex nihilo nati sumus et post hoc erimus tamquam non fuerimus.*

Ps. 4. 3.

Sap. 2, 6.

Ib. 2, 3-4.

Ib. 2.

Sunt filii hominum, qui quaerunt mendacium, *qui dicunt bonum malum et malum bonum, ponen-*

Ps. 4, 3.

mendax,

Is. 5, 20. *tes tenebras lucem et lucem tenebras.* Sunt illi, qui
Ps. 61. 5. *ore suo benedicebant et corde suo maledicebant,* qui eo usque sunt mendaces, ut *moliantur fraudes contra* ipsas *animas suas.*
Prov. 1, 18. Sunt illi, qui ipsam *commutaverunt veritatem Dei in mendacium.*
Rom. 1, 2.

insipiens, Sunt insipientes illi, qui *evanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes... se esse sapientes, stulti facti*
Rom. 1, 21-22. *sunt.* Apprehendunt *umbram,* persequuntur *ventum.*
Eccli. 34, 2. Una est ipsis reliqua *sapientia, quae abundat in malo,* sapientia, quae incidit *in laqueum*
Ib. 21, 15. *diaboli,* illa sapientia, quae a S. Iacobo definitur *terrena, animalis, diabolica.*
1 Tim. 6, 9. Est enim sapientia eorum *sapientia carnis, inimica Deo.*
Iac. 3, 15.
Rom. 8, 7.

spe orbatus. Inimico vero Dei quaenam spes, quaenam exspectatio esse potest? Insani hominis ac stolidi spes eius est. *Vana spes et mendacium viro*
Eccli. 34, 1. *insensato.* Spes eius, ut habet liber sapientiae, est *nebula,* est *vestigium nubis,* est *umbrae tran-*
Sap. 2, 3 et 5 *situs.*

contumax in Deum. Quod vero perversissimum, est mundi superbia. Deo, rerum dominatori, obtemperare detrectant mundi asseclae. *Quis est Omnipotens,* aiunt, *ut serviamus ei? et quid nobis prodest, si ora-*
Iob. 21, 15. *verimus illum?* Legem Dei sanctissimam respuunt, et vel cognitionem eius contumaciter repudiant. *Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum*
Ib. 14. *nolumus.* Contemptum audent opponere legisla-

tori supremo. *Quasi nihil posset facere Omnipotens, aestimabant eum.* Est haec superbia, quam his verbis castigat Isaias : *Audivimus superbiam Moab, superbus est valde, superbia eius et arrogantia eius et indignatio eius plus quam fortitudo eius.* Ib. 22. 17. Is. 16, 6.

saeviens in homines,

Cuius arrogantiae et indignationis indicium est crudelitas et saevitia, quam in eos adhibet mundus, qui eius non accedunt impietati. *Opprimamus*, sic vult mundus, sic iubet, *Opprimamus pauperem iustum. Circumveniamus... iustum, quoniam... contrarius est operibus nostris et improperat nobis peccata legis. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius.* Sap. 2, 10. Ib. 12. Ib. 15.

Quare, si mundi originem spectes, est res vilissima, est caro, pugnans adversus rem nobilissimam, adversus spiritum; si dotes, sunt vanitas, caecitas, insipientia, superbia; si verba, sunt verba malitiae et mendacii; si opera, sunt fraudes, turpitudo, violentia, hominum proborum persecutio.

positus a Christo Dom. in culpa

7. Verumtamen quorsum ista commemoro? Numquid est timendum, ne quispiam nostrum impiis se iungat, iis faveat vel studeat, vel pestiferos eorum conatus adiuvet? Haec vel cogitare horret animus. Sed cum in ipso Apostolorum collegio, praeeunte Christo Domino, sermo fuerit de mundo non infrequens, idemque ad pariendam

mundo invidiam accommodatus; nonne persaepe sanctum illud odium incendi etiam in nobis oportebit?

ingrati animi,

Non solum beneficiorum immemorem mundus, sed infensissimum Christo Domino nullo non tempore se ostendit. *Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit Deus Filium in mundum, ut iudicet mundum, sed*

Ioann. 3, 16-17

ut salvetur mundus per ipsum. Summa haec beneficentia est, qua ampliorem ne Deus quidem exhibere mundo potuisset.

odii in Salvatorem,

Et mundus quo animo tantam gratiam excepit? *Mundus eum non cognovit.* Mundus odit

Ib. 1, 10.

Ib. 7, 7.

salvatorem suum; teste S. Ioanne. Eodem teste odit et persequitur Apostolos. Mundus enim ex carne est, et auctore Apostolo, *qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum : ita et nunc.* Ismael vexabat fratrem Isaac; eodem animo profani homines servos Christi fideles insectantur.

Ioann. 15, 18. Ioann. 16, 33.

Gal. 4, 29.

Huc accedit, quod *omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et superbia vitae. Mundus* igitur *totus in maligno positus est* principi suo daemoni malo consentiens. De quo duce vaticinatur Veritas aeterna : *Princeps huius mundi eicietur foras.* Quare Salvator mundi in sermone, qui ei ultimus

1. Ioann. 2, 16.

Ib. 5, 19.

Ioann. 12, 31.

fuit ante passionem, coram Apostolis declarat : *Non pro mundo rogo.* Repudiavit enim mundus beneficia redemptionis et fructu vacuam fecit operam et orationem Filii Dei. Ib. 17, 9

amatus ab hominibus ignavis.

8. Haec est hominum, haec carnis est civitas. Sunt etiam qui huic civitati nomen dare ac totos se illi tradere nolint, nec a fide et oboedientia S. Ecclesiae plane discedere. Attamen tantum animorum iis non est, ut fidem et operam omnem Christo Domino addicant : Sunt illi *duplici corde* secundum Ecclesiasticum, *claudicantes in duas partes* secundum Eliam Prophetam; stantes a Deo in speciem, saeculo faventes reipsa. Aequas illi partes facere cum divino Salvatore et mundo corruptore tentant. Negant pugnare inter se haec duo, profanum esse hominem et christianum; pie cum Deo, libere ac licenter cum hominibus agere : tribuere his quod foris est, quodque patet omnibus, Deo vero, quod est intus vel quod remotis arbitris geritur. Famam tueri volunt hominis ad saeculi consuetudinem eruditi, ut placeant mundo, et colligere existimationem virtutis, ut iis iniucundi non sint, qui religionem pietatemque colunt. Putant terrena cum caelestibus, virtutem cum vitio aliquo facile conciliari. Existimant, duplices se consequi posse delicias et coronas, tam huius vitae, quam futurae. Duobus igitur dominis dum serviri posse putant, serviunt sibi, normam vivendi ipsi sibi statuunt, legum vinculis Eccli. 1, 36. 3 Reg. 18, 21.

se expediunt, libertatem summum hominis ius esse decantant, consentientes mundo, qui legum impatiens *tamquam filium onagri* in silva *se liberum natum putat.*

Iob. 11, 12.

Hoc vacillantium hominum genus est fortasse periculosissimum, et cum illius malis medendum sit a nobis, cavendum quam maxime, ne vel consulendo, vel conivendo, vel quosdam eorum mores imitando labem aspergamus nobis ipsi et ab Instituti nostri integritate deficiamus.

Persuasum igitur nobis, firmum atque insitum penitus sit monitum S. Ioannis Apostoli : *Nolite diligere mundum, neque ea, quae in mundo sunt.*

1. Ioann, 2, 15.

A nobis est debellandus :

9. Non amor hic agitur, sed bellum. Debellandus est mundus, et enitendum ut expugnentur animi Christo duci nostro, et erepti e mundi faucibus quam plurimi, deditionem faciant hominum Redemptori.

I. in nobis,

10. Gloriosae vero huius dimicationis initia ubi ponenda sunt? Non alibi profecto, quam in nobis ipsis. Ex nostro animo, si qua insident, atque inhaerent mundana, Deo benigne iuvante, exstirpanda sunt penitus. Et quamvis cum filiis huius saeculi versandum sit frequenter, ingenio tamen et moribus ab iis prorsus nos oportet esse seiunctos. Deo enim dicati cum simus, ad perfectionem et sanctitatem contendendum nobis est. Quicquid autem sanctum Deoque dicatum, idem separatum ac segregatum a rebus moribusque

quia Deo sumus dicati,

proinde

profanis, proprium ac peculiare Domino esse debet. Efflorescit enim sanctitas ex separatione ab iis quae inferunt labem. Menti autem aspergitur macula, cum rebus, se inferioribus, amando coniungitur. Res etiam quaelibet ex admixtione deterioris depravatur. separati a mundo

Quare Deus separari mandabat quae dicata Domino et sancta aestimari debebant.

Primitias sibi dicatas, hoc est sanctas, expetiit. Separari eas mandavit a rebus ceteris. *Separate*, ait Moyses, *apud vos primitias Domino*. Vasa sacra separata ab usu profano, Deoque seposita sunt. Dies colitur sanctus; idemque separatus, Deo proprius est ac peculiaris. Pari modo locus sanctus, terra sancta, civitas sancta, Deo sunt obligata religione sempiterna. Exod. 35, 5.

Populum, qui sanctus esset, elegit sibi Dominus. Separavit illum. Haec enim per Moysem loquitur : *Eritis mihi sancti, quia... separavi vos a ceteris populis, ut essetis mei.* Lev. 20, 26.

Populus sanctus es Domino Deo tuo, ait Moyses. *Te elegit Dominus Deus tuus, ut sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* Deut, 7, 6.

Quam ob rem populus, quem elegit Dominus, non erat aliis gentibus similis, sed speciem ac mores exhibebat longe diversos.

Peculiares etiam in ipso illo populo et segregati ab aliis hominibus erant sacrorum ministri. Hoc enim est verbum Domini : *Sint ergo sancti, quia ego sanctus sum.* Lev. 21, 8.

Propterea separavit eos a terra, *dixitque Dominus ad Aaron : In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars et hereditas tua in medio filiorum Israel.* Adumbrare enim debebant novae legis ministros in sortem Domini vocatos, de quibus Sacra Synodus Tridentina decernit, ut nihil, nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant, ut doctrinae vacent, ab omni luxu, comissationibus, aleis, lusibus ac saecularibus negotiis abstineant. Pugnant enim haec profana cum dignitate ordinis sacri, pugnant cum sanctitate. Seiunctos igitur ab iis esse oportet Dei ministros ac penitus separatos. Et religiosos quidem homines prae ceteris omnibus. Nos enim nominatim appellare Dominum, apparet his verbis : *Separavi vos a ceteris... ut essetis mei.* Separavit nos, cum e terra Aegypti, id est de saeculo nos eduxit; separavit nos, cum in domo refugii nos collocavit, ut nos faceret salvos.

Num. 18, 20.

Trid. s, 22. c. 1. rf.

Lev. 20, 26.

Ps. 30, 3.

lege clausuræ,

11. Eam vero refugii domum, ut etiam ipsa esset sancta, ut esset sua, separavit et tamquam vallo munivit *Clausura.* Superiora enim saecula testantur, non satis sine hoc propugnaculo tutam fore hominum Deo sacrorum integritatem, neque pravum satis aditu prohiberi mundi amorem. Quare Summis Pontificibus curae magnopere fuit, ut sapientissimis legibus hoc religionis et innocentiae saeptum tutarentur.

Prompta bibl. V. Conventus, Art. III. n. 9-12.

Auctore vero Lucio Ferraris, *nomine Clausurae*

conventuum, in quam est feminis interdictus ingressus, intellegitur totum illud spatium, quod intra saepta Monasterii seu conventus continetur, id est Claustra, Cellae, Officinae, Cenaculum seu Refectorium, Dormitorium, Infirmaria, Coquina et huiusmodi. Quam sententiam docet esse communem, dein pergit :

Viridaria seu horti et prata cum Conventu et Clausura coniuncta veniunt nomine Clausurae ita ut mulieres ipsa ingredientes excommunicationem incurrant. Quam sententiam firmat Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium auctoritate.

S. C. Epp. et Reg. 24 Apr. 1582, 13 Sept. 1583. 3 Iun. 1606.

Tum haec addit : *Secus vero si ipsa viridaria et prata sint a Clausura separata clavi et muro convenienti.* Et haec quidem Ferraris.

Etiam Angelus Lucidi fere eadem asserit. *Sed et hortum*, ait, *viridarium, pratum, et silvam, si forte sit, intra saepta comprehensa nemo dubitavit, tum quia haec est communis doctorum opinio, tum quia Summi Pontifices ac Tridentini Patres ingressum intra saepta vetuerunt, et Sacra Congregatio d. 13 Sept. 1583, diserte hortos et prata clausuram constituere declaravit in virorum monasteriis, ideoque multo fortius in monialium asceteriis.*

Apud Pign. Tom. 6. Cons. 85. n. 275. §. Cum.

Ang. Lucidi De Vis sacr. lim. c. V. n. 43. lata a S. Pio V,

12. Quiete opus est, ut homines religiosi tranquillis mentibus secundum Ordinum instituta gratum Altissimo impendere possint famulatum.

Quietem vero, dolet S. Pius V, *non parum... perturbari, propterea quod mulieres modestiae matronalis oblitae, domos ac monasteria eorum* (virorum religiosorum) *ingredi audeant.* Quare *motu proprio et certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulas facultates ac licentias ingrediendi monasteria ... quorumcumque regularium Ordinum ... mulieribus cuiuscumque status ... ab Apostolica Sede quomodocumque concessas ...* revocat *et cassas, irritas et inanes esse* decernit.

S. Pius V c. Regularum personarum, 24 Oct 1566.

Cui decreto poenae adduntur mulieribus contra hanc legem facientibus subeundae.

Et quidem tanta fuit Romanorum Pontificum in hoc genere sollicitudo, ut, qui proxime S. Pium V secutus est, Gregorius XIII rem eandem mandaverit verbis etiam gravioribus.

a Gregor. XIII,

Revocamus, inquit, *et abolemus omnes et quascumque licentias ac facultates ingrediendi monasteria, domus et loca monialium ac etiam virorum quorumvis Ordinum quibusvis ... cuiuscumque status et condicionis mulieribus ... etiam motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, atque ad imperatoris, regum ... aliorumve principum ... supplicationem concessas, confirmatas et etiam iteratis vicibus renovatas.*

Greg. XIII c. Ubi gratiæ d. 13 Iun. 1575, §. 1.

Severissime autem Benedictus XIV revocat quaecumque Indulta et Privilegia admittendi feminas intra Clausuram conventuum.

a Bened. XIV,

Sicut dolentes, ait, *accepimus, alii quidem apostolicas leges ac praecepta huiusmodi ... ad eorum arbitrium interpretantes, feminis ... aditum ingressumque, tam manifeste ac tanta sollemnitate vetitum, permittunt; alii vero privilegia ... facultates ... excogitatas concessiones sibi factas ... obtendentes, feminas ... intra monasteriorum ...* saepta *... admitti ac recipi sinunt.*

Ben. XIV c. Regularis disciplinæ d. 3 Ian. 1742. §. 2.

Hinc est, quod Nos ... iustis etiam Superiorum, aliorumque virorum ex religiosis Ordinibus, Dei honorem et Instituti sui disciplinam zelantium, expostulationibus, de ante dictis similibusque abusibus in dies admonemur, ut opportunum ac salutare iisdem abusibus tollendis ... remedium afferamus.

Ib. §. 3.

Hoc autem affert remedium, leges illas confirmans, quae de Clausura latae iam fuerunt.

Auctoritate apostolica, ita edicit *... omnes et singulas constitutiones ... a Romanis Pontificibus tam ante, quam post Concilii Tridentini decreta, super Clausura Monasteriorum quorumcumque religiosorum Virorum editas renovamus et confirmamus, necnon in posterum ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum spectabit ... inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus et praecipimus atque mandamus.*

Ib. §. 3.

Dein revocat et abolet Christi Vicarius quaecumque Indulta et Privilegia admittendi feminas intra Clausuram Conventuum quacumque de causa,

etiam devotionis, associandi Processiones et SS. Eu-
Ib. §. 4. charistiae Sacramentum.

Tum prohibet quibuscumque, etiam Cardinalibus, sive singulis, sive eorundem Cardinalium Congregationibus, interposita etiam poena Censurarum, ne facultates ingrediendi Clausuram Conventuum Religiosorum virorum feminis ullo modo
Ben. XIV Ib. §§. 4 et 5. v. Ferr. Pr. bibl. V. Clausura nn. 2 et 3. concedant.

Sapientissimae sunt hae leges, sanctitatem illae nostram spectant, lataeque sunt a suprema, immo a Vicaria Christi Domini nostri potestate. Fuerunt autem sancitae non semel, sed iteratae et quidem magna, ut loquitur Benedictus XIV, sollemnitate.

Numquid igitur dubium esse potest, quin velit ipse Deus ut iisdem magna religione pareamus? Sunt enim non monachis solum constitutae, sed, ut docet Gregorius XIII, quorumvis Ordinum viris et, ut declarat Benedictus XIV, quorumcumque religiosorum virorum monasteriis.

a S. Ignatio, 13. S. Ignatius *honestatis et decentiae ratione* convenire *asserit*, *feminas non ingredi domos*
Const. p. 3. c. 1. n. 14. *nostras*, *nec collegia*, *sed tantum ecclesias*. Cum enim hae leges Pontificiae dabantur, iam excesserat e vita S. Fundator. Honestatis tamen et decentiae ratio gravissima est, tum omnibus hominibus, tum maxime religiosis, eamque tanti ponderis apud Iesu Socios futuram merito censebat S. Parens, ut poenarum minis, vel terrore verborum, vel severiore praecepto opus non esset.

Quod vero ad rem nostram attinet, ea lex ad amovenda ea quae mundi sunt propria, eam vim habet, ut, si non sit Clausura, mens expers esse fere non soleat illius cupiditatis, qua ferimur et incitamur, prava suadente natura, ad consectandas umbras rerum vanarum atque inanium. Immerito igitur quererentur, abesse viros, quos spirituales et dicimus et miramur, si qui essent, qui expansas esse fores vellent ac pervios aditus iis, quos religiosa honestas et conveniens Ordini nostro decentia tectis nostris ac saeptis recipere vetat.

Latere tamen neminem potest, improbam nunc esse atque iniquissimam temporum rationem. Saepe antiquas sedes et Clausurae aptas relinquere atque insueta cogimur quaerere domicilia. Sunt enim infensissimae nostro Ordini tenebrarum potestates.

Sunt callidi mali daemonis conatus, isque adiutores, socios, fautores illos habet, qui Societatem Iesu collapsam, prostratam, eversam vellent? Eludi eorum dolos et impetus, atque irritos fieri necesse est. Neque dandum est quidpiam dolosae eorum malitiae. Quis enim sapiens in tensas sibi ab hoste se ipse immittet insidias? Quo fallaciore princeps huius mundi utitur astutia, eo diligentiore sollicitudine virtutis et sanctitatis propugnacula, muri, praesidia tuenda sunt.

Clausura igitur firmanda. Ea primum esse debet quod appareat, cum sedem novam figimus; ultimum quod desinat, cum sedem deserere adigimur.

Fidelitati nostrae Deus praemium constituit dignum munificentia infinita. Et si ea, quae nos decet, animi fortitudine legi Pontificiae obsecuti fuerimus, grandia, quae nobis evenient, vitae religiosae commoda cumulate resarcient damna, si quae forte timeantur ex offensione hominum, quos tenet cupido lustrandi quae sunt in hortis ac domibus nostris.

Haec dum paucorum est, severitatis religiosae exemplum latissime patet. Pie enim afficiuntur homines, cum clausas vanitati domos conspiciunt, ac facile sibi persuadent, in aedibus nostris tutam esse morum integritatem, coli virtutum ac litterarum studia, sedem esse innocentiae, pacis, tranquillitatis, concordiae fratrum, coniunctionis cum Deo. Haec benevolentiam, haec venerationem Societati conciliant, haec gloriam apud Deum et apud homines. Talis enim est vitae nostra institutum, talis consulendi hominum saluti ratio, ut non solum verba nostra moveant, sed trahant exempla, atque ipsa etiam tecta nostra ad Dei cogitationem amoremque erigant animun.

a. S. Franc. Xaverio;

Tanti momenti est ea lex atque institutio, quam Clausuram dicimus, ut S. Franciscus Xaverius Patri Barzaeo, Rectori Goano, scribens, gravissimis eam verbis ac praecepto inculcaverit. *Sunt tamen*, inquit, *aedificia, quae differri nequeunt, puta maceriae* (muri) *circumdantis hortum domesticum et obstructio aditus aedium, si quis us-*

piam praeter ostium patet; nam saeptis et firmis et nusquam hiantibus muniri undique religiosam domum, disciplinae ac famae sic interest, ut nulla sit talis operae legitima dilatio : talia ergo utique quocumque sumptu statim expedi. Apr. 1552.

Magnus Indorum Apostolus hisce nos admonet, ut murus circumdet hortum domesticum, ut non sit aditus praeter ostium domus, et cum ad disciplinam et ad famam tantopere intersit, sine mora et quocumque sumptu hoc esse exsequendum. Norunt profecto viri sancti nostri, in quo sita sit laus Societatis ac famae nostrae tutela.

Et haec quidem de domibus nostris. Cum enim mundum, quoad per officia nostra licebit, fugere, contemnere vero semper debeamus et abhorrere a vita, moribus et opinandi modo hominum profanorum, cum Deo dicati, proinde seiuncti ac separati a rebus saecularibus nos ipsi simus, apertum omnino ac perspicuum est, etiam domos nostras mundo eiusque vanitati, desideriis ac studiis clausas esse oportere.

14. Quod si mundum ex lege pontificia et S. Ignatii praescripto domo excludimus, nec Divinae voluntati consentaneum est, nec vitae nostrae rationi convenit, quaerere extra domos nostras mundi societatem et cum mundo esse velle diutius, quam necessitas postulat sancti nostri ministerii.

Iam vero si in opere sancto adeo tenendus est lege

separationis a parentibus.

modus, ut quoad erit integrum, domi nos contineamus; quanto magis est aequum, non exire nos de aedibus nostris, ut parentes propinquosque visamus. Deo addictos a carne et sanguine decet esse separatos. Ipse, quantumvis benignissimus Salvator, *non veni pacem mittere,* ait, *sed gladium.* Hominum enim vitio fit, ut qui se Christo Domino addixerunt, odia subeant eorum qui rem christianam suscipere detrectant. Qua de causa in eadem saepe domo piis hominibus cum iniquis sunt certamina. Aperte enim denuntiat Dominus : *Veni enim separare hominem adversus patrem suum et filiam adversus matrem suam.*

Matth. 10. 34.

Ib. 35.

quam praefinit S. Ignatius,

15. Quin etiam minatur : *Qui non odit patrem et matrem .... et fratres et sorores .... non potest esse meus discipulus.*

Luc. 14. 26.

Exam. c. IV n. 7.

Verba haec, ex mente S. Ignatii, unusquisque nostrum sibi dicta existimet. Sunt autem verba gravissima, severa, ne dicam terrifica, ut constet rem agi seriam, nec leviter a nobis tractandam. Ad mundi enim contemptum pertinent, nec viros spirituales umquam futuros compertum est, qui hunc carnis effectum non exuerint.

suadent viri gravissimi,

16. Qua in re consentientes habemus rerum spiritualium magistros. Daemonem malum in hoc elaborare, docet S. Basilius, ut in propinquorum recordationem animum reducat. Daemones, asserit Climacus, in somnis nos perturbare; plorantes facere parentes, mala nostri causa perpessos ac

Const. mon. c. 21.

morti proximos. *Utilius* autem, *est*, hoc ipso auctore, *parentes maerore afficere, quam Deum.* Quem maerorem cum sit ex carnis affectu, S. Augustinus nos iubet, non solum in nobis interimere, sed etiam in propinquis. grad. 3. Ib. Ep. 38 ad Laetum.

P. Nigronius noster de S. Carolo Borromaeo narrat, Cardinalem hunc testatum esse, consuetudine propinquorum retardari se a rerum divinarum desiderio, inflecti eorum precibus ac suavitate, avocari a vitae humanae contemptu, a sacris laboribus, a iuvandis liberaliter egenis. Viri sancti damna virtutis persentiscunt; qui vero sancti non sunt, vel ea vix percipiunt, vel utendo familiariter propinquis, se proficere potius sibi fingunt, quam capere detrimenta. Tract. ascet. 16. n. 14.

Audiendus est hac de re Pater Carolus Scribani, vir in gravissimis Societatis muneribus egregie versatus, qui haec in illo genere pericula enumerat. Amorem Societatis et sodalium, ait, transferri ad propinquos; auram saeculi captari; retegi quae fiunt domi et arcana consilia produci ac narrari mulierculis. Ex molliore, ut loquitur, colloquio et liberiore aspectu alicuius sanguine iunctae ignis excitatur, plurium annorum cineribus sopitus. Dum enim non timentur mala in propinquo sanguine, minus caute provideque versantes in proximas hasce incurrere possunt insidias, vel certe causam illae praebent familiaris cum aliis similis sexus consuetudinis. Medic. relig. 1. III, c. 19.

Quare metuit P. Leonardus Lessius, ne spiritualiter computrescant, qui se consanguineis nimia familiaritate coniungunt.

De statu relig. q. 1. n. 46.

Sunt tamen parentes bene multi alieni a mundo ac dediti pietati. At vero in patria domo non in solos incurrimus parentes. Dein longiora cum hisce colloquia ac visitandi salutandique frequentia, tum litterae ultro citroque missae paratiores faciunt ad huius generis obsequia etiam aliis praestanda, vel quaerenda apud ipsos commoda vitae ac iucunditates. Accedunt convivia et oblectamenta, quae congruunt saecularium moribus, hominum vero Deo sacrorum dignitati ac religioso decoro plane sunt contraria.

firmat Ordinatio gen.,

17. Quae cum ita sint, non vacarem culpa, si paterer in desuetudinem abire Ordinationem, quae facultatem visendi parentes a solo Generali Praeposito dari posse praefinit. Sapiens illa est, et tutos praestat provinciis Praepositos ab importunis parentum precibus. Cum tamen incidant causae, quae profectionem in patriam sine mora suadeant, tributum hoc est provinciae Praeposito, ut potestatem itineris facere tum denique possit; ea tamen lege, ut adiungat socium iter facturo et quid egerit significet postmodum Praeposito Generali.

Ordin. Præp. Gener. comm. toti Societ. c. I. n. 4. Inst. S. I. vol. II. ed. Prag. 1757. pag. 240.

Non sum tamen nescius, plures ideo visere velle suos propinquos, ut eorum provideant saluti. Sed prospiciet ipse Deus, si nos, Domino fideles, quod nostrum est et quod Altissimo vovimus, id

agamus, omnia intellegendo secundum Societatis Constitutiones.

Quod si nos consulere parentum rationibus ipsi velimus, id subest periculi, ut damno simus nobis, parentum vero malis non medeamur.

18. Ad erudiendum nos Dominus Salvator hoc effatum edidit : *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua et in domo sua.* necessariam probant damna Matth. 13, 57.

Ex domo sua non nulli fortasse redeunt etiam ideo sine honore, quia propinqui et alii, qui fama et auditione cognoverint illos esse mundo mortuos, Deo dedicatos, cogitantesque sola caelestia, iidem didicerint ex eorum conspectu, nec rerum profanarum amorem eos exuisse omnem, nec rebus divinis adeo, ut ferebat opinio, esse addictos. Solent enim illi quos adire consuevimus, etiam quae humana sunt in nobis explorare. Quae si deprehenderint, vitamque nostram aliorum hominum vitae non admodum absimilem esse cognoverint, morum ipsi mutationem non faciunt, sed magis etiam, conspectu nostro, tutos se iucunde vivendo arbitrantur.

Dolendum hoc valde, sed illud etiam magis, quod in patria domo rerum mundanarum ac vanarum revixerit amor, contra deferbuerit ardor et studium rerum caelestium. Illud tum accidit, quod, harum rerum expertus, auctor operis de imitatione Christi nos edocet. *Laetus exitus*, inquit, *tristem saepe reditum parit.* Tristis est l. I. c. 20. n. 7.

cella non numquam redeunti ex patria, tristis vita communis, tristes socii, tristis oratio, oboedientia tristissima, totumque hominem iacentem et afflictum ater quidam pervadit et melancholicus humor. Redit enim illi memoria temporis acti in saeculo; quod oculis non potest, contemplatur animo et desideria feruntur in commoda et vivendi libertatem.

Familiaris vero cum Deo agendi consuetudinis facta est non levis iactura. Quod quam grande malum sit, ii norunt, qui Dei praesentiae pie ac feliciter assueverunt.

Quare igitur patriam petimus? Ut miseri redeamus? Ut struamus nobis ipsi angores ac molestias? Ut, quae magno nobis labore comparavimus, bona profundamus? Ut nobis adsciscamus incitamenta vitiorum? Sunt haec in nobis, sunt profecto et cum iis continuum nobis est atque odiosum certamen. Insita sunt innataque homini mundana : libertatis amor, gloriae cupiditas, levitas vanitasque profana.

effusionis animi

Quare perniciosa etiam est eorum opinio, qui sentiunt animum nobis esse excolendum itineribus, spectaculis, picturis aliisque tum artis, tum industriae operibus ; iisque pascendos esse oculos, quae exstant vel proferuntur in lucem rara et singularia. Haec levia vanaque profanorum fortasse hominum sunt, minime religiosorum. Non enim illi *definiuntur* homines religiosi, qui indul-

gent sensibus et videndi quaecumque, licet honesta, obtemperant cupiditati; sed ii, qui perfectiora sectantur, memores se Deo, non mundo esse dicatos; qui in spiritualium hominum numero esse volunt, qui proinde sensibus imperant, et Dei amore eam vim animi consequi volunt, ut sibi negent quae solum moveant oculos atque oblectent.

Et ut dicam de pinacothecis : nostra aetate sunt pericula; nec fides facile iis adhibenda, qui in iis tuta esse omnia, et honesta tantum in conspectu posita dicant. Tanta enim est mali daemonis astutia, ut docuerit homines in ipso primo aditu tabulas pias collocare, quibus invitentur qui inhonesta videre metuunt, et dein interponere obscena. et curiositatis.

Praestaret sane artis opera conflagrari incendio omnia, quam levissimo peccato Dei offendi Maiestatem infinitam.

Equidem haud scio an paucis in hoc genere curiositas prosit, multis eadem damna non levia attulit.

Sunt vero inter nos, qui Sanctum Job imitati, pepigerint *foedus cum oculis* suis et qui numquam pedem inferant in pinacothecas, sed iis Immaculatae Virginis amore se abstineant. Non poenitebit eos hoc praestitisse obsequium, eo magis acceptum purissimae Dei Matri, quo magis arduum id offerentibus acciderit. Iob. 31, 1.

Sed est aliud quoque genus nimiae in videndo et inquirendo diligentiae, eorum nimirum, qui pleni negotiis, in aliena re curiosi, mores et facta aliorum explorare non metuunt. Quam odorandi omnia et indagandi libidinem sequitur ut plurimum obtrectandi miseranda consuetudo. Atque utinam numquam accidat quod veretur R. P. Aquaviva, illud scilicet, ne quis, ut ait, *incidat in mortale, quod in huiusmodi facile est.*

Industr. c. 17. n. 12. cf. ib. n. 15.

Res sane horrenda, quam Catechismus Romanus ita damnat, ut asserere non dubitet, eum, *qui in eo peccato sit, hunc addictum esse aeternis inferorum poenis. Neque enim quispiam speret, se calumniarum vel obtrectationis veniam consequi posse, nisi prius ei satisfaciat, de cuius dignitate et fama aut publice in iudicio, aut etiam in privatis et familiaribus congressibus aliquid detraxerit.*

Part. 3. c. 9. n. 20.

Severe haec dicta sunt, sed illud fortasse severius, quod ex S. Nilo refert Orlandinus noster. *Neminem*, ait Nilus, *manent certiora supplicia, quam illum qui vitiorum suorum discipulos facit. Imitantium enim interitus poenarum magnitudinem offert praeceptori, nec tamen discipuli magnam effugient damnationem, cum in magistro ea turpiter imitentur, quae, uti foeda, ratione ipsa duce fugere debuissent.*

Tract. in Summ. Const. Opusc. 1. Part. 1. §. 2.

Haec quidem contra eos scripta sunt, qui obstant regulis et religiosam disciplinam impediunt. Par est autem eorum ratio, qui de alterius fama

detrahunt; siquidem vitiorum suorum discipulos adeo faciunt, ut obtrectandi libido, si invaluerit, toto fortasse saeculo exstirpari non possit.

Atque ista de mundo dico, in quo omnia videndi, inquirendi, explorandi et obtrectandi effrenata cupiditas est non infrequens, et idcirco ea commemoro, ut pateant mundi pericula et ut quivis intellegat quanta ex familiari hominum profanorum consuetudine timenda sint mala. Vilia, foeda atque indigna sunt mundi facinora, eo magis noxia, quo leviora putantur, iacturasque ac detrimenta infinita amor saeculi vesanus hominibus importat.

Contemptu autem mundi animum ditescere, in vita S. Aloisii ante oculos positum est. Cognita vobis haec mirabilis vita cum sit, de rerum profanarum despicientia dici coram vobis non potest, quin tacitus quisque vestrum apud se consideret nobilem animum integerrimi iuvenis, aeterna cogitantem.

In eo enim genere exemplum nobis clarissimum exhibet, quo discamus abhorrere ab omnibus quae mundus amat; concupiscere quicquid Christus Dominus noster amavit et amplexus est.

II. Mundus debellandus in aliis hominibus: Exam. gen. c. IV. n. 44.

19. Horroris huius et odii rerum profanarum et amoris insignium Domini nostri ac crucis salutiferae participes facere etiam alios homines, negotium nostrum atque officium est. Cuius sancti laboris partem praecipuam vindicant iuvenes. Qua autem ope, quo auxilio rem adeo arduam exse-

quemur? Certe non alio quam S. Aloisii patrocinio. A Christi enim Domini Vicario in huius Sancti iuvenis tutelam tradita est studiosa iuventus. Et exemplo tam illustri edocemur tenerae aetati inserenda esse virtutum semina. Hoc intendunt, hoc spectant, qui nostris collegiis operam navant. Iidemque litteris et doctrina tamquam esca pueros alliciunt ad omnem pietatem.

in discipulis,

Sed etiam ipsi falsorum numinum cultores tanti fecerunt bonarum artium studium, ut eloquentiae addiscendae gratia, transmitterent maria, longissimasque peregrinationes susciperent, Graeciae obirent Asiaeque civitates, quo praestantiores invenirent magistros, ex quorum ore doctrinae praecepta haurirent. Qui vero erant ex populis cultiores, legibus etiam cavebant, ne puerorum mores depravarentur. Magistratum Lacedaemones constituerunt, cuius esset invigilare puerorum moribus. Macedonios hortatus est Aristoteles, ne artis opera quaedam paterent iuvenibus, nec ad fabulas comoediasque admitterentur.

Longe vero maiorem S. Ecclesia curam posuit in pueris rite instituendis. Operam dederunt pueris summi viri ordinesque religiosi. Concilia leges de hac re, tamquam gravissima, condiderunt sapientissimas. Nihil antiquius habuit christiana res publica, nihil sanctius, quam operam et diligentiam qua pueri bonis moribus imbuerentur.

S. Ignatius in omni sua vita omni contentione

in ea re elaboravit, multorumque collegiorum initia posuit. In pluribus mundi partibus pueros ad fidem moresque erudiebat et erudit Societas fructu animorum ingenti.

Luxit catholicus orbis Societatis cladem propter desperatam iuventutis condicionem, damnumque rei christianae illatum resarciri *unanimi fere consensu* postulavit. *Ad puerorum institutionem in bonis moribus et disciplinis* concessa fuit a Summo Pontifice Societas Paulo I Imperatori, eam gratiam petenti. Reddita est utrique Siciliae ad *puerorum institutionem in catholica religione ac bonis moribus et disciplinis*. Eadem in primis de causa ubique restituta est.

Const. Sollicitudo Pii VII. a 1811.
Const. Catholicæ Pii VII. a. 1801.
Const. Per alias Pii VII. a. 1804.

Societas vero, proposito fidelis, acri studio, nobili ardore demandatam sibi a supremo Pastore provinciam suscepit, nec minore sustinuit constantia.

Hinc irae malevolorum; hinc eorum, quos *liberales* vocant, invidia odiumque implacabile. Facilius patiuntur alia a nobis obiri ministeria, dummodo ne influere nobis in puerorum animos liceat. Norunt illi profecto, quanta sit vis educationis et disciplinae, tam in bonum quam in malum; norunt in puerorum institutione cardinem verti reipublicae.

Sed quo cupidius isti sibi sumunt et arrogant S. Ecclesiae iura docendi, eo acrius contendendum est nobis, ut, quoad in nostra est potestate, eorun-

dem iurium etiam nos, eadem Ecclesia suadente, potiamur.

Et hoc quidem volunt, hoc agunt Provinciis Praepositi sollertia incredibili. Quam ego mecum reputans, miror ardorem, fortitudinem, constantiam in re quae hac aetate nostra tantum habet difficultatis. Est autem ea res gravissima, nobisque a S. Parente nostro praecepta, qui curam puerorum declaravit esse peculiarem ac propriam nostrae Societatis. Hac de causa ipsa formula seu regula Instituti eam praefinit, eius sponsionem Deo faciunt nostrae religionis vota, ea ad ipsam pertinet Instituti substantiam.

Obstant vero praeclaris nostrorum conatibus saeculi vanitas, educatio domestica mollis, ratio docendi recens, qua invitamur et allicimur ad speciosa potius, quam sana et fructuosa sectanda. Multiplex quidem cognitio quaeritur, sed inchoata tantum earum rerum, quae ad mentem litteris informandam praecipue valent. Harum summa capita delibant magis iuvenes quam percipiunt, et informes ac leviter eruditi, sed opinione sua doctissimi, procedunt e collegiis.

Nobis vero imposita est novam hanc docendi viam tenendi necessitas. Miseret me eorum qui collegia nostra regunt, miseret magistrorum. Sed virtutis causa faciendum quod declinari non potest.

Pluribus iam in collegiis nostris in more posi-

tum est, ut Ratione studiorum nostra quicquid in recenti institutione est vitii, emendetur pro viribus. Ita obnituntur nostri artium liberalium magistri huius temporis levitati, et faciunt ut solida iuvenes doctrina imbuantur. Laudabile profecto studium, cui auxilia favent etiam divina usque eo, ut in his ipsis collegiis qui pericula subeunt doctrinae, tum maiore numero, tum clariore laude ad peroptatos exitus provehantur.

a quibus arcenda levitas.

20. Instandum sane est omni conatu, ut serium ponant discipuli nostri et constans in litteris proficiendi studium. Atque ea de causa, et nunc quidem maxime, arcenda sunt quae levitatem animi alunt et alliciunt, vel mentem avocant a studiis litterarum. Id genus sunt quaecumque, sed praesertim scaenae, spectacula, quae ad normam regulae Rectoris tertiae decimae Rationis studiorum temperata esse oporteret.

Alit etiam illam levitatem nimius in aedificiis splendor et fucus quidam rerum apparentium. Sunt fortasse qui putent gloriam redundare in Societatem ex structuris magnae molis multorumque sumptuum, quibus opum nostrarum opinionem multorumque invidiam magno aere alieno redemerint.

Nonne hi facerent multo sapientius, si obtemperarent decreto primae Congregationis, cuius haec ipsa sunt verba : *Modum esse imponendum aedificiis domorum et collegiorum, quod in nobis est ;*

ne praeter cetera incommoda, fiant aliquando palatia nobilium; sed sint ad habitandum et officia nostra exercenda, utilia, sana et fortia: in quibus tamen paupertatis memores videamur.

Congr. I. decret. 113.

Et antequam hoc decretum conderetur, iam mandaverat Sanctus Indorum Apostolus Patri Gasp. Barzaeo : *In universum autem vide, ut longe posterior tibi cura sit aedificiorum, quae lapide ac caemento congeruntur, quam spiritualium Dei templorum. Hi sunt socii et alumni tuae fidei commissi, in quos alendos, fovendos, in primis vero ad profectum virtutis excitandos, primarium tuum evigilare studium par est.*

Mense Apr. 1552.

Etenim haec summa rerum, hoc caput est, ut non solum diligens, sed pia et christiana sit iuvenum institutio. Prodire enim e collegiis nostris adulescentes debent, rebus fidei et morum imbuti penitus, horrore peccati muniti, addicti adeo divino cultui, ut confiteri Christum Dominum nostrum coram hominibus non erubescant.

Laude quidem dignum, immo necessarium est id agere, ut discipuli nostri pericula doctrinae feliciter subeant, ut laurea, si sit opus, donentur. Sed ratio in primis habenda est divinae maiestatis. Et vero gratissimum Domino est idcirco nostrum iuventutis erudiendae officium, quod, ut Tobias filium, ita nos discipulum *timere Deum* docemus, *et abstinere ab omni peccato.*

Tob. 1. 10.

Ad pietatem igitur et omnem virtutem omni studio et conatu informandi sunt iuvenes. Prae-

cepta fidei et morum auribus eorum ac mentibus inculcanda sunt et eligendi, qui in re tanti ponderis ac momenti eos instituant, quam aptissimi. Ad rudimenta fidei explicanda viri olim eligebantur doctissimi ; scholae huius sacrae doctrinae conspiciebantur celeberrimae, iisque praeerant Pantenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, doctores clarissimi.

21. In scholis etiam nostris caelesti huic doctrinae primas dari necesse est, atque ita dari, ut persuasum sit omnibus, vitam ad Christi Domini normam exigendam in summa apud nos laude poni atque honore. Quare non possum quin praecipuis efferam laudibus Rectores, qui in pluribus provinciis salutaris huius doctrinae participes faciunt non solos discipulos nostros, sed horum auxilio etiam alios, qui ea sunt prorsus expertes. Piam hanc sagacitatem illis Patribus indidit Deus ; divinam enim merito dixerim industriam, qua delectos, e collegio quisque suo, iuvenes invitat ad pueros pauperes fidei ac morum praeceptis erudiendos.

Mundus debellandus in pueris pauperibus,

Vicem equidem saepe sum miseratus puerorum, qui abiecti quodammodo, per vias vagantur et plateas, flagitiosa vident, voces audiunt in Deum et Sanctos contumeliosas, Creatorem vero Dominum ac Redemptorem ignorant. Horum saluti consulunt, duce Patre aliquo nostro, ii quos dixi iuvenes, et pueri pauperes excipiunt ac magni faciunt doctrinam, cuius causa adulescentes etiam

nobiles accedere ad miseros et cum ipsis agere non dedignantur.

Marc. 10, 14. Ps. 10, 5.

Non dedignatus est hoc munus hominum Salvator. Parvulos amat et *oculi* Dei *in pauperem respiciunt*. Quanto magis diliget eos, qui pueros pauperes docent amare Deum et Dei offensam perhorrescere! Quod officium cum praestant discipuli nostri, pietate firmantur etiam ipsi et dona caeli ampliora sibi asciscunt.

Duplicem igitur apud Deum laudem obtinent illi e nostris, qui eam rem omnium rerum ad salutem maxime necessariam admirabili studio atque ardore vel incipiunt vel provehunt.

Habet huius sancti laboris cum discipulis societas illud etiam commodi, quod operari nobiscum consuescunt adeo, ut cum vitae institutum aliquod ceperint, propensius sua ad nos studia conferant, et suam cum nostra industriam iungant ad gloriam Dei et hominum salutem.

in sodalibus B. V.,

22. Viam quoque munit haec pia pauperes docendi sedulitas Beatissimae Virginis Mariae congregationibus, quas tantis laudibus extulerunt Summi etiam ipsi Pontifices. Optandum est valde, ut qui collegia nostra frequentarunt ad pia id genus sodalicia consocientur. Magno enim ad vitam christiano nomine dignam adiumento est pia hominum coniunctio, qua singulis plurimum roboris accedere solet ex aliorum praesidio atque exemplo. Instruitur ac armatur coetus ac flos

quodammodo virorum, qui electi prae ceteris decus afferant religioni, sacra percipiant frequenter, profana contemnant, ad divina et caelestia aspirent. Horum exemplo atque opera utimur ad auferendos huius aetatis errores falsasque opiniones, ad frangenda malevolorum consilia, ad provehenda quam plurima, quae prosint Sanctae matri nostrae Ecclesiae.

etiam opificum.

23. Utilissimun etiam, ne dicam necessarium, hisce temporibus est, ut in huiusmodi sancta sodalicia etiam opifices et operarii congregentur. Quod minoris erit negotii, si ipsis, pueri cum essent, doctrinae christianae capita a nostris fuerint explanata. Magna inde S. Ecclesiae ac rei publicae proveniunt bona; mala vero quam plurima vel opprimuntur vel propulsantur.

Nec obstat regula de socio.

24. Tenet fortasse quempiam opinio, regulam de socio adhibendo obstare, quominus sodalitates illas, ut par est, regere ac moderari possimus, et generatim Societatis finem alterum, qui spectat hominum salutem, huius regulae causa neglegi oportere. Visendos enim esse homines externos frequenter, ac familiari consuetudine piisque sermonibus alliciendos, ut saluti consulant suae atque a rerum terrenarum vanitate retrahant animum. Sunt haec sane speciosa. Sed num quispiam nostrum putabit, ea nec comperta neque cognita fuisse illis qui regulam condiderunt? Ea ignorasse eos, qui tanta religione, tam diuturno

tempore regulae obtemperarunt? Certe non arbitramur minus quam nos sapientes fuisse maiores nostros, minus animorum salutis studiosos? Caelesti etiam ipsi magis quam humana ducebantur sapientia, persuasumque habebant, munere Divino constare humanae salutis operam. Quae vero de caelo nobis obveniunt dona, oboedienter mandata facientes impetrant; non impediunt. Obsequendo Dei voluntati, non resistendo, divinum opus perficimus.

necessario servanda;

Quis autem dubitet, quin lex lata auctoritate legitima, Apostolicis etiam Constitutionibus sancita, integritatis nostrae custos ac praesidium, quis dubitet, quin ea lex Dei voluntati consentanea sit atque acceptissima? Sancta est illa lex, si originem spectes; sancta, si praeclaras, quas parit, utilitates consideres. Ut alias taceam, illa sola contra calumniatores improbos Societatem nostram tutatur; illa famae nostrae propugnaculum est.

Ingens profecto est malum, caliginem induci nomini ac famae totius Ordinis religiosi, et vel unius imprudentia tota gravissime affligi potest Societas. Quod si acciderit, quivis nostrum vix subire vultum aliorum hominum audebit, vix ferre aspectum poterit. Res enim matris nostrae Societatis, tum prosperae tum adversae, communes nobis sunt, et cum laudis et decoris ipsius sit particeps unusquisque nostrum, iustum sane est, ut quivis etiam nostrum operam conferat omnem

ad tuendam Societatis existimationem. Totius Societatis quam maxime interest, huic summi momenti regulae obtemperari quam accuratissime, et ab ea immunem fieri neminem, nisi gravissima de causa. Si est regula, quam firmam immobilemque retineri oporteat et qua solvi velle neminem deceat et cuius gratiam sibi fieri nemo confidat, est profecto haec de praesentia socii sancta praescriptio.

Quare Superiores multi, fideles Societati, de illa regula valde laborant, et quo vehementius mali daemones huic obnituntur legi, atque eius vel memoriam deletam velint, eo magis immobili constantia hi praesides, de fama Societatis solliciti, cupidi perfectionis religiosae, metuentes offensam divinae maiestatis, Ordinis nostri provident saluti curasque in rem tanti ponderis nobilissimo conferunt ardore. His sese iungunt sodales nostri quam plurimi, integrae etiam provinciae, ac sanctos praesidum conatus et adiuvant, et ipsi etiam salutarem eam legem retineri postulant. Hi Dei magis quam hominum amicitiam expetunt, gratiam idcirco apud supremum Dominum ineunt, praemium fidelitatis ab eo accepturi amplissimum.

Iidem probe intellegunt beneficam adeo de socio regulam non obstare gloriae Dei.

25. Obstat illa quidem muneribus ac laboribus, quae omittenda potius sunt quam exsequenda. Obstat iis, quae maiore cum libertate,

minore cum decoro geruntur. Illis obstat non raro negotiolis, quae optamus, quae volumus ipsi, quae avidius fortasse, quam par est, vel appetimus vel persequimur.

Quod si regulae causa cessandum sit in opere quod e gloria Dei esse videatur, Deus ipse providebit gloriae suae hominumque saluti; eo etiam magis, quod nos, oboedientes legi, sanctissimae eius paruerimus voluntati.

Atque, ut dicam de congregationibus Beatissimae Dei Matris, quae frequentiorem cum sodalibus usum poscere videntur : equidem vidi florentes numero ac pietate, quae consilio ac hortatione ita regebantur, ut cum vel segniores essent excitandi, vel pax reducenda, vel remedium cuicumque malo quaerendum, sodalium ipsorum opera uterentur moderatores, prudentiorum praesertim, qui sodalicii officio aliquo potirentur. Hi vero sancto huic operi vacando, muneri assueverunt traducendi animos a vitiis ad virtutem, serviendi commodis Sanctae Ecclesiae, opem porrigendi ac fidem Dei ministris, et adiutores se praebendi cuicumque operam rei piae navanti.

Interim sodalium moderatores, visitandi onere immunes, lucrum faciebant temporis ad elucubrandas diligenter sacras orationes, quibus erudirent sodales, vitia emendarent, inflammarent ad virtutis et Dei amorem.

Ad quem divinae maiestatis cultum tam in collegiis, quam in sodaliciis et in quovis ministerio nostro omnia referenda sunt.

In collegiis quidem in teneros animos influat pietas atque illabatur *initium sapientiae*, *timor Domini*. Ps. 110, 10. Eccli. 1, 16.

Qui si fuerit discipulis insitus, non facile quispiam nostrorum lugebit frustra se operam ponere in collegiis, quod pauci fortasse sint qui ea frequentent. Sunt illi pauci instar multorum. Qui enim litterarum curriculum cum pietatis, ingenii ac diligentiae laude confecerunt, multa postmodum non raro moderantur, multos saepe sibi obnoxios habent, in ipsa re publica impediunt mala, bona vel suadent vel conficiunt et intra domesticos parietes tam hi quam alii, qui sodalitati Immaculatae Virginis nomen dederunt, *Deo adiuncti*, ut verbis utar Indorum apostoli, *et uxorem et familiam component totam*. S. Franc. Xav. P. G. Barzæo 17 Kal. Maii a. 1552.

26. Magnum ex omni labore nostro Dei gloriae fructum percipere cupimus. Quem ut ex sodaliciis nostris colligamus, diligens ea cautio est adhibenda, ne pia ac Deo dicata esse desinant, et gradatim ad profana vergant sodalium desideria. Ad cultum enim Dei et sanctissimae Dei Matris, ad sacra saepe percipienda, ad piam mortem obeundam hae sodalitates institutae sunt, nec illis potest esse ulla cum mundo societas. avertenda vero a sodalibus profana.

Nunc quidem illae florent eorum, qui se totos

sanctae illi operae addixerunt, consilio, sollertia atque industria. Cum his sua studia iungunt, qui S. Patris nostri Exercitiis tum viros, tum iuvenes mirando excolunt ardore. Omnibus dant animum et alacritatem, qui praesunt domibus vel provinciis, quorum aliqui non levi sumptu ac negotio domos Exercitiorum condiderunt.

Gratus horum omnium Deo labor ac ipsi congruens operae divinae! *Venit enim Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.*

Luc. 19, 10.

III. Mundus debellandus a scholasticis et tironibus armis S. Aloisii :

27. Ut perennis sit haec divina opera, necessarium est futura prospicere, ac illis consulere in primis fratribus nostris, qui, mortuis nobis, victuri sunt superstites. Quare his praesertim non perspecta solum, sed insita esse desidero, quae ad mundi contemptum vehementer nos incitant. Praeterea tum hic annus, qui triumphanti Aloisio trecentesimus est, tum maxime praeclara eius exempla virtutum me admonent, ut ad rerum humanarum despicientiam magis etiam exhorter adulescentes nostros, tirones ac scholasticos, qui prae ceteris cari sunt eidem caelesti innocentiae custodi ac vindici.

Quam vellem, ut hi fratres nostri, in quibus nostrae spes omnes temporis futuri resident, illo penitus imbuerentur mundi contemptu, qui immortalem Aloisio gloriam peperit! Huius quidem mirandi iuvenis vestigia ingressi sunt, cum nomen darent Societati, quae re et nomine dedicata est tota sanctissimo nostro Redemptori.

28. Illa autem S. Aloisii vestigia quaenam sunt? Innocentiae sunt indicia et specimina clarissima, ac signa illius integritatis, quam primo loco scholasticorum regulae his praefiniunt verbis : *Animi puritatem custodire ..... scholastici nostri conentur.* Summa enim vitae rationis nostrae huc pertinet, ut omnem horreamus divinae maiestatis offensionem. Quae sancta animi affectio cum rerum profanarum amore ac studio consistere non potest. puritate animi, Reg. 1. Schol.

Longe remotus a culpa Aloisius animi puritatem et innocentiae candorem adeo custodivit, ut omni tentationi praecluderet aditus. Imperavit sensui, et quamvis carnis insolentes nesciret impetus, magna tamen cavit diligentia, ne quid hostile moliri caro improba sensusque callidi possent. Curiositatem, amicam mundo, inimicam virtuti frenavit atque edomuit. Fuit quidem etiam S. Aloisio visendi studium vehemens. Verum non pinacothecas quaerebat, non spectacula profana, non histriones, non cursus equestres, nec regiones terrasque peragrare cupiebat, Christi e cruce pendentis effigiem avebat usurpare oculis, hanc unam conspicere. Etenim tritum est illud sermone proverbium : *Ubi dolor, ibi manus ; ubi amor, ibi oculi.*

Castissimi eius oculi solum appetebant hominum Redemptorem. Numquam in iter se dare solebat, nisi iussus, cum id postularet necessitas. Et cum ad hospitem divertendum erat, oculis obire cubicu-

lum atque explorare consuevit, an esset in conspectu carissima Domini morientis imago. Quam ubi non reperit, ipse sibi aliquam eius effigiem adumbrabat. Adeo in deliciis habebat regis aeternae gloriae presentiam, qui vitam traduxit *cum perpetua paupertate* et sanctissimum ita efflavit animum, ut nihil esset illo spoliatius, nihil egentius.

S. Ign. Contemplatio de Nativ.

29. Quae amantissimi Domini nostri egestas numquam aberat ab animo S. Aloisii. Hinc paupertatis amor tantus, ut vilissima quaeque sibi eligeret, ut cibo vulgari, pauperrimo vestitu, cubiculo humili delectaretur, eodemque tam angusto, ut lectum vix capere posset et arta solum e tecto fenestra lucem daret parcissimam. Paupertatis studio ne quidem imagines, quas aliis donaret, retinere apud se audebat. Cum vero morbo tentabatur gravi, eodem qui ei ultimus fuit, e duobus appositis sibi remediis semper adhibebat, quod vilius erat; causamque rogatus, eam esse, aiebat, quod eodem uterentur pauperes. Et cum de vita decedendum sibi esse putabat, petiit, ut non in lecto, sed in pavimento reddere animum Deo sibi liceret.

aupertate,

Nos vero iuvenis sancti, quem eximie diligimus, exemplum movebit, ut saltem ea, quae paupertati religiosae consentanea non sunt, omittamus, neque nos pudeat paupertatis Filii Dei. Gloriamur de Iesu Societate et nomine; gloriandum etiam est de amantissimi ducis nostri pauperie. Neque satis

est sanctam a nobis dici paupertatem, eam efferri laudibus. Paratus, suadente regula, quisque esse debebit, experiri paupertatis effectus, atque adeo mendicum se sistere ante portas ac panem quaerere ostiatim, quando vel oboedientia vel necessitas id exiget.

Quare illi religiose faciunt, qui in re tanti momenti, ubi votum paupertatis agitur, sibi non indulgent, nec sectantur huius vitae iucunditates; qui ea, quae spectant ad corporis nitorem, ad vestium et ciborum delectum, ad supellectilis elegantiam, respuunt, repudiant atque indigna censent paupertate Filii Dei.

Ita sentiunt, qui sunt ad normam Instituti nostri, non autem ad mundi et vulgi opinionem sapientes. Religiose etiam ac fideliter faciunt Superiores, qui ea quidem, quae ad honeste vivendum sunt necessaria, pro facultate ac viribus, praebent animo libenti, qui valetudini sibi subiectorum prospiciunt, aegrotantium aerumnas et incommoda sublevant; paupertati tamen tuendae curam omnem adhibent, sua aliqua esse, vel pretiosa detineri, nemini indulgent. Pari laude et commendatione potiuntur illi praesides, qui supervacanea negant, praesertim cum itinera appetuntur. Itineri enim se committere longiori, tantum animi causa, salva paupertatis lege, nemini licet. Neque enim iter ingredimur, ut iucunditati nos dare queamus, sed ut rem aliquam

vel necessariam, vel valde utilem exsequamur. Quod si contigerit, ut de viae sumptibus necessariis est providendum, ita itineris subsidium seu viaticum adeo largum ac liberale esse non debet, ut per circuitus et ambages peregrinari quis possit, vel diutius quam par est abesse a domo vel collegio, cui destinata et addicta est eius opera. Via enim recta eo, quo unusquisque iubetur, eundum est. Redeunti autem de via, sumptuum ratio est reddenda illi quem designaverit Superior.

Quod idem ad alios quoque spectat. Habent enim commoda nostrae aetatis illud incommodi, ut in ipsa, in qua sedem et domicilium habemus, civitate, non semper, ut olim, ambulent Nostri et iter faciant pedibus, sed curribus assuescant, ac propterea apud se retineant pecuniam. Ne igitur qui ab incedendi conatu se abstinent, etiam contra regulam septimam communium faciant, cum egrediuntur domo, nummos a ianitore vel ab alio, quem designaverit Superior, accipiant, cui post reditum, quod superfuerit, reddant. Ianitor vero vel ille, cui restituta fuerit pecunia, Superiori rationem referat.

Ne autem haec rhedarum et curruum opportunitas obstet sanctae de socio secum habendo regulae, etiam illis qui vehiculis per urbem utuntur, Socius adiungendus est. Praestat enim placere Deo et sumptus aliquos facere, quam

parvi pendere summi momenti praescriptionem.

Neque obest paupertati, quod ad virtutis et famae praesidium penditur.

30. Nos autem cum vitae integritati ac paupertati religiose consulimus, iisdem utimur armis, quibus mundum Aloisius tam feliciter debellavit. A mortalibus ad aeterna totum transferimus animum eius exemplo, cui a prima aetate id contigit prospere, ut *dum visibiliter Deum* cognovit, *per hunc in invisibilium amorem* raperetur.

Præf Nativ. Dom. N.

Alienum ab iis quae percipiuntur sensibus, eius animum incendit beans illa caritas castusque ille amor, quo ferebatur in Deum usque eo, ut retrahere mentem et cogitationem a summo bono non posset.

caritatis lege.

Tota eius vita lege regebatur caritatis, cui tantum tribuit S. Ignatius, ut eam principem et caput Constitutionum, ac prae omnibus legibus externis valentem atque efficacem declarare non dubitet. Facit enim haec virtus, ut illi, in quibus ea inest, gerant ac praestent operibus, quae legibus iubentur externis, longe praeclariora. Quis enim, quaeso, legislator animum induceret, ut perpetua ieiunia, corporis afflictationes, severissimam sensuum custodiam, quae in S. Aloisio miramur, aliqua regula statueret? Et tamen qui caritate movetur, parum se tolerasse putabit, etiamsi labores immanes, molestias aerumnasque volens exhauserit.

Ea caritatis lege munitus S. Frater noster fortem adeo et constantem animum gessit, ut cum regula ageretur, vel praesidum mandatum, principibus etiam viris, quidpiam poscentibus, significare non metuerit *non licere, obstare regulam*. Huic parendo persuasum sibi erat, ipsius se Dei obtemperare voluntati.

Velle quidem Deum, ut etiam hominum ratio habeatur, quis negaverit? Mundi tamen causa a regula discedendum non est, neque generatim hominum gratia a lege deflecti licebit, nisi hoc suadeat ratio quam Deo probari intellegamus. Qua de re non semper in promptu est iudicium, tum praesertim cum vel hominum mores vel tempora, vel locorum ratio legibus quibusdam nostris favere non videntur. Tutius autem in tuendam potius legem inclinamur, quam in eandem labefactandam.

Quod est etiam Constitutioni Pontificiae consentaneum. Cum enim s. m. Pius VII, pro eximia in Ordinem nostrum benevolentia, Societatem paene exstinctam ad vitam in orbe terrarum toto revocaret, Regulares Ordines Religionis et Ecclesiae Catholicae splendorem et columen esse pronuntiavit. Doluit tamen fatiscentem eorum disciplinam. Societatis vero homines expertorum et validorum in Petri navicula remigum nomine affecit, confidens eos fore suis regulis fideles *in omni loco ac tempore*. Haec enim est Pontificis sententia :

Omnes vero, inquit, *et singulos Superiores, Praepositos, Rectores, Socios et Alumnos Societatis, quantum in Domino possumus, commonefacimus et exhortamur, ut in omni loco ac tempore sese fideles asseclas et imitatores tanti sui Parentis et Institutoris exhibeant, Regulam ab ipso conditam et praescriptam accurate observent et utilia monita ac consilia, quae filiis suis tradidit, summo studio exsequi conentur.*

Const Pii VII. Sollicitudo. a. 1814.

Spectat gravis haec Dei Vicarii exhortatio ad omnes Socios, ad omne tempus, ad omnem locum, ubicumque gentium vel terrarum sint Societatis filii. Regula, abhinc tribus saeculis sancita, huic etiam saeculo habita est a supremo in terris iudice non solum conveniens, sed necessaria. Mutantur tempora, mutantur mores opinionesque hominum; quae autem Divino afflatu atque instinctu condita sunt, hominum gratia inverti non debent.

Nos praesertim Societati decet esse fideles, probos, fortesque legum custodes; legum, dico, quae nunc sunt, legum huius Societatis nostrae, quae nunc est; ita ut non aliam velimus, quae fingi fortasse posset. Ab hac enim Societate, quae est, et qualis ad mentem Summi Pontificis esse debet, summis afficimur beneficiis; vivi et mortui gratiarum ipsius sumus participes omnes, omni tempore, ubique gentium. Nonne igitur aequissimum est, ut omnes, ut ubique, ut semper, ut iisdem legibus pareamus?

Et haec quidem a caritatis lege derivantur, quam non ad minuendam vim legum commendat S. Ignatius, sed ad eam firmandam magis ac roborandam.

Accedit etiam ratio nostrae vocationis. Tristissimam mundi condicionem cernimus et dolemus. Hominum studia ad res terrenas et infimas, ad vitae iucunditates et commoda conversa, morum licentia effrenata, animi elatio tanta, ut vivendi legem quam velit statuere quivis sibi posse arbitretur. Tantis quis medebitur malis? Nos certe, si moribus nostris et exemplo id egerimus, ut profani homines a vitae deliciis ad crucis Christi amorem traducantur. In cruce salus!

Non e cruce, sed e potente Messia, qui rerum potiretur caducarum, salutem homines sperabant. *Interrogabant ... Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Christus vero temporis, morum et opinionum hominum, etiam proborum, rationem habuit nullam. Non apparet vir a potentia valens; sed puer, fabri filius, egenus, saturatus opprobriis, in crucem actus. Idem vero ita profligavit mundi superbiam, ut nuntiare Apostolis potuerit : *Ego vici mundum.* Vicerunt tot alii, Christo auxiliante. Vicit Aloisius, vincemus et nos, si vanitatem rerum humanarum cum contemptu reiecerimus. Despicientiam mundi sanctus sibi gratulatur iuvenis; sibi gaudet, quod multa non vidit, plurima ignoravit, rerum vanitati se subdu-

Act. 1, 6.

Ioann. 16. 33.

xit. Vicit ipse et ad vincendum nos, fratres suos, hortatur, nosque felicitatis socios a Domino postulat. Demus hoc illius amori, ut spernentes quae reiecit ipse, et amantes quae habuit in deliciis, certemus *bonum certamen* et caro illi Angelo consociati hymnos laudis et gratiarum actionis Deo nostro canamus sempiternos. 2 Tim. 4, 7.

SS. SS. et precibus me valde commendo.

Fesulis die festo Praesentationis B. V.
anno 1891.

Vestrum omnium servus in Christo
A. M. Anderledy, S. I.

EPISTOLA

R. P. N. LUDOVICI MARTIN

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS IESU

DE ALIQUIBUS NOSTRORUM TEMPORUM PERICULIS CAVENDIS

Desiderium invisendi et solandi nostros omnes.

1. Iam dudum in votis erat, Reverendi Patres Fratresque carissimi, aliquod vobis tot inter labores pro animarum salute susceptos afferre solatium; vosque hortari enixe, ut in Dei servitio magnis itineribus proficiatis, et maiore in dies alacritate et studio Dei gloriam longe lateque provehatis. Urgebat nempe singulis amor, quo vos omnes complexus sum, cum inscrutabilis Dei providentia Societatem meis curis commissam voluit : urgebat impensa voluntas, qua « cupio omnes vos in visceribus Iesu Christi. » Atque utinam meis votis potestas respondisset! Confectis enim generalibus Societatis comitiis, ardens fuit

Philip. 1. 8.

vos invisendi desiderium, ut daretur meos fratres de facie nosse omnes; quae praeclare ad Dei gloriam facitis et perfertis, coram cernere et gratulari; mutuae caritatis officiis curas nostras mulcere et solari; magnum denique testari desiderium, quo me Deus perpetuo urget, ut strenue servemus Religionis castra, atque, uti germana ac genuina Ignatii Parentis soboles, proelia Domini eadem ac ille fortitudine et constantia proeliemur.

Prudentia vetuit huc usque, ne litterae ad universam Societatem darentur.

2. Sed obstiterunt meis votis gravissimae rationes, quas, si officii mei ratio habeatur, unusquisque vestrum facile mente assequi potest. Supererat igitur, ut per litteras congrederemur, quaeque singulis praesens dixissem, scripto patefacerem. Verum prudentia postulabat, ut priusquam universam simul Societatem alloquerer, pro comperto exploratoque haberem, quo demum in loco illius res essent, quaenam incepta ad Dei gloriam gererentur, quae impedimenta illius laboribus intercederent, quae pericula pro temporum iniquitate impenderent; quod quidem non nisi longo rerum usu diuturnaque experientia assequi potuissem. Nunc autem cum ex tot undique perlatis litteris, et tot gestis confectisque negotiis in magis claram totius Societatis notitiam deveni; censui abrumpendas moras, quae ab hoc paternae caritatis officio me hucusque detinuerunt.

Gratiae Deo

3. Primum igitur, Reverendi Patres Fratresque

habendae ob singularem redintegratae Societatis tutelam.

carissimi, hortor vos, ut promeritas mecum solvatis laudes et gratias Deo ac Domino nostro, Patri misericordiarum, qui minimam hanc Filii sui Societatem benignis aspexit oculis, ac postremis hisce temporibus « fecit potentiam in brachio suo », ut illam contra irruentium inimicorum impetum suo numine tutaretur, et per medias difficultates augeret et propagaret. Qui enim summa largitate et sapientia Ignatio usus est fideli ministro, ut illam a fundamentis excitaret, idem ac unus ipse, « ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Iesu, » illam ab excidio revocare dignatus est.

Eph. 2. 7.

Deo etiam debemus restitutae Societatis incolumitatem et incrementum;

Nec satis fuit illam a funeribus suscitare; quin etiam uberrima alens gratiae suae munerumque copia, mirifice suffulsit ac sustentavit, per totum diffudit terrarum orbem, ad eumque statum brevi perduxit, ut veluti prodigio, non modo obstupescant adversarii infensique hostes, sed nos ipsi vehementer admiremur.

Incredibili enim successu perculsi, illam numerosiore fecundam sobole, latiusque per orbem hisce primis octoginta annis propagatam gratulamur, quam totidem a primis exordiis factum fuisset. Neque haec ad rem exaggerandam et amplificandam dicta existimetis, Reverendi Patres Fratresque carissimi : prostant enim domesticae tabulae, domorum sociorumque numerum cen-

sentes, quae rem legentibus non dubiam testantur. Quo autem manifestius in hoc secundissimo rerum cursu appareat praesens Dei miserentis numen ad Societatem tuendam atque dilatandam, prae oculis habendum est, primis illis conditae Societatis temporibus, cum ubique Fides vigebat penitusque insita haerebat omnium animis, maiores nostros non modo populorum, sed etiam publicae rei moderatorum praesidio et munificentia saepe usos fuisse; nactosque Romanos Pontifices, Ecclesiae principes, sacrorum antistites, reges, optimates, magistratus, qui professas domos et templa conderent, amplissima collegia non solum exstruerent, sed et laute reditibus augerent, nostras ubivis locorum missiones proveherent et munifice sustentarent. Sed vertit fortuna post restitutam Societatem. Ex quo enim Ecclesiam perduelles filii bonis omnibus spoliarunt; vel ipsis illis, qui amplissimis in illa aucti sunt dignitatibus, quique Societati nostrae sese mire propensos praestant, saepe facultas adempta est illa nobiscum liberalitate utendi, qua semper usi fuerunt qui in eisdem magistratibus illis anteiverant. A summis autem populorum ducibus reique publicae administris quandoque opem auxiliumque rettulimus; sed saepe etiam omnis generis molestias et insectationes experti sumus. Nam multi, falsis illis opinionibus, quas irridendo « liberales » vocant, innutriti alteque occupati,

non hominibus.

tantum abest ut Societati faverint illiusque incepta secundaverint, ut non semel palam, ad internecionem usque indicto bello, illam inexorabiliter lacessiverint, infamia notaverint, bonis expilaverint, ac veluti humani generis perniciem ac pestem e suis urbibus exsulem, extorrem egerint; nihil denique intentatum reliquerint ad illius nomen delendum. Deo igitur, Deoque uni accepta referenda est vita qua fruimur : illi domus quae nos recipiunt ; illi mira virtutis exsuperantia, qua Societatis arbor ramos exerit lateque protendit ; illi omne genus adiumenta, quae abunde suppeditant ad Dei gloriam et animarum salutem procurandam. Ingenui ergo gratique est animi illi de tot benefactis, quae hucusque contulit, promeritas referre laudes et gratias ; in eoque spes nostras omnes reponere, et firmissime confidere praesentissimum illius numen nec in posterum nobis defuturum.

Suae etiam gratiae debentur nostris ob indefessos labores in vinea Domini.

4. Verum primis his ac potissimis, ut decebat, tributis partibus Deo ac Domino nostro, qui tanta benignitate ac misericordia Societatis incolumitati et incremento praesidet, aliud superest pietatis gratique animi officium, cui ipse erga vos satisfaciam ; erga vos, inquam, Patres Fratresque carissimi, qui nulli parcitis labori et industriae, ut vosmet Deo apta instrumenta praebeatis ad divinissimum hoc opus salutis animarum illius ductu et virtute perficiendum. Quidni enim pater

filiis gratuletur et gaudeat, qui nobilissimo huic incepto vitam viresque omnes tanta alacritate et constantia devoverunt? Equidem cum audio in perlegendis litteris, quae ad me ex omnibus pene terrarum orbis regionibus frequentes cotidie perferuntur, quam acri animo ac studio Patres Fratresque omnes incumbant ad Dei et catholicae Ecclesiae iura tuenda, et ad Iesu Christi Servatoris imperium per omnes terrarum plagas propagandum, efficere non possum, quin, commotus animo, singulos magno amore complectar, iisque maximas quas possum gratias habeam de tot tantisque quae pro Dei nomine faciunt et patiuntur. Atque utinam mihi daretur in campum vobiscum descendere, pugnantibus adesse, in aerumnarum, certaminum, triumphorum partem venire! Cum autem Deo ac Domino nostro aliter visum fuerit, hoc saltem sit vobis gratissimi animi paternaeque charitatis testimonium de tot tantisque quae forti animo geritis, ut summa pro viribus Redemptorem ducemque nostrum gloria afficiatis. Pro certo habete, RR. Patres Fratresque carissimi, me vestrum omnium memoria delectari; vobis vigilantibus in conscribendis libris, in ludo docentibus, verbum Dei nuntiantibus, in sacro tribunali sedentibus, dissitas barbarasque regiones lustrantibus, terra marique, in periculis et adversis, in aerumnis et laboribus,me semper, sin minus corpore, at

animo adesse; vestris vicibus vobiscum permoveri, vobiscum gaudere et flere; incepta omnia vestra ominibus votisque prosequi; quae a Societate fiunt cotidie pro me preces et sacra, pro vobis a me offerri, ut Deus pro sua pietate et munificentia milites suos suffulciat et soletur.

Propositum epistolae : praecipua nostrorum temporum pericula denuntiare, ut nostri sibi caveant.

5. Ut autem vestra haec virtus et efficacitas numquam exarescat, sed eadem semper vigeat ac uberiores in dies gignat fructus, quod propositum est meae huius epistolae; paternae providentiae partes duxi, aeque pericula denuntiare insidiasque detegere, quae a teterrimo humani generis hoste parantur, ut vos suis laqueis irretiat, aut vestrorum saltem operum decus meritumque extenuet; aeque adiumenta proponere, quae ad haec pericula a vobis prohibenda aptius conducere videantur.

Malus daemon singulare bellum indicit religiosis viris;

6. Et re quidem vera mundus hic, ubi vivitis, ubi operamini, ubi sacra pro Christo legatione fungimini, haud spectat iners conatus vestros, nec impune patitur tantam sibi praedam e manibus eripi; sed, ab inimico animarum nostrarum stimulatus, et ex ipso vestro animarum studio suam occasionem petens, occultiores praetendit insidias, omnemque dat operam, ut vos, nil tale suspicantes, alliciat et fallat. Hoc enim illi est in more positum, ut aliis utatur armis cum iis qui mundo obsequuntur suisque parent cupiditatibus; aliis autem oppugnet homines divinarum

rerum studiosos, ac prae primis religiosos viros. « Illis, qui facile peccant letaliter (ait S. Pater Ignatius, reg. 1. ad motus animae discernendos), et peccatum peccato addunt, fere solet inimicus noster illecebras carnis et sensuum delectationes obicere, ut eos teneat peccatis plenos, ac semper cumulum adaugeat. » E contra vero « id moris est spiritui maligno (ita reg. 4. ad pleniorem spirituum discretionem), ut in lucis angelum transfigurans sese, cognitis piis animae votis primum obsecundet, mox inde ad perversa sua desideria illam alliciat. Simulat enim ab initio bonas sanctasque hominis cogitationes sequi et fovere ; at deinde in occultas fallaciarum suarum pedicas paulatim tractum illaqueat. » Haec causa fuit, cur idem S. Pater, commentatus in meditatione *De Duobus Vexillis*, qua ratione Satanas iis bellum indicat, qui Christi castra sequuntur ; monet, illum suo vexillo minime sane res malas scelestasque inscriptas habere, cuiusmodi essent libidinis oblectamenta, effrenata rei alienae appetentia, perduellio in Dei maiestatem eiusque legis contemptus ; sed res suapte natura indifferentes, quarum usus ex se quidem malus haberi nequit, at viam sternit ad culpam, et parat illius excidium qui sinit huiusmodi fraudibus sese misere irretiri. Quin immo vaferrimus ille persaepe, his dolis non contentus, non modo ponit ob oculos res indifferentes, quae ex se ab omni culpa vacent ; sed eo devenit

sed transfigurat sese in angelum lucis, ut facilius eos fallat.

fraudis ut, speciem induens angeli lucis, bona obiciat et honesta, quae ad virtutem facere videantur, atque ita exquisitiore arte clam furtimque in latentes insidias adducat. Necesse est ergo animum intendere sibique cavere ; diligenter perscrutari pravum hunc mundum, in quo vivimus ; perspectas habere artes, quibus diabolus utitur : probe cognoscere quae sint res illae indifferentes vel bonae, quibus crebrius conatur nos allicere et in suam potestatem redigere.

Tentationes sunt semper eaedem natura, sed forma diversae;

7. Hic autem sedulo animadvertendum est, quamquam illicia, quibus utitur ut ad malum pertrahat, sunt semper eadem natura, specie tamen et forma esse varia ac fere innumera. Consuevit enim indulgere temporibus, condicionibus, moribus regionum ; dolosque suos pro hominum ingeniis et adiunctis opportune inflectere, apteque simulare. Haec cum ita sint, quaenam peculiaris est ratio, qua nostris hisce temporibus, et in recentibus populorum condicionibus quos inter degimus, veteratus hostis pios homines adoritur, eosque ipsos lacessit qui sese Deo dicarunt et apostolico muneri devoverunt ? Meo quidem iudicio, ni fallor, duae sunt potissimae, quas velim vestris mentibus alte repositas, ut ab iis summa cura caveatis ; cum nihil perniciosius esse possit ac periculorum plenius, quam illas aut innoxias iudicare, aut parvi facere, ac si nullius essent momenti.

nostris

8. *Prima* est quaedam mentis et animi levitas,

quae maximo impedimento esse solet, quominus solidae illae veritates, quibus tota vitae nostrae ratio regi debet, altas radices in mente agant; unde sequitur, ut animus, certa firmaque norma agendi destitutus, levis variusque sit in iudicio de rebus ferendo, commutabilis et inconstans in rebus aggrediendis et ad exitum perducendis. Inde via sternitur ad illius vitae rationem ineundam, quae novarum semper animi commotionum studiosa, et novis rebus sive videndis sive legendis intenta, externarum rerum speciebus ad agendum impellitur, et naturalem sensuum impulsionem, non vero Deum neque Instituti nostri leges, actionum suarum normam constituit. *Secunda* est speciosus amor ingenuae illius libertatis, quam Deus animis nostris indidit; sed quae, perperam intellecta, ansam licentiae praebet, et auctoritatis frenique impatiens, iugum omne excutere nititur. Obtegitur illa quidem initio ingenuae cuiusdam nobilitatis specie; sed sensim ac leniter eo nos inscios ac inopinantes adducit, ut assuescamus facta omnia in disceptationem vocare, omnia censoria animadversione distringere, nullamque aliam iudicandi et agendi normam sequi, quam iudicium nostrum. Quod quidem quantorum malorum causa sit, postea videbimus. Praestat autem a mentis animique levitate exordiri, quae, nisi caveamus, gravissima intentat pericula, primum iuvenibus nostris dum studiorum suorum curriculum

autem temporibus duae sunt praecipuae, animi levitas et falsae libertatis amor.

perficiunt ; deinde operariis, qui extra domum vagantur, nisi ministeria sua rite obire contendant ; et tandem his, qui propter munera sibi demandata domi consistere solent, si indulgendo vanis ac ludicris lectionibus, neglegant se Deo et labori totos devovere.

Diabolus, causatus multiplicis scientiae supellectilem nunc necessariam,

9. Ac primo quidem vaferrimus humani generis hostis iam inde ab ipsis religiosae vitae primordiis proponit iunioribus nostris scientiae necessitatem ad veritatem ac religionem defendendam; illius scilicet scientiae multiplicis, levis, *encyclopedicae*, quam vocant, qua Ecclesiae hostes ad illam oppugnandam abutuntur. Cum autem haec scientia disciplinas complectatur maxime varias et inter se diversas; hinc periculum exoritur, ne cupiditate tententur ab antiqua probataque studiorum ratione recedendi; contentique sint disciplinas in nostris scholis hucusque traditas vix summis labiis degustare, quo liberius recentioribus disciplinis, et praestantiorem ingenii vim, et magis accommodatas temporis horas devovere possint. Sed quo demum tantus alucinantium error sit evasurus, facile constat. Cum enim recentioris huius institutionis ambitus tam late pateat, et tot scientiarum species contineat, quarum unaquaeque, ut penitus solideque addiscatur, integrum vitae nostrae cursum sibi merito vindicet; illud necessario consequitur, ut, qui omnia complecti velit, neque antiquioris, neque recentioris

Scolasticis nostris suadet, ut antiqua nostra posthabita, recentiorem sequantur studiorum rationem.

disciplinae veram intimamque cognitionem sibi comparet; sed summa aliqua speciosaque singularum notitia animum leviter erudiat, mentemque oppleat. Huiusmodi est laqueus, in quem nos, specie boni allectos, vaferrimus inimicus nostris hisce temporibus pertrahere conatur. Neque hoc vanum periculum existimabitis aut timidae excitataeque mentis commentum, si considerare velitis, quaenam sit nunc communis ratio et norma, qua, sive prima puerorum educatio intra domesticos parietes, sive subsequens adulescentium ad litteras et ad scientias informatio in publicis gymnasiis et athenaeis reguntur. Tanta est enim domesticae educationis mollitia et publicae institutionis levitas, ut fere incredibilem putemus, et cotidie de ea conqueramur.

Ad quam scientiae levitatem ipsa corporis imbecillitas inclinat,

10. Ad hanc animi levitatem iam inde a pueritia comparat et flectit ipsa corporis imbecillitas, quae, peritorum iudicio, crescens in dies et progenies ferens vitiosiores, acuit irritabilem nervorum habitum; ex quo fit, ut remissi, imbelles, cerebrosi, severam omnem animi corporisque contentionem fugientes, quaerant assidue, non quibus intendant animum, sed quibus relaxent ac remittant. Nec mirum, pravam hanc insitam animis propensionem nostra hac aetate funestissimos fructus edere. Domestica enim educatio, cuius potissima vis est tam in bonum quam in malum, ut plurimum mollis, incerta et tantum intenta

domestica educatio disponit,

puerorum animis explendis et satiandis, dum succrescentes una cum corpore cupiditates alit, volubilitatem ingenii explicat, animumque debilitat et enervat. Neque tot elumbis huius domesticae educationis vitiis emendandis par est subsequens collegiorum disciplina et litterarum scientiarumque institutio. Huius quidem esset primae institutionis levitati pro viribus obniti, teneros adhuc puerorum animos ad virtutem informare, eorumque mentibus paucas quidem, at sanas certasque formas inserere; quae, si semel radices agerent, veluti felices surculi silvestri arbori immissi, laetissimos suo tempore darent fructus, atque incredibili vi et efficacia totam postea vitam moderarentur. At contrarium nunc evenire querimur omnes ob insanam docendi rationem stultasque studiorum normas, quae fere ubique nobis imponuntur. Eo quippe tota spectat recens haec studiorum ratio, ut iuvenes brevi annorum curriculo non modo litterarum, sed omnium fere disciplinarum cognitione aspergantur; ut parvi, uti aiunt, *encyclopaedistae* e collegiis egrediantur; et postquam universi scientiarum encyclii summa capita delibaverint, ex omnibus his nihil solide teneant : « ex omnibus aliquid, in toto nihil ». Ita accidit, ut mentis aciem nullo modo acuat, sed vanitatem potius foveat; non imprimat animo potissimas illas cognitiones, quae ad mentem litteris informandam maxime valent, et adulescentem

publica institutionis ratio compellit.

paulatim hominem efficiunt; sed curiosum excitent illius ingenium, et informem leviterque eruditum, audentissimum reddant ad iudicium de his quae non intellegit ferendum.

Huic levissimae formationi nostram etiam accommodandam contendit,

11. Atqui huiusmodi est formatio, ad quam inimicus noster, nomine maioris boni, nos allicere et impellere conatur; illud totis viribus contendens, ut iuniorum nostrorum institutionem illis normis legibusque accommodemus, quae publicam adulescentium institutionem moderantur; institutionem, inquam, quae quantum disciplinarum varietate iactat, tantum summo cum detrimento de earum soliditate demit; quae plura complectitur, sed parum assequitur; quae vanitatem fovet de omnibus loquendi, sed facultatem denegat de ulla re recte et intimius ratiocinandi apteque disserendi; quae denique graeculos sciolosque parit, non vero doctos homines et sapientes. Nonne ergo stultum insanumque esset sese in istas insidias immittere?

obiciens recentiorum disciplinarum necessitatem ad impios eisdem armis oppugnandos.

12. Non me latent, RR. Patres Fratresque carissimi, quae vaferrimus ille callidissime suadet, ut in infaustam hanc viam nos tandem coniciat: inficiandum quidem non esse, studiorum rationem, quae nunc in gymnasiis et lycaeis viget, ad nimias disciplinas sese porrigere, quae non nisi leviter et superficie tenus ab adulescentibus attingi possint; attamen ex altera parte pro comperto esse, in singulis disciplinis, quibus postea

peculiatim dant operam, eminere praeclaros doctissimosque homines, quorum impiis conatibus nos obsistere debemus; quam ob rem oportere nos, ut aequis pugnemus armis, etiam eisdem disciplinis eadem ac illos ratione studere; atque ita instructos, scientiis illis dominari, quae in Dei Ecclesiam crudelissimum bellum commovent.

Quod ineptum deprehenditur, si agatur de peculiari aliqua disciplina addiscenda;

13. Verum, ut ingenue candideque fatear, qui callidissimo hosti morem gerentes haec proferrent, aut temere effutirent, aut aperte alucinarentur. Cum enim absurdum sit, nostros omnes in omnibus disciplinis excellere, sermo tantum esse posset de excellentia, quam in peculiari aliqua disciplina assequi possimus. Si igitur hoc tantum sibi velint, ut absque studiorum quae in Societate praescribuntur detrimento, post emensum illorum curriculum aliqui e Nostris, qui sese praestantiore ingenio prae ceteris commendavere, addicantur peculiari alicui scientiae sive addiscendae sive penitius recolendae; hoc et optamus omnes, et pro viribus curamus. Verum id nullo modo postulat, ut veterem nostram studiorum rationem aut deseramus aut immutemus; quae immo nos quam aptissime disponit et validissime iuvat ad recentiorem aliquam disciplinam, qua forte opus sit, rite solideque addiscendam, uti domestica experientia testatur. Si autem diaboli fraudibus circumventi, et rerum novitate allecti, contenderent neglegenda esse studia Societatis

propria, ut alia minus propria colantur; Philosophiam scientiis naturalibus, Theologiam Philologiae, Historiae et similibus posthabendas; brevi, philosopho, theologo, canonistae anteferendos esse mathematicum, naturalistam, astronomum; in hoc deceptionem gravissimam et maxime perniciosam nemo sanae mentis non videat. Nam, aliis etiam praetermissis summi ponderis, quae afferri possent, hoc manifesto refragatur Constitutionibus nostris, quae una et suprema nostrarum actionum norma esse debent. Et quamvis hoc ab Instituto nostro tam graviter interdictum non esset, nonne ab ipsa vocationis nostrae condicione et natura vetaretur? Sacerdotes enim sumus et religiosi : sacerdotis autem et religiosi scientia et institutio, quaecumque demum sit, non modo a SS. Patrum et Ecclesiae Doctorum scientia seiungi nequit, sed immo illi tamquam fundamento inniti debet, primas partes tribuere, et velut pedisequa submisse famulari. Nonne enim triste et probrosum esset Societatis filio, qui sacris scientiis vale dixisset ut sese totum profanis devoveret, si illum alieni tunc tantum convenirent, cum cupido subeat de vanis futtilibusque rebus colloquendi; cum autem opus sit revelatas veritates firmius edoceri, sese a dubitationibus liberare, errores manifestius detegere et repudiare, tunc alios adire cogerentur?

contrarium Instituto et vocationi nostrae, si de omnibus disciplinis recentioribus cum detrimento Philosophiae et Theologiae.

14. Merito igitur postrema Congregatio Generalis, superiorum Congregationum vestigia pre-

Hinc Congr. Gen. XXIV nostram

Rationem studiorum iterum inculcavit.

mens, iterum gravissime commendavit, ut nostri omnes serio penitusque antiquae Theologiae scholasticae operam darent; adeoque iussit Decr. 24, § 2, « ad rectam institutionem cursus theologici, ad disciplinas in eo tradendas, ad modum et ordinem, quibus eae tradi debent, sedulo et assidue urgendam esse exsecutionem eorum, quae in Ratione Studiorum hac de re praescribuntur. » Immo vero, ut in re tanti momenti Instituti praescripta fidelius servarentur, ne Theologiam ipsam Moralem voluit omnino accommodari ad rationem illam, quam *Casuisticam* vocant; sed, ut in eodem Decr. 24, § 5, praescribit, etiam « Theologia moralis accurate ac solide tradenda est : quapropter quaestiones illae, quae principia continent scientiae moralis, *scholastice* sunt exponendae, et ex ipsis aliquae, tum pro examine annuo Theologiae dogmaticae, tum pro examine ad gradum sunt seligendae ».

Hac via fas erit proximos iuvare absque nostro periculo.

Sensit scilicet Congregatio, quantopere Societatis interesset tantae novarum rerum libidini, quae omnium incessit animos, vehementer obniti, illamque pro viribus a Societate propulsare. Nam hac una via nos immunes servabimus ab illa intellectuali levitate, quae propria est nostrorum temporum nota, et radix moralis illius levitatis, ad quam inimicus noster nos pertrahere conatur. Hac tantum ratione impetrabimus, ut iuvenes nostri « non circumferantur omni vento doctrinae. » Hinc solum

dabitur proximorum animas iuxta instituta nostra felicissimo eventu iuvare, quin nosmet ipsos periculo exponamus, ne a recto tramite abducamur, et forte etiam, ut tristis experientia docet, vocationem et Fidem ipsam amittamus.

Sub specie zeli impellit ad exteriora, adeoque

15. Bene quidem haec novit callidissimus humani generis hostis; adeoque nihil intentatum relinquit, ut nos ad illam animi levitatem adducat per levitatem intellectualem, quae, ut dicebam, illius principium est et origo. Verum his non contentus artibus, aliis praeterea nos machinationibus urget; eandemque obtendens speciosam causam studii animarum, eo vires omnes intendit, ut nos in vitam illam coniciat rebus exterioribus omnino deditam ac veluti effusam, qua leves spiritu tantopere delectantur, et qua suam explent curiositatem ac vanitatem. Quod ut consequatur, iam inde a primo religiosae vitae tirocinio, innumeras congerit difficultates, omnisque generis impedimenta affert, ne solidum religiosae educationis fundamentum iaciatur. Et, proh dolor! res nunc magna ex parte pro votis succedit. Pro nostrorum enim temporum iniquitate plura ex illis tirocinii experimentis, quae tantam vim habent et efficaciam ad tironum virtutem probandam et confirmandam, omittere cogimur. Serius autem lex delectus militaris, quae in multis regionibus viget, studiosos iuvenes, a Collegiis nostris avulsos, ad castra compellit; et brevi inter armorum strepitus et corruptelas laetos virtutis fructus, tot laboribus

primum impedit solidam formationem;

deinde debilitat spiritum;

curisque partos, populatur et destruit. Demum his perniciosis artibus, quae propriae sunt nostrorum temporum, alias veteratas iam constantique usu exploratas addit; cuiusmodi sunt, spiritualis illa ariditas, quae diuturnum studiorum cursum fere consequitur, et continua mentis sensuumque evagatio, quae in collegiis non raro suboritur ex nimia familiaritate cum alumnis et alienis, aliaque his similia. Quibus omnibus id fere assequitur, ut eorum spiritum debilitet virtutemque commoveat; debilitatos vero temere et audenter ad ministeria compellat, ut evagationibus et diffusione in exteriora plenum de iis agat triumphum.

demum temere impellit in ministeria;

16. Atque hic velim animadvertatis, daemonem, veterem suarum artium morem apte secutum, initio novae huius vitae rationis, aggredi non solere rebus pravis et scelestis, sed specie boni et honesti, et operibus ad animarum salutem maxime conducentibus. Quare ponit ob oculos miseram populorum condicionem : tot vitiorum scelerumque agmen, quae in omnes nostras regiones irruperunt; necessitatem, qua premimur, impietatem et corruptelam valido freno cohibendi, et periclitantibus hominibus tutum salutis portum offerendi; varia ministeria obeunda, sodalicia instituenda, pia opera firmanda, excolendos rudes, iuvandos pauperes, aegrotos invisendos. Quibus omnibus permoti allectique, qui iam impenso flagrant animarum studio, huiusmodi ministeria amplectuntur ea alacri-

paulatim vero ad alia, a nobis aliena, avocat,

tate et magnanimitate, quae iuvenum est maxime propria, nulla neque virium neque temporis ratione habita. Cum primum autem sese in illa coniecerunt, illisque se totos devoverunt, illis suadet, aberrantes a recta via et mundanis rebus deditos non esse e fronte oppugnandos, illorum ingenio et temporibus prudenter indulgendum esse, decere iuxta apostoli praeceptum omnibus omnia fieri, gaudere cum gaudentibus et flere cum flentibus, et omnium necessitatibus obsequi, ut omnes Christo lucrifiant. Quae omnia et sanctissima sunt, et ad Dei gloriam promovendam mirum quantum iuvarent, nisi in sensum ab Instituto nostro alienum deinde detorquerentur. Sed tum naturali quadam propensione, tum maligni spiritus instigatione facile fit, ut eorum mores imitati quibuscum familiariter utuntur, paulatim iis etiam rebus sese accommodent, quae non omnino deceant religiosam vitam quam professi sunt; alienis negotiis mundanisque curis sese implicent, ac tandem se ipsos neglegant, ut aliis auxilientur. Quod si diaboli fraudibus irretiti periculosam hanc viam inierint, facile assuescent religiosam disciplinam, non ut adiumentum ad animarum salutem tutius et efficacius procurandam, sed tamquam impedimentum censere; a moderatorum ductu refugere, et multa, illis insciis, operari; ad quascumque privatas aedes imprudenter accedere; quicquid insolens novumque accidat, videre, audire, legere, rimari;

denique vitam agere, religiosam eam quidem habitu externaque specie, minime tamen moribus et interiore spiritu.

ab Instituti praescriptis avertit.

17. Eo cum deventum fuerit, iam maligni spiritus versuta nocendi ratio evidens apparet omnibus, qui sana mente potiantur. Verum, quod in tanta calamitate perniciosissimum est, illa animi levitate, de qua loquimur, etiam primae et potissimae religiosae vitae notiones et officiorum, quae ex illa necessario profluunt, ita pedetentim obscurantur et pene oblitterantur, ut quod ceteris manifestum est, illos fugiat qui satanae fraudibus misere decipiuntur. Inde fit, ut iuvet illos religiosos vivere, in religiosis domibus degere, et ministeria nostra exercere; sed ingenio suo suoque libitu, posthabitis religionis legibus, quibus, Deo vocante, sese obligaverunt. Vita communis, regularis disciplina, regula de socio extra domum habendo, fines ab Instituto praescripti, tum colloquiis cum alienis, tum epistolis ad eosdem scribendis; normae constitutae de ministeriis cum proximis ad moderatorum voluntatem et ductum suscipiendis et dirigendis : haec omnia, eorum iudicio, laudabilia sunt et maxime commendanda; non ita tamen, ut ab iis recedere nefas sit, cum proximorum saluti quocumque modo procurandae obstare videantur. Numquam enim recte assecuti sunt sibique persuaserunt, quanti ea sint momenti, et

quot quantisque periculis vocationem suam aeternamque salutem exponant, qui illa neglegant; fixum quippe ratumque est illis, bonum propositum satis esse ad recte agendum, et ex illo imprudentissimas etiam actiones, honestas sanctasque fieri. Eo temeritatis animi levitate adducuntur!

Periculum hoc hodie praesentius est quam antea.

18. Equidem scio periculum hoc effusionis ad exteriora ex animi levitate ortum, et exstitisse semper et semper exstiturum in omni religioso ordine, qui vitam activam ex Instituto colere tenetur; sed, mihi credite Patres Fratresque carissimi, hodie malum hoc magis magisque ingravescit propter condicionem temporum quae nacti sumus. Nam, praeter causas levitatis animi prius commemoratas, quae propriae sunt nostrae aetatis, dispersio vel abnormis condicio multarum Provinciarum, quae eiusmodi est, ut vix aut ne vix quidem multa ministeria secundum Instituti nostri normam exerceri patiatur; magnus numerus parvarum domorum, et quasi paroeciarum, in quibus disciplinae religiosae observantia difficilius urgetur, et mores facile inducuntur qui nostram vivendi formam parum sapiunt; iactura et exspoliatio templorum nostrorum, quae saepe nos cogit domum cotidie deserere et aliena templa adire, ut saluti animarum prospicere possimus; condicio eorum, apud quos ministeria nostra saepe exercemus, qui non in loco sacro, neque prae-

sente populo christiano, neque horis consuetis convenire solent, sed in locis a templo remotis horisque incertis, prout fert eorundem vivendi modus; denique inverecunda morum corruptio, latius in dies serpens, et nobis ipsis insidias ubique parans, quibus praecavendis impar saepe est Superiorum vigilantia: haec, inquam, et alia quae brevitatis causa praetermitto, gravius praesentiusque in dies reddunt periculum, in quod animi levitas operarios nostros conicere potest.

Quare iure meritoque Praepositi et Congregatio Generalis nos admonent.

19. Quare iure meritoque praedecessor meus bonae memoriae P. Anderledy, Generalium praecedentium et ipsius S. Ignatii vestigia secutus, detrimentum hoc, quod Societas capere poterat, epistolis suis denuntiavit, et sancta Instituti praescripta urgere non destitit, quae huic spiritui opponuntur; praecipue vero regulam socii, quae una instar multorum est ad infinita haec mala avertenda. Quin immo postrema Congregatio Generalis, cum serio perpenderet plura ex iis quae diximus ad tuendam regularem disciplinam maxime necessaria; ea Superiorum omnium et praesertim Praepositi Generalis curae et vigilantiae enixe commendata voluit, ut diligenter ab omnibus servanda curarent, et nihil, vel minimum quidem, ab ea severitate remitterent quam in hisce omnibus Institutum nostrum exigit. Ad me igitur quod spectat, RR. Patres Fratresque carissimi, me muneris mei partibus graviter

deesse putarem, et multorum exitii conscientia teneri, nisi totis viribus eniterer, ut tam sanctae praescriptiones inviolate servarentur; et contra infensissimi hostis insidias ad arma conclamarem. Nec enim fas est nosmet decipere inconsultaeque fiduciae temere committere. Consuevit quidem benignissimus Deus ac Dominus noster ea adiumenta ac praesidia, quibus nos Institutum nostrum satis superque instruit, gratia sua supplere, cum, aut saevientibus in nos populorum seditionibus, aut natura ipsa munerum quae nobis a sancta oboedientia committuntur (ut fere evenire solet in missionibus inter infideles), regulae nostrae et cetera Instituti praescripta non omni ex parte servari possunt. Cum autem tranquilla pace in nostris collegiis et residentiis degentes, domesticas leges ex voluntate contemnimus et neglegimus, non modo Deus gratia sua non supplet, sed iustissimo iudicio saepe permittit ut a daemone vehementius oppugnemur, et a vocatione nostra sic commoveamur, ut ab illa misere deficiamus.

Exitiosi enim sunt huius tentationis effectus.

20. Neque minus veri simile credatis tantum malum illis impendere posse, qui ab hac animi levitate abripi se sinant. Nam effectus miserandi, qui eam fere consequuntur, eiusmodi sunt, qui tam exitiosae ruinae viam semper paraverint et cotidie parent. Quorum enim mens nullo firmo tenacique proposito regitur,

animusque iam diu quadam subactus mollitie obtorpuit, omni trahentur sensuum affectione, eorumque volubilitatem vicesque sequentur. Quare aucupabuntur ministeria sensibus magis grata, extra domum vagabuntur et diffluent, in nugis denique solacium quaerent, quod in negotiis magis seriis et utilibus desiderant. His autem inanibus curis agitati, frustra inter rerum divinarum commentationem piasque exercitationes conabuntur Deo propius accedere. Arescet enim in huiusmodi hominibus omnis spiritualium consolationum fons, qui ex oratione et divinarum rerum commentatione promanat; et omnia pietatis exercitia, quibus alii levantur et sustentantur, fastidium illis taediumque afferent. Ex quo fiet, ut paulatim meditationem, examina, divinasque res perosi, illis non nisi aegerrime adiungant animum, et remisse dent operam, ut officio perfuncti videantur. Atque utinam haec demum non omnino abiciant; ex quo in summum spiritualis ruinae discrimen adducantur! Miserrimum autem hac in re et malorum omnium funestissimum illud est, quod haec mala et incommoda gravissima, quae ex illa mentis evagatione et cordis aberratione, uti effectus a suis causis, consequuntur, illas ipsas causas alunt, fovent, et cotidie magis augent. Cum enim natura ita conformati simus ut animus aliquo fulcimine et subsidio necessario

indigeat, cui innitatur; si illud non inveniat in Deo, quaeret in hominibus; si desint caelestia solacia, se convertet ad humana. Hinc terrenarum rerum cupiditas, sensuum licentia, inexplebilis commoditatum sitis; hinc horror recessus et solitudinis, odium domesticorum parietum, necessitas prodeundi in publicum, crebrae ad saecularium domos accessiones, frequentiora cum alienis colloquia, non quidem de Deo et animarum salute, sed de vanis et ludicris, et forsan etiam periculosis; hinc amor iter habendi, artium cimeliarchia, musea et monumenta publica cupide invisendi. Quae quidem omnia, cum gravissimo exponunt periculo, ne vitae innocentiam maculent ea videntes quae nefas est cernere; tum ceteris admirationi sunt et scandalo, qui iure merito mirantur, religiosum virum eo pedem inferre, unde saeculares ipsi prudentius abesse deberent. Quid mirum ergo, si ignobiles appetitus reviviscant, si cupiditatum impetus, antea secessu, corporis mortificatione ac potissimum assiduis effusisque ad Deum precibus temperatus, frenum excutiat, bellum furentius instauret, et vocationem ipsam in discrimen adducat? Quid mirum, si immoderata haec propensio ad vitae commoda et ad animi dissipationem religiosae vitae severitatem, olim dulcem, iniucundam deinde molestamque efficiat; si oboedientiae iugum, leve antea et suave, deinde importabile reddat,

cum primum aliqua iubeat difficilia et sensualitati repugnantia? Quid mirum si crescant in dies dolor, molestia, lassitudo, excusationes, murmurationes, aliaque vitia non sane levia, quae damnat S. Parens in epistola de oboedientia? Quid denique mirum si ita animo comparati Superiorum iussa aegre ferant, et tandem parere detrectent cum inevitabili vocationis suae ruina? Atqui hi sunt, RR. Patres Fratresque carissimi, lugendi effectus, qui ex ingenii levitate et regularum nostrarum contemptu in ministeriis exercendis oriri solent. Non omnes quidem, qui his inimici fraudibus decipiuntur, eo deveniunt, ut vocationis iacturam tandem faciant; sed experientia testatur, hanc esse praecipitem viam, quam fere percurrunt; et nisi medio in itinere quod arripuerunt sistere curent, in hunc barathrum malorum proruere. Enimvero si ex fructibus quos producit arborem dignoscere debemus, levitas animi, quae tam exitiosos fert fructus, exitiosa arbor nobis omnibus iure meritoque probatur.

Aliud malum praeterea timendum: ephemeridum et libellorum colluvies.

21. Gravissima haec sunt, RR. Patres Fratresque carissimi, atque eiusmodi, quae terrent animum, quaeque in Societate nostra, infinita Dei misericordia, numquam eventura confidimus. At facilior fortasse patere posset aditus aliis inimici nostri insidiis, quae prima fronte non adeo exitiales apparent; re tamen vera aeque

perniciosos pariunt fructus, et saepe ad eundem exitum perducunt. Eandem enim augent aluntque animi levitatem, ex qua nihil non timendum. Aeque autem facit vaferrimus hostis, an potius istis quam illis utatur armis, dummodo metam contingat. Quem ad modum igitur aliquos Christi Domini operarios, animi levitate praereptos, eo adducere conatur, ut sapientissimas normas in Societate praescriptas ad ministeria cum proximis magno cum fructu et absque periculo obeunda, parvi faciant, atque his artibus deceptos in exitium praecipites agat; ita ex altera parte ad omnem malitiam et fraudem versare mentem consuevit, ut alii, eadem ducti levitate animi, numquam serio considerent sibique persuadeant quam gravissima obligatione teneantur nostri sese et vires omnes ad divinam gloriam impendere; sed ineptiis nugisque delectentur, tempusque Deo debitum terant libellis, ephemeridibus fabulisque legendis. Quod quidem periculum non est aetatis nostrae singulare et proprium, sed fuit omnium temporum; quia daemon et sensuum appetitus, antiquissimo inito foedere, suas vires semper coniunxerunt, ut homines allicerent ad hoc commodius vitae genus, negotiorum expertis et curarum. Verum nunc in tanta ephemeridum et libellorum colluvione, quae regiones omnes urbesque invasit, ita ut prohiberi vix possit quin claustra, vel summa custo-

dia munita, invadat; multo maiore quam umquam antea in discrimine versamur, ne etiam nos temporibus indulgentes, laboriosae vitae nostrae tranquilliorem vitam praeferamus.

Quibus mediis hoc periculum removendum sit.

22. Quid autem aptius et efficacius ad nos in officio continendos strenueque excitandos, quam saepe mente revolvere animoque figere nobilissimam metam, ad quam prae ceteris divinitus delecti ac vocati sumus? Nec enim tam mira Dei dispositio et tam singularis erga nos benevolentia eo spectavit, ut inertem ignavamque vitam ageremus; sed ut omnia vitae commoda magno contemnentes animo, nec molestiis, nec laboribus, nec vitae ipsi parceremus ad animas Deo lucrandas. Revocate, quaeso, in mentem, Patres Fratresque carissimi, quot vigiliis, quot lacrimis, quot laboribus et aerumnis, quot probris atque vulneribus, quanto demum sanguine eae steterint sanctissimo Redemptori Nostro! An igitur existimemus nos in divino hoc redemptionis opere Christo socios esse posse, nisi vestigiis suis insistamus et laborum suorum aemulatores simus? Non decet ergo nos desides esse, et tantum animarum excidium segnes spectare. Non decet nos, ut vanis rebus futtilibusque lectionibus delectemur, periclitantibus proximis auxilium denegare, et aequo animo pati ut Christi sanguis effectu frustretur. Cavere igitur oportet, et maxime timere, ne a gravissimo hoc officio abducamur, cum

ephemerides et libelli illud a nobis sibi vindicant tempus, quod Deo et animabus ab eo redemptis totum debemus.

Decr. 15 Congr. XXII; Ep. P. Beckx anno 1860.

23. Quod periculum ut averteret a Societate Congr. XXII, decr. 15, commendavit Praeposito Generali, ut diligenter consuleret ne ullus in re tam gravi abusus irreperet; et fines statueret quibus huiusmodi ephemeridum et libellorum lectio contineri deberet. Serius autem, praedecessor meus bonae memoriae, P. Beckx, anno 1860, vocem attollens, ut de hoc abusu conquereretur, mala quae inde evenire possent Societati his gravissimis verbis denuntiavit : « Quam dolendum, immo vero quid non solum spiritui, sed ipsi etiam vocationi timendum non esset, si nostri quoque, quod multis in saecularibus hac nostra aetate cum dolore observamus, omisso vel posthabito severiorum disciplinarum studio, et operum, in quibus illae solide et docte tractantur, lectione, libris et libellis quibusvis obviis pervolutandis tempus tam pretiosum quam breve perderent, animum dissiparent, cor emollirent, mentem multiplici rerum notitia non tam erudirent quam opplerent! Haec igitur sit cura tum Superiorum tum Praefectorum spiritus et studiorum, ut nostri, ii praesertim qui rerum minus experti sunt, in libris quos evolvant seligendis, non modo sibi non permittantur, verum etiam quod hac in re prodest et nocet rite docean-

tur; quo, dimissa lectione, si minus noxia, at parum certe proficua et ludicra, ad utile illud, de quo dixi, nostraque vocatione dignum studium, sua se sponte transferant. » Ep. ad Prov. Soc. 5 febr. 1860.

Damna, quae ex vana lectione timenda sunt menti,

24. Ubi velim vos diligenter animadvertere, iis verbis non agi tantum de ephemeridibus libellisque malis, qui secundum Constitutiones limina nostra ingredi non debent, uti manifesto apparet; sed etiam de bonis et indifferentibus, quorum lectione iam dicta mala consequi possint. Quare in peculiaribus ordinationibus, quas eodem anno pro multis Provinciis approbavit, et quae in suo robore adhuc manent, etiam abusum in legendis catholicis ephemeridibus deplorat ac damnat. Nec immerito sane; nam qui istiusmodi lectioni imprudenter se dare consueverunt, a serio quocumque earum disciplinarum studio avocantur, quae nobis sunt maxime propriae et necessariae, et aversantur in dies magis eos libros, e quibus et pietatem et scientiam ebibere debemus. Enimvero hoc adeo certum est, ut si, quod Deus avertat, Societas vel Provincia aliqua ianuam panderet huic malo, et lectionem huiusmodi omnibus indiscriminatim permitteret; frustra post aliquod temporis spatium in ea quaererentur magni doctores, et disciplinarum nostrarum magistri insignes, qui erudiendae nostrae iuventuti praeponerentur. Iacerent in bibliothe-

carum angulis indecoro pulvere obsita praeclarissima Doctorum opera, qui sua gloria mundum repleverunt; desiderarentur qui illos evolverent et ab oblivione liberarent, dum ephemerides et libri ludicri manibus omnium versarentur; desiderarentur proinde sapientes Theologi, solidi ac vere eloquentes contionatores, docti scriptores; qui omnes, non lectione ludicra, sed serio et constanti studio solum formari possunt. Quod si per incredibilem ignominiam, quam spero Deum a nobis semper propulsurum, etiam minus bonis ephemeridibus ianua nostra pateret, quam id esset periculis plenum! quot quantisque erroribus sensim ac leniter ebibendis mens nostrorum exponeretur! quam probrosum esset, oblivisci magnos illos viros quos Deus nobis magistros dedit, et ad tantam abiectionem devenire, ut in disciplinam nos tradamus indocti ineptique cuiusvis, non tam scriptoris quam scribae, qui de difficillimis quaestionibus, tum religiosis tum socialibus, temere effutit, et aliquando omnia venalia habet, fidem, religionem, veritatem, officium, humanitatem ipsam; quae omnia vendere cum calamo, et ementis libidini accommodare consuevit!

25. Sed quamvis ex assidua hac libellorum lectione nihil damni referret mens, animus tamen gravissima semper patietur detrimenta; cum fieri nequeat, ut caput tam vanis ludicrisque notitiis, animo,

a religiosa vita quam maxime alienis et dissonis, cotidie obtundatur, quin spiritus dilabatur, et phantasia, tot rerum speciebus excitata et commota, saepe animo impressas exterius imagines obtrudat. A caelestibus tantopere avocatis spiritualia omnia et divina non sapient; non solacium afferent et subsidium, sed taedio erunt, fastidiumque parient atque cruciatum; unde illa omnia manabunt, quae superius fuse descripta fuere.

ministeriis nostris.

26. Nec inde minora damna ministeriis nostris, quam menti et animo timenda sunt, uti superius innuebam. Haec enim actuosa vita, cui nos in Societate devovimus, alio profecto alenda et sustentanda est studii ac doctrinae pabulo, quam quod ab ephemeridibus fabulisque suppeditatur; aliam postulat animi nobilitatem ac fortitudinem, quam quae a vanis ludicrisque lectionibus sperari possit. Nonne ergo nefas esset summumque piaculum, si immemores vocationis nostrae et nobilissimi finis Societatis, quam S. Pater Noster voluit « totam ad universale bonum et utilitatem animarum institutam esse » (Const. P. III, cap. 1,) indigno torpere otio nos non puderet? si degeneres a maioribus nostris, qui inauditis laboribus tot urbes, populos, regna Christi imperio adiecerunt, tempus vitamque impendamus legendis libris magis aptis taedio depellendo et curiositati pascendae, quam doctrinae comparandae

et pietati fovendae ? si nostris commodis obsecuti, animas a Christo redemptas in exitium ruere sinamus? Nonne tristissimum et miserrimum foret, si severissimi iudicii die nos accusaturi consurgerent tot homines, qui ab aeterno interitu a nobis salvari potuissent, si, quod temporis cotidie ad ephemerides ineptosque libros legendos impendimus, ad ministeria vocationis nostrae propria contulissemus?

Haec non infirmantur ex obiecta necessitate huius lectionis ad ministeria melius obeunda.

27. At enim, reponit adversarius noster : vos, Societatis filii, utpote neque Carthusiani neque Benedictini, recessibus desertisque incolendis destinati, ad magnas urbes vocamini, et ad omnem hominum ordinem excolendum. Quare opus est bene perspectum exploratumque habere rerum statum et nostrorum temporum condicionem, ut facilis ad omnes pateat aditus ; ut industrius ab humanis incipientes, ad divina deveniatis; ut omnes homines, suo quemque ingenio, suavius et efficacius ad Christum pertrahatis; adeoque huiusmodi lectio est vobis omnino necessaria. Accedit autem quod, cum haec omnia minime mala sint, sed suapte natura indifferentia, optimo mentis proposito cohonestata, et supernaturali nobilitate donata, validissima fiunt praesidia ad animarum salutem. Haec ille. Verum haec ratio summum evincit, non omnes huiusmodi ephemerides et libros omnibus nostris prorsus esse interdicenda; sed aliquibus Patribus, quibus ex officio incumbit

serpentes ubique errores etiam scripto refellere, curam etiam demandandam folia publica in quibus sparguntur et propugnantur, legendi. Evincit etiam *aliquot* e nostris, qui ministeria obeunt cum externis, vel negotia tractant quae ad Societatis administrationem pertinent, posse aliquem fructum ab huiusmodi lectione referre, si ea utantur moderatione quam Congregationes et Praepositi Generales saepe commendavere. At quis umquam inde inferre possit, hanc lectionem omnibus Nostris permittendam esse, et obvias quascumque ephemerides et libellos domum nostram admittenda? Quis tolerare possit, absque ulla temperantia ad illa legenda multas cotidie horas impendi atque, ut verius dicam, perdi? Eo vel magis quod si illi, qui in huiusmodi immorarentur nugis, hisque narratiunculis delectarentur, essent e studiosissimis operariis; ex iis nempe, qui prae ceteris actuosi et strenui munia sibi ab oboedientia commissa diligentissime obirent; qui e suggestu et pro sacro tribunali, in carceribus et nosocomiis, in pueris et rudibus fidei rudimenta edocendis, in sodaliciis regendis et provehendis, in spiritualibus exercitiis explanandis impigram darent operam, ut animas Deo lucrifacerent; tunc prolata excusatio aliquam fortasse veritatis et honestatis speciem prae se ferret. Sed si aliter se res haberent, si nempe operarii propter hanc lectionem ministeria neglegerent, si Superiores do-

mesticam disciplinam posthaberent, si lectores et magistri ad scholam imparati propterea accederent; si sacri oratores, elaboratis contionibus et necessaria supellectile propterea destituti, ex tempore verba facerent; si praefecti spiritus aegre invisentes exciperent paucisque dimitterent; si, inquam, huiusmodi essent ephemeridum libellorumque assidui cultores, nonne manifesto proderent, sese in illis non quaerere quo sua munia aptius et decentius impleant, sed potius quo sibi indulgeant et vanitati atque curiositati satisfaciant? Nonne testimonio suo luculenter comprobarent, quam sapienter et opportune Congregationes et Praepositi Generales suos hisce lectionibus fines constituerint?

Damna, quae inde timenda sunt toti Societati.

28. Atque id eo magis, quod, praeter tot et tam gravia damna quae inde singulis sociis et ministeriis nostris merito timemus, multo graviora mala integris domibus et Provinciis, adeoque universo Societatis ipsius corpori sunt pertimescenda. Quid enim Societati nostrae magis funestum et exitiosum evenire posset, quam si relaxaretur artissimum illud consensionis et charitatis vinculum, quo singula membra inter se et omnia cum capite coniunguntur? Iam vero neminem latet, quantum valeant ephemerides et alia eius generis scripta ad eorum mentes perturbandas animosque commovendos, qui in illis legendis sunt assidui. Fieri enim nequit, quin illis assueti,

labente tempore, eorum veluti afflatu agantur et regantur, ita ut cogitent ad normam ephemeridum quas legunt; non alia ac illae iudicia ferant; laudent atque vituperent quae ab illis laudantur atque vituperantur; defendant quae ipsae defendunt, quaeque ab ipsis oppugnantur, oppugnent. Quod cernimus in saecularibus hominibus cotidiana experientia comprobatum, quae manifesto testatur, ab hac ephemeridum vi et efficacia nullum hominum ordinem, ne viros quidem maxime probos et egregie cordatos, immo ne ipsos quidem pios homines immunes abire. Nunc porro tot inter controversias, quae ex intervallo exortae animos in utramque partem agitant, et communem hominum curiositatem excitant aluntque, haud rarae sunt, quae res politicas simul et religiosas attingunt; quaeque publicis scriptis disceptando discussae, ipsos etiam catholicos viros acriter permovent, et in contraria scindunt studia, alteros contra alteros vehementer inflammant, et non mediocri charitatis et etiam decoris detrimento ad arma impellunt, quae non tam a catholicae rei tuendae studio, quam ab inimicitia et odio suppeditata videntur. Haec igitur intemperans appetitio animique impotentia, quam ex assidua ephemeridum consuetudine omnium legentium animi serius ocius certissime induunt, quaenam tristissima mala non inferat religiosis domibus, si in illas misere irrum-

pat? Maxime vero Societati nostrae quodnam ex hac peste exitium timendum non esset? Quid foret enim de regula, qua iubemur idem sapere, idem, quoad eius fieri possit, dicere omnes, iuxta Apostolum; ita ut non modo doctrinae differentes non admittantur, nec verbo in contionibus publicis, nec scriptis libris; sed et ipsa iudiciorum de rebus agendis diversitas, quantum fieri potest, evitetur? Quid de fraterna charitate et de animorum coniunctione, quae ibi esse nequit, ubi est sententiarum dissensio, voluntatum et affectuum repugnantia, propositorum, quibus ad operandum permovemur, discrepantia? Quid de religiosa simplicitate, de ingenuis moribus, de facili consuetudine et convictu, de mutua in omnibus conspiratione et fiducia, cum, ne aliorum sensa animumque offendamus, opus sit sensus nostros assidua dissimulatione obvolvere; et ab iis omnibus, in quibus dissentimus, verbis, nutu, vultu diligentissime cavere?

Pro viribus ergo animi levitati obnitendum.

29. Tantum malum, pro sua benignissima in nos clementia, avertat Deus a Societate, ab amantissima hac matre nostra, quae suo nos omnes exceptos gremio, eadem aluit fovitque sollicitudine, eisdem legibus communivit, eadem cura tot sumptibus et laboribus educavit, tenerrimo eodem amore semper complexa est, et ad eundem nobilissimum finem destinavit. Nostrum autem est, Patres Fratresque carissimi, pro illa natorum pietate, qua

decet tantae matris caritatem rependere, daemonis artibus pro viribus obniti, illiusque fraudes eludere. Huc enim totum spectat primum hoc insidiarum genus, adhuc expositum, ut a nobilissimo initio ad miserrimum finem imprudentes et inopinantes adducat, ad illam nempe animi levitatem, quae intellectualem nostram et moralem institutionem corrumpat, ut nos totos ad exteriora effundat, ad ministeria Societatis aut imperitos reddat aut desides, vanis ludicrisque nugis enervet et frangat.

Revocemus in mentem S. Ignatii spiritum

30. Ad quem perniciosissimum levitatis spiritum exsecrandum et devitandum, quid nobis efficacius esse possit, quam si illum cum genuino spiritu comparemus, ad quem S. Pater Ignatius omnes Societatis filios informatos voluit? Et sane, detestabilis ille levitatis spiritus, de quo diximus, nullo modo sinit in animis nostris radices agere summas illas veritates et suprema aeternae legis principia, quae, tamquam certa et immutabilis norma, totam vitae nostrae rationem moderari debent. Ex quo fit, ut nobis deesse sentiamus vim omnem atque efficaciam ad agendum, et omnem fortitudinem atque constantiam ad ea quae suscepimus persequenda; adeoque incerti, ignavi, commutabiles, tum in iudiciis tum in propositis, externarum rerum impressionibus facile abripiamur; ab iis quae videmus, audimus, legimus, circumagamur atque, ut ait Apostolus, « tamquam

nubes sine aqua, a ventis circumferamur. » At vero quantum ab hoc distat, RR. Patres Fratresque carissimi magni illius parentis spiritus, quem nobis Deus conditorem dedit, magistrum et exemplar. Ignatius scilicet, uti Lainius dictitare consuevit, erat *homo paucarum veritatum,* quae minime ad passionum vices fluctuabant, neque contradictionum tenebris obscurabantur; sed illius animo penitus defixae, mentem mirabili quodam splendore illustrabant; ita ut illas mira quadam facilitate ad praxim deflecteret et accommodaret, et quid in singulis rerum eventibus agendum esset, primo paene intuitu conspiceret. Hinc mira illa, et in agendo efficacia, et in maiore Dei gloria promovenda et urgenda incredibilis constantia. Nam pauca illa vera omnibus illius actionibus veluti fax praelucebant, et non modo non sinebant illum ab eo tramite, qui rectissime ad Deum duceret, ne vel unguem quidem recedere; sed etiam illam firmabant propositorum tenacitatem et agendi vim, quae notam constituit veluti singularem ipsius sanctitatis. Paucae autem istae veritates, de quibus loquitur P. Lainius, et quibus Ignatii magnanimitas et fortitudo innitebatur, eae ipsae sunt, quas ille in divino Exercitiorum Spiritualium libro nobis reliquit et commendavit, scilicet Dei gloria tamquam scopus, in quem actiones omnes intendere debemus, et absoluta Christi imitatio, ut altissimum illum finem perfecte assequamur. Ad

qui veritatibus supernaturalibus in agendo regebatur,

illas semper intentum habuit animum, ut illarum ductu et auspicio suam suorumque filiorum voluntatem moderaretur, et ad maiorem Dei gloriam constanter dirigeret. Quicquid ille audiret, videret, legeret; quicquid mente conciperet, sive in negotiis pertractandis sive in tot hominum generibus alloquendis, sacrum illi fuit omnia cum supremis illis veritatibus dimetiri, tamquam cum unica et summa iudiciorum et consiliorum suorum norma.

et a rebus ludicris abhorrebat, ut solum de Dei gloria cogitaret.

31. Ex quo consequebatur etiam contemptus ille, quo res novas, vanas, ludicras despiciebat : intentus enim animus magnis rebus aut aggrediendis aut persequendis, a nugis abhorrebat et ab agendo abstinere nesciebat. Sane quidem omnibus in comperto est et experientia comprobatum, si quid semel obiectum est menti, quod fixum insideat animo, profecto integrum non esse homini otio torpescere, vanisque solaciis delectari. Illo enim uno absorptus animus, incredibili vi voluntatem agit et perpetuo urget : quae poterit quidem aliquando obniti et reluctari; sed invincibili tandem impulsu subactam concedere necesse est, seseque impellenti animo morigeram administram praebere. Quo autem clarius et intimius illustratur mens, eo validius movetur voluntas, eoque vehementior est actio. Age nunc, Ignatium inspiciamus. Consilium procurandi salutem animarum Deique gloriam promovendi, ita ab initio suae

conversionis eius menti inhaesit, ut totum illius animum pervaserit ac inflammaverit. Inde nulla ipsi per totam vitam requies, nulla relaxatio : urebatur et angebatur cum populos et nationes a Deo recedere cerneret, et nihil intentatum reliquit, ut illos ad Deum reduceret et in officio suo contineret. In hoc opere perficiendo, neque rebus prosperis alliciebatur, ut alio animum deverteret, neque adversis quatiebatur. Inter salebrosissima negotia asperrimasque difficultates ac insectationes, mira in eo eluxit voluntatis vis et invicta animi constantia, qua difficillima incepta suscipiebat, actuosissime urgebat, omnibusque tandem eversis quae intercederent impedimenta, ad exitum perducebat; nec umquam aut despondit animum, aut loco cessit aut vel minimum nutavit.

Haec voluntatis firmitas innixa, uti fundamento, certae intimaeque cognitioni summarum veritatum, quae in Exercitiorum Spiritualium libro evolvuntur, toto caelo distat ab illa cogitandi, sentiendi et agendi levitate, quae nostrorum temporum peculiaris est, et maxime propria non mundanis modo hominibus, sed pluribus etiam religiosis Deo dicatis.

Hunc spiritum filiis suis reliquit in Constitutionibus.

32. Quare fructus, quos Ignatii doctrina et institutio peperit, mirabiles plane fuere. Inde legiones martyrum, confessorum, scriptorum, missionariorum, magistrorum, uno verbo apostolorum, qui universum terrarum orbem et gloria sua, et

magis etiam Dei gloria impleverunt. Providerat enim S. Parens, ut illae ipsae veritates, quae eum ad tam magna aggredienda excitabant, librum Constitutionum pervaderent, unde a filiis suis deinde haurirentur et eorum mentibus alte reponerentur. Providerat etiam, ut membra huius corporis, cum artissimo indissolubilique nexu per vota Deo coniunguntur, ab omnibus, quae in mundo sive iam obtinebant sive quomodocumque sperare possent, se in perpetuum abdicarent; ne curis huius mundi illaqueati, a tota sua efficacitate exerenda prohiberentur. Neque id satis fuit : voluit etiam, ut, interposita sacramenti fide, profiterentur se Christianam doctrinam pueros rudesque edocturos, et paratos promptosque futuros ad sacras inter infideles et haereticos expeditiones, etiam sine ullo viatico, suscipiendas. Denique voluit, ut iuxta Constitutionum spiritum, semper *praecincti lumbos*, animo essent comparati ut itineri se committerent, quocumque illos ad fidem tutandam et ad Dei gloriam promovendam oboedientia vocaret. Quin etiam, ne nobilis haec et generosa animi dispositio torperet, aut impedimentis ullis contineretur, nos interdixit ab omni opere etiam pio, quod nos aliquo vinculo obligaret; effecitque, ut liberi essemus a paroeciis procurandis, a sanctimonialium feminarum confessionibus pro munere excipiendis, a divinis laudibus in chorum concinendis, a sacris caerimoniis

liturgiisque frequentandis; denique ab iis omnibus, quae, licet sancta et in aliis maxime commendanda, nobis tamen impedimento essent ad ea praestanda quae vocatio nostra Deique voluntas iuxta instituta nostra a nobis requirit.

Inde dignoscendi erunt veri filii Societatis.

33. Quae cum ita sint, quis est qui non videat, quantopere dedeceret, tanti Parentis subolem, quo maxime tempore opus est generosa pube animisque fortibus, a magnanimo illius spiritu deflectere, oblivisci sublimissimum finem, in quem tanto laborum et curarum dispendio nos altos eductosque voluit; sapientissima illius instituta praevertere, ut aetatis nostrae levitati et vanitati inserviant; ministeria nostra neglegere, in exteriora diffluere? Qui posset Ignatius suos filios agnoscere, qui in commoda instructaque domo torpescerent desides et ignavi, tempusque tererent pervolvendis ephemeridibus, legendis inutilibus libellis fictisque fabulis, invisendis amicorum domibus, miscendis vanis colloquiis, inutilibus itineribus instituendis, ut vano cupidoque ingenio satisfacerent?

Altera tentatio est, qua nos ad libertatem provocat.

34. Verum aliae etiam nobis struuntur insidiae, aliud imminet illiciorum periculum aeque ac prius funestum ac timendum. Veteratus enim salutis nostrae inimicus, dum ex altera parte opportunam arripit occasionem, a nostro animarum studio oblatam, ut nos a ministeriis Societati propriis avocet; ex altera, iis abusus nobilibus ma-

gnanimisque sensibus, quibus abiecta quaeque et tenuia fastidientes, in generosos ad Dei gloriam ausus assurgere inhiamus, in alium nos impingit scopulum, licentiae scilicet, iudicii proprii et superbiae.

Exitialis effrenatae libertatis spiritus ubique regnans.

35. Haec effrenis licentiae lues, quae omnium fere pervasit animos, et quam nos ipsi vel inviti cum aere ipso respiramus, ima Religionis fundamenta suffodere et subruere minitatur. A saeculo iam, eoque amplius, non modo per totam Europam, sed per ceteras etiam regiones exlegem libertatem conclamant populi; eam extollunt summisque laudibus commendant; eamque singulis hominibus, urbibus, nationibus et gentibus, ut sacra naturae lege debitam vindicant et propugnant. Hinc omni auctoritati indictum bellum; hinc ea omnia vehementer impetita, quibus aliquod libertati frenum aut finis ponatur. His exitialibus doctrinis, quibus personant populorum comitia, perstrepunt virorum mulierumque conventus, pleni sunt omnes libri et libelli, iam diu plebes imbutae corruptaeque sunt. Immo, quae corruptores populorum docuerunt, plebs ad actum cotidie deducit, rata sibi ius et fas esse omne legum iugum excutere, quicquid a legitima auctoritate statuatur, recognoscere et emendare, reges reique publicae moderatores insito proprioque iure attollere aut deturbare, denique rebellionis crimen tamquam ius sancire.

Perniciosissimi huius libertatis effectus.

36. Hinc tanta mentes incessit confusio, et tanta exstitit iudiciorum perturbatio, ut quicquid antea lex, auctoritas, ius officiumque audiebat, nunc, pristino obsoleto usu, aliam prorsus diversamque significationem induerit. Suprema enim auctoritas nunc, non ad regendum populum eiusque venerationem sibi conciliandam constituta esse videtur, sed ut eidem pareat, vel etiam ludibrio habeatur. Lex saepe esse dicitur, non quod recta ratio iubet et praescribit, sed quod maior populi pars, aut auro corrupta, aut cupiditatibus abrepta, aut paucorum audacia perterrita imperat, quamvis iuri omni divino et humano refragetur. Iura et officia non a divina lege atque e naturali rerum dispositione et ordine deducuntur; sed praepotenti plurium voluntate ceteris imponuntur, iuxta iniquissimam recentioris effati normam « iuri praevalet vis ». Haec est insana nostrorum temporum doctrina, ubique gentium civitate donata. Hac veluti lactis contagione innutrita et infecta fuit nostra haec progenies; quae, quantum coniciendo praevidere licet, diu adhuc in fatali hac insistet procedetque via. Atque utinam novae progenies sint nostra hac feliciores!

Ex hac magnum imminet periculum etiam religiosis viris;

37. Iam vero, RR. Patres Fratresque carissimi, si vera haec sunt (sunt autem verissima), nefas est periculum dissimulare, nec decet nos incautos vivere; sed necesse est nobis cavere, vigilare, omnique studio ac diligentia providere, ne tanta

doctrinarum peste inficiamur. Postquam enim instituta omnia civilia atque politica corrupit atque evertit, facile sese ad ipsa Religionum claustra convertet; quibus si semel se immiserit, omnem perturbabit religiosam vitam funditusque sustollet. Nec mirum; grassante enim lue, non imbecilli tantum infirmique valetudine periclitantur, qui plurimum omnium primi morbo corripiuntur; verum etiam sani validique viribus, cum nimium sibi confisi a contagione non praecavent. Idem autem et in hac doctrinarum contagione evenire solet. Primum enim corripit et pervertit debiles et minus sanas mentes, quae nulla aut levi severiorum studiorum consuetudine excultae, aut aliis iam erroribus labefactatae fuerunt; sed temporis successu etiam ii, qui firmiore sunt iudicio praediti, paulatim nutant labantque communi tacti morbo, qui iam latissime serpens omnium fere animos pervasit. Quid igitur tristius, quid magis insanum et funestum esse possit, quam sese in tanta clade tutum et a periculis immunem existimare, illasque cautiones neglegere, quibus tantum malum devitari possit?

quia tales errores sensim sine sensu mentes irrepere solent;

38. Pro comperto enim est, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timet; et frequentissimum initium esse calamitatis, securitatem. Experientia enim teste, istiusmodi improvidi homines primum tam absurdos errores contemptui habent; deinde cotidiana auditione paulatim assueti, conceptum

de illis horrorem remittunt atque deponunt; tum vero facile sibi persuadent, dolendos eos quidem esse, verum pro temporum condicione tolerandos ad maiora mala vitanda; ex quo sensim et leniter eo deveniunt, ut non audeant eorum mores rationemque improbare, quibuscum cotidie familiarissime atque amicissime vivunt; tandem eorum vestigia et ipsi sequuntur, eandemque rationem vita et moribus exprimunt; nil cogitantes, se, quos errores *theoretice* condemnant, illis *practice* suam vitam conformare. Quis igitur, etiam e Nostris, iure sibi polliceri possit se ab huiusmodi contagione incolumem evasurum, nisi sibi diligentissime caveat? Nonne timendum est, ne Nostrorum etiam animos commune hoc malum inficiat? ne corruptam hanc hauriamus auram, et letalis veneni semina concipiamus venis, quae sinceram genuinamque religiosae vitae rationem corrumpant?

eo magis, quod ipsa domestica educatio ad hanc libertatem informatur;

39. Hoc eo magis timendum est, quod spiritus hic libertatis, quem recentiores specioso nomine *independentiam* dicunt, verius autem licentiam dixerint, ita mentes omnium hominum occupavit, ut vel ab ipsa pueritia hac peste afflati appareant. Talis namque miserando fato esse non raro solet prima domestica educatio, ut, quo tenera illa aetate puer proterviorem se et impudentiorem exhibeat, eo ingeniosior, eo amabilior ab imprudentibus parentibus laudetur ac celebretur. Hinc, adule-

scentes facti, suo semper iudicio se regere, auctoritatem aegre ferre, praeceptorum et moderatorum dicta et facta discutere, iudicare, condemnare. Ex hoc mundo ad nos veniant necesse est, qui ad nos accedunt Societati nomen daturi.

et deinde vix umquam exuitur.

40. Quam autem difficilis res est, ut, quem a teneris unguiculis habitum contraxerunt, eum Societatem ingressi omnino deponant; ut virtute suique abnegatione veterem consuetudinem naturamque vincant; ut alia prorsus, non iam mundi, sed Evangelii sensa penitus concipiant! Ex altera autem parte, si quid mundani spiritus adhuc insideat, veteres errores eiurabunt quidem animo et mente, sed prodent factis vitaeque ratione. Quod iudicium nonne merito ferendum esset de illis, qui, religiosis votis Societati devincti, contra infinitam hanc atque intolerandam rerum omnium licentiam bellum verbis indicerent, e scholis et suggestibus vehementissime declamarent, privatis colloquiis, scriptis libris, omni denique armorum genere acerrime pugnarent; verum iidem ipsi, quam intemperantem immoderatamque libertatem verbis vituperant atque insectantur, intra domesticos parietes factis sibi vindicarent, oboedientiae iugum ductumque detrectantes, cognoscentes et disceptantes de Superiorum actis aut dictis, libere carpentes eorum iussa et praescripta, eorumque gubernationis libertati impedimenta obicientes?

Quid enim prodesset, aut docendo aut contionando asserere et tueri auctoritatem a Deo promanare, illiusque mandatis sacro inviolatoque officio obtemperandum esse, quo sine nulla humana societas possit salva consistere; si dein re et factis, in religiosae vitae ratione, Superiorem consideremus tantum ut hominem plus minusve prudentem et peritum, non vero tamquam Dei administrum et illius voluntatis nuntium; cuius proinde praescripta, non ut Dei iussa veneremur, sed tamquam humanas normas ad trutinam revocemus, et pro iudicii nostri modulo sive sequamur sive neglegamus? Haec qui ageret, nonne merito habendus esset *theoricus* liberalismi impugnator, sed eiusdem *practicus* assertor; catholicus verbis, *liberalis* facto; catholicus pro suggestu, *liberalis* domi; catholicus qua scriptor, *liberalis* qua religiosus?

At certe aliquod saltem germen timendum est.

41. Si autem haec nimis enormia et incredibilia credantur, quae umquam in Societate nostra evenire possint; at certe non est virtuti nostrae ita temere fidendum, ut aliquem saltem effrenis huius libertatis afflatum timere non debeamus. Et re quidem vera, quid, quaeso, iudicandum esset de illis qui sese minus aequos indifferentesque haberent ad omnia loca et ministeria; qui *a vita abscondita in Christo Iesu* et a sui abnegatione abhorrerent? quid, si, Superioris normas posthabentes, suo se iudicio regerent; illius prae-

scripta ad amoris proprii propensiones suasionesque accommodarent; illius voluntatem ad propriam detorquere, et ad ea quae grata sunt iubenda pertrahere conarentur? quid, si agre ferrent iussa quae ingrata sint et molesta; si votis excidentes maererent et quererentur; si desponderent animum, cum alia imponuntur munia, aut alia in illis obeundis ratio constituitur, quam quae illis arrident? Haec enim omnia quid aliud essent, nisi germina illius morbi, qui omnem circum infecit aerem, quique ipsas religiosas domos contaminare conatur?

Hic spiritus omnino discrepat a spiritu Societatis.

42. Iam vero, Patres Fratresque carissimi, si quid umquam fuit, quod Instituti nostri spiritui repugnaret, est profecto haec sentiendi et agendi ratio. Cum enim spiritus vocationis nostrae totus in humilitate fundetur, et absolutissimam oboedientiam veluti symbolum certamque sociis discernendis tesseram constituat; nullum magis implacabilem hostem nancisci potest, quam falsam hanc libertatem, quae, honesto nobilitatis nomine tantopere commendata, ubique arrogantiae et rebellionis spiritum suscitavit, lateque diffudit.

Quare ad illum avertendum S. Pater Noster praescripsit mensem Exercitiorum spiritualium;

Quapropter S. Pater Ignatius, ut pestiferam hanc luem a nostrarum domuum liminibus arceret, et omnia huius corruptelae semina e nostris animis penitus evelleret, nihil intentatum reliquit, et omnibus quae suppeterent usus est validissimis adiumentis. Eo scilicet convertit potentis-

simum illud armorum genus, quod spiritualium Exercitiorum mense continetur; vetuitque ne de statu eligendo aut de reformatione vitae ageretur, nisi prius animus, omni scelerum sorde purgata, et inordinata omni amoris sensualis et mundani appetitione composita, sese promptum sentiret ad vituperia et probra amplectenda, si Deo visum esset, ut Christum propius sequeretur. Probe autem noscens quantum ab animi demissione abhorreamus, et vanum honorem ac gloriam ambiamus, vix exactis primae hebdomadae exercitationibus et commentationibus, per reliquum mensem vires omnes curasque intendit ad difficillimam hanc superbiae arcem expugnandam atque evertendam. Huc spectant commentationes de Regno Christi, de duobus vexillis, de tribus hominum classibus, huc tres modi humilitatis, huc demum commentationes omnes de vita Christi ac potissimum de eius Passione et Morte, quas per integrum fere mensem considerationi ac meditationi nostrae proponit. Hoc enim firmissime persuasum habebat, hac expugnata eversaque arce, certam victoriam nostram futuram; integra illa et incolumi, nostros omnes conatus irritos cessuros; cum intemperans amor sui ipsius, et immoderata suae laudis gloriaeque adipiscendae cupiditas consistere nequeat cum vero sinceroque studio gloriae Dei.

Idcirco vetuit, ne in Societatem admitterentur et ne quis.

admitteretur sine proposito aut desiderio christianae abnegationis.

qui propositum huius sui abnegationis amplectendae neque conceptum haberent animo, neque saltem concipere optarent. « Interrogentur an huiusmodi desideria tam salutaria, et ad perfectionem animarum suarum tam fructuosa, in se sentiant. Quod si quis propter humanam nostram debilitatem ac miseriam in se huiusmodi tam inflammata in Domino desideria non sentiret, interrogetur an certe desiderium in se sentiat huiusmodi desideria sentiendi. » Ex. gen. Cap. IV, § 44, 45.

Oboedientiam et humilitatem voluit tamquam tesseram sociorum.

43. In Societatem autem receptos et in illa Christi stipendia merentes, facilius passus est « ab aliis religiosis Ordinibus superari ieiuniis, vigiliis, et cetera victus cultusque asperitate, quam suo quisque ritu ac disciplina sancte suscipiunt; at vera ac perfecta oboedientia, abdicationeque voluntatis atque iudicii maxime voluit esse conspicuos..., eiusdemque Societatis veram germanamque subolem hac quasi nota distingui. » Ep. de virt. Oboed. § 3. Quare de hac virtute, qua Societatis vita omnis et actio consistit et regitur, et quam veluti nativum verumque illius colorem voluit, satis ei non fuit sapientissimas in suis Constitutionibus leges statuisse; sed admirabilem illam scripsit epistolam, qua nil plenius, nil perfectius de oboedientia dici posse existimo. Quae enim ad huius virtutis doctrinam et usum pertinent, sapientia minime humana in hac epistola explicata

et praecepta sunt; ita ut quicumque veram religiosae subiectionis formam cognoscere et induere cupiunt, exquisitae prorsus prudentiae et absolutae perfectionis documenta ibidem inveniant. Quicquid enim in homine potissimum est et nobilissimum, voluntas scilicet et iudicium, totum Deo immolandum praescribit; ita ut voluntas et iudicium Superioris sit unica norma volendi et iudicandi. Quin immo omnimodam hanc intellectus submissionem adeo necessariam in obtemperando existimabat, ut affirmare non dubitaverit, eos, qui implent quidem iussa, sed iudicio dissentiunt, uno tantum pede in Societate consistere.

Et merito; quia a spiritu libertatis gravissima mala Societati timenda sunt.

44. Quae cum ita sint, quaenam esse posset sancti nostri Parentis sententia de recentiore hoc libertatis vel potius licentiae spiritu, cui sanctum et sollemne est non proprium iudicio Superioris, sed iudicium Superioris nostro, immo et Superiorem ipsum nobis submittere? Quonam tandem animo ferre posset, quicquid Superiores sentiunt et iubent, libera censura distringi; si quid forte a nostra mente dissentiat, palam vituperari et reici? Quid de Societate praesentiret? Quid illi non timeret? Avertat Deus ab amantissima matre nostra exitialem hunc spiritum, qui si umquam illam corriperet, brevi omnia pessumdaret. Qui nos ad illam divinitus vocavit, et in eadem pro sua clementia retinet, dirigitque ad beatum finem gloriae suae; ille, certo sperare fas est, hanc

urbem sanctam suique nominis appellatione nobilitatam, a taeterrimi huius hostis oppugnationibus salvam semper incolumemque servabit. Attamen, ut aperte fatear, RR. Patres Fratresque carissimi, quotiens mecum ipse cogito animoque pervolvo quam corruptum respiramus aerem, et in quot pericula communis haec contagionis lues Societatem nostram conicere posset, vehementer commoveor, metuque perculsus supplices ad caelum oculos manusque sustollo, et ex animo Deum oro, ne umquam patiatur nos a genuinis Parentis nostri sensibus desciscere, et Societatem irreparabili morti ingloriam occumbere.

Si vigeat spiritus Societatis, non multum oberunt externi hostes :

45. Non enim me maxime terrent externi hostes et externa pericula, insectationes, bonorum direptiones, exsilia, et quotquot, quicumque demum ii sint, in nostram conspirant necem. Nam si sancti conditoris spiritus integer in nobis vigeat, adeoque merito nobis polliceri possimus Dei opem, quae numquam deest illis qui sincera fide « quaerunt regnum Dei et iustitiam eius » ; haec omnia adversa nos altius firmiusque in humilitate solidabunt, et ab omni terrenarum rerum ratione respectuque spoliabunt. Testatur hoc experientia trium et amplius saeculorum, ac praesertim nostrorum temporum, cum Societas e tot regionibus in exsilium acta, domibus exturbata, bonis direpta, orbata filiis ad internecionem caesis, non modo stetit viguitque, sed etiam, quod mirum est ac paene

incredibile, ad tantum floruit incrementum, ut sese ad omnes fere terrarum orbis partes terra marique protenderit.

46. Si autem mundanus ille effrenatae libertatis spiritus ad nostra limina accederet, si inter nos serpere sineretur et crescere, si nostros inficeret animos, illamque abnegationis et oboedientiae vitam labefactaret primum ac deinde paulatim convelleret, Societas non gloriosam illam appeteret mortem, tortorum vi illatam, qua procumbunt martyres; sed intestino morbo confecta, et lenta contagionis tabe consumpta, immiserabilis periret. Relaxaretur enim artissimum illud concordiae vinculum, quo moderatores et subditi coniunguntur, et sensim abrumperetur. Mutuae caritati, quae nunc praesidium est firmissimum Societatis et praeclarum decus, succederent diffidentia, querelae, discidia, partium studia, fictus sermo et vultus, simulationes, artes, fallaciae, interposita externorum auctoritas ad Superiorum libertatem praepediendam. Haec autem omnia, quae ab illo detestabili spiritu necessario consequuntur, tam perniciosa essent et funesta, ut ipsa quaterent fundamenta aedificii Societatis, et satis essent illis, absque externis insectationibus violentisque oppugnationibus, subruendis et evertendis. Hinc manifesto colligitur, ex altera parte, cur S. Pater Ignatius tam enixe nobis commendaverit humilitatem et oboedientiam, in quibus uti spiritualis

immineret autem ruina, si mundanum libertatis et superbiae spiritum admitteremus.

singulorum vita versatur, ita sita est incolumitas et robur cuiusvis coetus religiosi, ac potissimum Societatis; ex altera parte, cur inimicus humani generis, nostra hac aetate maiore impetu quam umquam antea, omnes machinas admoveat ad hoc solidissimum humilitatis et oboedientiae fundamentum evertendum. Novit enim ipse, callidissimus rerum temporumque aestimator, non armorum strepitu et tumultu matrem nostram expugnari posse, sed fraudibus, quibus ad altam sui existimationem alliciatur.

Nec minus imminet periculum, si, de nobis ipsis modesti, de Societate superbiamus:

47. Et quoniam huc devenit oratio, sinite, quaeso RR. Patres Fratresque carissimi, me rem gravissimam animadvertere summique momenti, cuius praesens periculum sensit iam timuitque antecessor meus b. m. A. R. P. Roothaan; qui suis litteris « De amore Societatis et Instituti nostri, » ad Societatem datis die septima mensis iulii an. 1830, illos acrius reprehendit, qui commendantes humilitatem ut virtutem singulis e Societate maxime propriam et necessariam, illam tamen oblivisci videntur, cum agitur de tota simul Societate; ac si fas esset singulis absque superbiae nota de iis gloriari quae Societas ad Dei gloriam et animarum salutem gessit geritque. Nam, ut merito scribit P. Roothaan, « quod singulis turpe » foret, et crimini vertendum coram Deo, id si » Societatis nomine in animum quis suscipiat, » legitimum esse, amorem esse Societatis, qui-

» nam sibi persuadere umquam possit? Si Eccle-
» siam Christi, *pusilli gregis* nomine ab ipso desi-
» gnatam Venerabilis Beda ideo existimat, quod
» ipsam « quantalibet numerositate iam dilata-
» tam, tamen usque ad finem mundi humilitate
» vult cresecre, et ad promissum regnum humi-
» litate pervenire; » quanto magis cuivis congre-
» gationi, quae ipsius Ecclesiae pars exigua est,
» competit huiusmodi sensus fovere? De Socie-
» tate vero nostra quid dicam? Sanctus quidem
» Parens noster illam semper appellare *minimam*
» consueverat. Ipsa, cum tota sit in Christi ducis
» sui humilitate sectanda, iis a Parente suo insti-
» tuta est documentis, iis praesidiis munita, ut a
» mundi gloria, ab honoribus etiam sacris, non
» abstinere modo, sed etiam abhorrere sese pro-
» fiteatur. Eius primi Patres, quales et quanti
» viri, quantique apud Deum et homines meriti,
» vaticinia quaedam a sanctis quibusdam viris
» edita cum passim a vulgo sibi applicari audi-
» rent, numquam in animum induxerunt ut de
» se tam praeclara, tam honorifica intellegi posse
» crederent. Quo plura ab ipsis et insigniora redun-
» dabant in rem publicam christianam commoda,
» eo sibi magis ingeminabant illa Evangelii verba :
» « servi inutiles sumus ; quod debuimus facere,
» fecimus. » An vero nunc, cum pauperes facti
» sumus nimis, et numero pauci, et meritis pro-
» fecto Patribus illis nostris tanto intervallo

» minores, poterit quisquam sensus fovere altos,
» nec timere, ne suo vitio Societas universa humi-
» lietur, cum vera semper maneat sententia aeter-
» nae Veritatis : « omnis, qui se exaltat, humi-
» liabitur ? » Aut quisquam existimabit, ubi de
» aliqua societate hominum agatur, oppositam sen-
» tentiam veram fore, ut scilicet quo se illa magis
» exaltaverit, eo sit a Deo muneribus et gratiis
» copiosioribus exaltanda ? Ego vero timeo, ne,
» si qui forte sint inter nostros, qui Societatis,
» quam dicunt, gloriam maxime loquantur, glo-
» riam Societatis unice praedicent ; de his timeo,
» inquam, ne similes fere sint quorundam, qui
» in mundo generis quidem sui nobilitatem iac-
» tant, sed ipsi degeneres maiorum suorum merita
» minime omnium aemulantur. Ita quidem inter-
» dum videre est quosdam, qui coetus, ad quem
» pertinent, laudes mirifice extollant ; at maiorum
» suorum meritis divites satis atque abunde sese
» existimantes, nihil iis addere ipsi de suo cogi-
» tant, immo sibi licere, ob merita maiorum,
» vitam degere fere inertem atque otiosam arbi-
» trantur. »

aut ob falsum illius amorem sectemur speciosa in oculis mundi.

48. Haec in citata epistola P. Roothaan bonae memoriae ; qui doctrinam hanc latius explanans ita deinde prosequitur :

« Cui errori affinis est alter, quo quidam,
» amore, ut existimant, Societatis ducti, ea sec-
» tanda praecipue putant, quae plurimum habeant

» speciositatis; quae hominum scilicet, litteratorum
» praesertim, plausus excitent ac mundo cele-
» bres reddere nostros homines queant. Videntur
» illi scilicet matri suae illud suadere velle, quod
» olim Salvatori vani quidam homines ingere-
» bant : « Ostende te, ostende te mundo. » Hi
» profecto, vereor, ne specie fallaci capti non
» tam *esse* velint nos aliquid, *quam videri* : et
» umbram veritati, famam rebus bene gestis,
» denique splendorem, nescio quem, verae utili-
» tati reique publicae anteponant. Vivimus qui-
» dem tempora, quibus, quae colore quodam
» splendent, a multis unice extolluntur, ac fere
» maioris fiunt quam vera in hominum salutem
» obsequia. Sed, si qua in re necesse nos est
» etiam tempori servire, ne nostra ministeria
» fastidiantur; absit tamen, ut quicquid est vanae
» ostentationis, sive in litterarum cultura, sive
» in Dei verbo praedicando, sive in aliis nostrae
» vocationis muneribus, adamemus. Nimium dis-
» crepat ista vanitas a spiritu Societatis, quae
» tota in proximorum utilitate ad Dei gloriam
» procuranda versatur; non in quaerenda humana
» gloria, quae, ubi bene factis parta non sit,
» fallax ac fucata est, ac tandem in ignominiam
» vertitur. Patres certe nostri, si gloriam homi-
» num etiam assecuti sunt, praeclaris eam me-
» ritis, non hoc agentes, consecuti sunt. Haec nos
» aemulari, haec quaerere decet. Quicquid vero

» est honoris et nominis, tum demum erit So-
» cietate nostra dignum, si iuxta nostrae voca-
» tionis spiritum omni hominum generi vere pro-
» desse, et non vulgaris virtutis exemplo, et
» doctrina solida, et nostri Instituti ministeriis
» conabimur; ut qualiscumque illa gloriae umbra
» res a nobis bene gestas sequatur, non illam
» umbram vanam nos ipsi sectemur. »

Quare in omnibus, et interioribus et exterioribus, humilitas exhibenda est.

49. RR. Patres Fratresque carissimi, si gravissima haec Patris Roothaan verba, iam inde a trigesimo huius saeculi anno prolata, semper et ubique prae oculis habuissemus, aliquot post annos minime necessarium duxisset A. R. P. Beckx modestiam et religiosam simplicitatem in aedificiis extruendis commendare. Atque utinam nostris etiam diebus verba haec oblivioni non essent tradita ab iis qui, nescio qua cupidine allecti, ut in ora hominum veniant, hoc sibi persuasum habere videntur : nunc temporis non posse salutem animarum agi, neque ministerium verbi Dei praedicandi exerceri, neque collegia stare ac vigere, neque studia florere, nisi per ephemerides, per publicas recensiones, per ornatissimos agendorum conspectus omnibus innotescant et quaquaversus divulgentur, non modo ea omnia quae ipsi aggrediuntur, sed etiam, quod tristius est et magis dolendum, aliqua quae pertinent ad domesticam ipsius Societatis administrationem et gubernationem. Quis enim in his omnibus callidissimas

et maxime periculosas daemonis fraudes non agnoscat?

Verus Societatis amor consistit regularum custodia et impenso studio nostri finis assequendi.

50. Verus ac genuinus in Societatem amor, RR. Patres Fratresque carissimi, in eo situs est, ut illi non vanam ac fugacem, sed veram immortalemque gloriam pariamus. Vera autem et immortalis gloria est, cum singulorum hominum, tum ipsarum societatum non plausus emendicare, sed illis dignari; non laudes consequi, sed mereri. Illi ergo Societatem nostram sincera pietate complectuntur, qui totis viribus omnique ope enituntur, ut illa, Dei consiliis et voluntatibus fideliter obsecundans, ad altissimum eum finem, in quem instituta est, citato cursu indefessoque studio contendat. Hoc autem eo plenius et perfectius assequentur, quo simpliciore animo et sinceriore proposito ab humanis laudibus abhorrentes, conabuntur in ministeriis nostris, in sacris expeditionibus, e suggestu et pro sacro tribunali, in templo et in schola, assidua illa sui abnegatione impensoque divinae gloriae et hominum salutis studio, ex quibus veluti sanguinem et vitam haurire debent, sese omnibus commendare.

Ita illum senserunt S. Pater Noster, et omnes Sancti ac Beati fratres nostri.

51. Hunc profecto genuinum in Societatem amorem, hanc veram illius gloriam senserunt sanctus Pater noster et quotquot e nostris maioribus, illius vestigia secuti, sese amantissimos Societatis filios probaverunt. Haec senserunt sancti nostri fratres, Apostolorum aemuli atque imitatores,

strenui Fidei assertores, et immensum illud praeclarissimorum virorum agmen, qui, admirabili devotione capitis sui, omnes fere terrarum plagas sudoribus fecundarunt, effusoque sanguine irrigarunt. Ita denique, ut vela colligam et longae huius epistolae finem faciam, censuerunt tres illi nobilissimi Societatis filii, tribus hisce postremis annis Beatorum honoribus aucti, Rodulphus Aquaviva eiusque martyrii Socii, Antonius Baldinucci et Bernardinus Realino. Pervolvite historias et revocate in mentem gloriosam eorum vitam; quae tota testabitur, illos Societatem adamasse et ad tantum verae gloriae fastigium evexisse, non iactantia, non vano apparatu, non tubarum clangore; sed assiduo impensoque conatu, ut, quamcumque possent, opem ferrent Societati ad altissimum finem divinae gloriae et animarum salutis, illi commissum, assequendum.

Praeclarum exemplum Beatorum Rodulphi Aquaviva,

52. In hunc finem Beatus Aquaviva valedixit avitis aedibus, paternas opes despexit, honores contempsit quibus eum mundus alliciebat, navemque conscendens Indiam versus, illic barbaras inter gentes, innumeris exantlatis laboribus et Christi Fide, quam nuntiaverat, sanguine obsignata, matrem suam nova martyris corona redimivit. Neque dissimilem viam in matre sua honoranda eius quattuor socii tenuerunt, adeoque iure ac merito iisdem etiam honoribus ab Ecclesia aucti sunt.

Antonii Baldinucci,

In hunc finem Beatus Baldinucci, post exactum iuventutis florem mira vitae integritate ac sanctimonia, postquam domi absoluta nostrarum legum custodia sese perfectum religiosae perfectionis exemplar ceteris praebuerat, sacris expeditionibus se totum addixit et omnem vitae rationem oppidanis et ruricolis excolendis devovit; nec tamen umquam ab Instituti nostri praescriptis vel unguem recessit, vana causatus impedimenta, aut spe deceptus maioris fructus. Immo vero, quo tutius daemonis insidias eluderet, maioremque suis laboribus efficaciam a Deo impetraret, per annos amplius viginti, quibus sacro hoc ministerio functus est, nihil sine superiorum consilio et ductu moliebatur, a sui spiritus moderatoris nutu in omnibus pendebat, et regulas nostras, etiam minimas, non modo quo tempore ad integrandas vires sese domum recipiebat, sed etiam cum oppida pagosque peragraret, summa semper religione servavit, incredibili domesticorum et alienorum admiratione.

et Benardini Realino imitandom proponitur.

In hunc denique finem Beatus Realinus, totam fere vitam domesticis inclusus parietibus in lyciensi collegio, sive sacris ministrandis, sive verbi Dei praedicatione, sive doctrina et consilio, sive solandis aegris, sive corporibus iuvandis, mirum est quot iniverit industriae modos, quibus ad Deum aberrantes revocaret, labantes confirmaret, pios denique ad omnem vitae sanctitatem excitaret ac proveheret. Quaenam illi umquam, non dicam otia, sed solacia

aut etiam honestae a suis laboribus relaxationes? Nempe tantum afuit ut vel exiguam temporis partem aut nugis aut vanis libellis legendis concederet, ut eam ipsam honestissimam propensionem qua ad politiorum litterarum cultum natura ferebatur, generose propter Deum continuerit; et corporis castigationibus tempus illud expiaverit, quo antea amoenioribus studiis aut minus utilibus indulserat. Ita factum est, ut actuosae impigraeque vitae, qualis decet Societatis filios, tam praeclarum exemplum imitandum relinqueret.

Utinam, RR. Patres Fratresque carissimi, eorum exempla, nostris animis penitus insculpta, et nostris semper subiecta oculis, totam vitae nostrae, sive apostolicae sive domesticae, rationem moderentur! Utinam tutela eorum, quos fratres nostros nostrumque decus veneramur, et validissimum Deiparae Virginis praesidium, cuius festo die has litteras datas volui, sint nobis fons uberrimus divinorum munerum, quibus suffulti nos genuinos Societatis filios praebeamus, et « digne ambulemus vocatione, qua vocati sumus, cum omni humilitate... solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis! » Eph. IV. 1.

SS. SS. et precibus me enixe commendo.

Romae, die festo SS. Rosarii B. M. V.
4 octob. an. 1896.

Vestrum omnium Servus in Christo
LUDOVICUS MARTIN, S. I.

EPISTOLA

R. P. N. LUDOVICI MARTIN

AD PP. PROVINCIALES S. I.

QUO STUDIO TRADENDA SINT EXERCITIA SPIRITUALIA S. P. N. IGNATII

Reverende in Christo Pater,

P. C.

Una cum hac epistola perferri iussi ad R^m^ V^m^ Apostolicas Litteras, quibus Sanctissimus Dominus Leo P. P. XIII spiritualia beati parentis et conditoris nostri Exercitia praeclaris cumulat laudibus; amplissimisque paternae caritatis significationibus prosequitur Provincias illas, quae domos statuerunt, quo pluries per annum in sacrum Exercitiorum secessum christianos operarios reciperent. Quae Summi Pontificis litterae tantae per se sunt auctoritatis et ponderis, ut abs re foret alia nostris incitamenta addere, ut ceterae etiam Provinciae earum exempla imitentur, et huiusmodi Exercitiorum domos pro viribus excitandas curent.

Hanc potius occasionem nactus, nostris omnibus enixe commendatum volo, ut diligenter considerent quantopere intersit divino hoc Exercitiorum adiumento apte sapienterque uti, ut ex iis egregii illi referantur fructus, quos pene incredibiles maiores nostri se numquam non collegisse gratulati sunt. Sunt enim haec domestica Societatis arma, Ignatio conditori divinitus suppeditata, et Societati nostrae proprio singularique dono demandata, ut duplicem finem suum certa invictaque vi consequeretur. Verum, ut miram eorum efficaciam et in nostrum et in aliorum bonum experiamur, oportet ut haec arma ea peritia et arte tractentur, qua Ignatius pater tractanda transmisit. Nec enim nos contentos esse decet, si Exercitiorum magisterium interdum leviter attigerimus, ac summis veluti labiis degustaverimus; nec satis est in sacris recessibus divini illius libri ductum auspiciumque veluti ex longinquo sequi. Sed necesse est Exercitiorum librum summo studio persequi, perpendere, meditari; altissima verborum sensa evolvere ac penitus pervadere; communem ac supremum omnium Exercitiorum finem, proprium cuiusque hebdomadae, immo etiam suum cuiusque singularis exercitationis pernoscere; intimam, quae cuique meditationi inest, vim assequi; perspectas habere causas, quibus potissimum affectus movendi et pertrahenda est voluntas ad finem propositum;

perscrutari nexum, quo veritates omnes tam arte inter se coniunguntur, ut una ab altera dependeat, omnesque sese invicem suffulciant et communiant; nihil praetermittere aut parvi facere ex additionibus, annotationibus ceterisque documentis, quorum mira est vis ad Exercitiorum fructum plenius certiusque assequendum; omnes denique divinae istius aurariae latebras explorare et rimari; in qua, quo maiores divitias effoderis, tanto ditiores deteges thesauros. Ad haec necesse est in sacris recessibus Ignatium ducem tanta fide ac fidelitate sequi, ut ab eius ratione, ordine, sensis ac, paene dixerim, verbis recedere religioni ducam.

Quae quidem omnia studium postulant diuturnum, impensum, indefessum; adeoque passim Institutum nostrum hortatur, ut, qui tradituri sunt Exercitia, sint homines rerum spiritualium usu apprime perspecti; eadem Exercitia ipsi primum usu gustuque probaverint; in iis scite periteque tradendis sollerter exerceantur; totum Exercitiorum librum diu ac mature perlegerint atque expenderint, immo illum saepe legant et prae manibus habeant; res conferant cum aliis peritis; nihil denique intentatum relinquant, ut Exercitia ipa sibi velut in succum et sanguinem convertant.

Si Nostri diligenti huic studio impensa voluntate se dedant, ita ut sacro Exercitiorum igne cor-

ripiantur, non amplius dolere erit quod hucusque non raro doluimus, eos, qui sacros recessus moderantur, pias quidem commentationes pervolvere, ac spirituales quasdam exercitationes proponere, nec eas sane fructu destitutas, minime vero Spiritualia Exercitia sancti Ignatii, et cum eximiis illis vitae emendationis et sanctitatis fructibus, qui apud maiores nostros ex Exercitiis semper consequi consueverunt. Meminerint, quaeso, Patres, beatum Parentem nostrum, qui humilitate ac modestia in primis enitebat, et de se ac suis omnibus tam demisse sentiebat et loquebatur, nihilo minus in sua epistola ad Emmanuelem Miona affirmare non dubitasse, Exercitia Spiritualia esse id, quod in hac vita cogitari posset optimum tum ad propriam perfectionem incitato cursu provehendam, tum ad alios multos sive e vitiis retrahendos, sive ad virtutem omnem absolutamque perfectionem adducendos.

Commendo me Sanctis Sacrificiis

R^ae V^ae

Servus in Christo

Ludovicus Martin, S. J.

Romae, die 1 martii 1900.

EPISTOLA

R. P. N. LUDOVICI MARTIN

AD PP. PROVINCIALES S. I.

GRAVISSIMI MORBI SUI OCCASIONE MISSA

Reverende in Christo Pater,

P. C.

Quartus iam, Reverendi Patres Fratresque carissimi, praeterlapsus est mensis, ex quo Deus dignatus est me gravissimo morbo visitare. Quicquid scientia et ars medica praecipiebant, etiam iuxta recentissima inventa, ut pristinam sanitatem recuperarem, nulla sumptuum ac laborum ratione habita, Patres Assistentes pro eximia sua caritate experiri ac periclitari voluerunt.

Nec praetermissa sunt divina adiumenta, ad quae immo vel ab ipso morbi exordio in primis confugimus. Etenim, iis humiliter omissis quae summorum virorum caritas pro me immerito facere dignata est, in universa Societate nostri certatim

omnes, et undique etiam externi, non modo privatim piae sanctaeque animae, sed etiam coniuncte integrae sodalitates et totae simul religiosae Congregationes, sacra, preces, corporis afflictationes, pia opera, ardua saepe promissa, quibus omnibus me plane indignum sentio, singulari caritate Deo obtulerunt. Quos omnes Deus largissime, precor, pro sua munificentia rependat.

Hactenus tamen haud visum est Deo tot preces pro votis implere. Pluries enim rati sumus, vim morbi edomitam fuisse, quae tamen novo semper impetu saevior erupit. Quo eo tandem adactus sum, ut ad reliqui corporis incolumitatem non certa quidem sed bona spe servandam dexterum amputari brachium pati debuerim. Mihi quidem ad omnia parato praesentissima uberrimaque ope, qua Deus quattuor his mensibus mihi benignissime affuit, multo fuisset optatius, ut divinus noster Medicus ac Redemptor me ex humanis hisce miseriis eripuisset, secumque recepisset. Nihilo minus Patrum Assistentium consiliis obsecutus, statui ad Sacratissimum Cor Iesu confugere, ab eoque sanitatem postulare, si haec ad maiorem ipsius gloriam et ad Societatis bonum conferre debeat. Quare, non praecipientis sed precantis more, Patres omnes ac Fratres Societatis rogo, ut ad hoc beneficium a Deo impetrandum, initio facto a prima feria sexta proximi mensis iunii, novem continenter primas sextas mensium ferias Sacratissimo Cordi Iesu sin-

gulari cultu ac pietate dicent; et singulis his diebus Patres omnes sacrum faciant. Fratres autem, sive scholastici sive adiutores, sacra de altari libent. Ne autem novendialis haec supplicatio familiares angustias, quibus aliquae domus premuntur, augere videatur, prima sexta feria cuiusque mensis sacrum illud in hunc finem offerri poterit, quod sacerdotes omnes ad mentem Praepositi Generalis pro nostris institutis per hebdomadam offerre consueverunt. Maxime autem mihi est in votis, ut apud Sacratissimum Cor Iesu beatissima in primis ipsius Mater, tum etiam servus Dei venerabilis Pater Claudius de la Colombière deprecatores asciscantur. Nec immerito sperandum est, Deum, tanta oblectatum concordia ac pietate vestra, communia vota auditurum.

Si vero Ipse, cui uni quid nobis magis expediat compertum est, aliter de me constituerit, et fortasse nunc extremum omnes simul vos alloquar, Patres Fratresque carissimi, hac utar opportunitate duo vobis, quae premit animus, aperiendi.

Ac primum iucundum est palam profiteri Societati universae, quam probata mihi fuerit et accepta facilitas, observantia, oboedientia, quam mihi duodecim amplius his gubernationis meae annis semper praebuit, quaeque mihi gravissimum hoc onus tolerabilius reddidit, testari ob tot eximiae caritatis significationes, quas mihi potissimum toto hoc aegritudinis meae tempore exhibuistis tum crebris

praesentium visitationibus, tum cupide exquisitis acceptisque nuntiis, tum effusis precibus, tum sollicitis votis ad Deum exorandum. Quae quidem, cum mihi morbi curas ac molestias mirum in modum leniverunt, et maximum, quo in hac vita frui liceat, solacium attulerunt; tum vobis ipsis et Societati nostrae carissimae maiorem semper a Deo gratiam demerebunt.

Alterum vero hoc est, quod exopto. Sicut Deus hac morbi occasione pientissimo consilio effecit, ut in Societate nostra mutua subditorum unio cum capite manifestissime eniteret, singularemque in modum proveheretur; ita eadem occasione bonus efficiat, ut eum summo capite bonoque nostro Iesu Christo penitius firmiusque coniungamur. Omni igitur studio vos omnes hortor atque obsecro, ut Redemptoris nostri vitae, passioni, morti, ac resurrectioni diligentissime commentandis vos totos dedatis; et ut omnia vel minima ipsius opera et dicta, divinamque eius doctrinam intime scrutemini ac evolvatis, cuiusmodi nobis a sanctis quattuor Evangeliorum scriptoribus atque ab Apostolis tradita sunt, et iuxta methodum, quam sanctus parens noster Ignatius in spiritualibus Exercitiis divino afflatu nos edocuit. Assidua hac meditatione contendant omnes ad maiorem in dies cognitionem Christi pervenire, per cognitionem ad amorem, per amorem ad virtutum imitationem, quarum Servator noster exemplum reliquit. Haec meditatio incitamento erit

ad fortia quaeque facienda et patienda, quae conferre possint ad aeternam proximorum salutem promovendam, ad Ecclesiae catholicae fines dilatandos, ad Sedis Apostolicae auctoritatem strenue tutandam, ad Dei creatoris et Domini nostri laudem et gloriam totis viribus amplificandam. Quae omnia ut certius pleniusque assequamini, vos omnes oro obtestorque, ut industrias viresque vestras eo potissimum convertatis, ut christifideles ad Sacratissimum Cor Iesu pertrahantur omnes : nihilque omittatis, quo huius amantissimi Cordis notitia, amor et imitatio eorum animis alte firmiterque inserantur.

Vobis omnibus imo ex animo benedico, et commendo me SS. SS.

Romae, die Doloribus B. M. V. sacra, 1905.

R^ae V^ae
Servus in Christo
Ludovicus Martin, S. I.

INDEX

IN QUATTUOR TOMOS EPISTOLARUM

PRAEPOSITORUM GENERALIUM

SOCIETATIS IESU

DUPLEX,

QUORUM PRIOR EPISTOLARUM SUMMARIUM,

POSTERIOR RERUM CONTENTARUM

ALPHABETICAM SERIEM

EXHIBET

I. SUMMARIUM EPISTOLARUM

EPISTOLAE S. P. N. IGNATII

I. AD SCHOLASTICOS FF. COLL. CONIMBRICENSIS, 7 maii 1547

De religiosa perfectione et zelo animarum

(Tom. I, pp. 1-18.)

1. Gaudet de fratrum fervore in spiritu, et hortatur ut perseverent.
2. Id in primis suadet tota ratio praecelsae vocationis nostrae.
3. Cui vocationi ut digne respondeatur, opus est magna diligentia.

4-5. Qui spiritu fervent, soli obtinent pacem, virtutes, coronam iustitiae, eo pretiosiorem quo sublimior finis vocationis nostrae.

6-7. Ut Deo intime obstringamur, sua nos movent multiplicia dona; Christus sua nos urget caritate; nos invitat sors hominum in discrimine salutis versantium.

8. Porro studium perfectionis discretum sit et rationabile.
9. Quae regula si deest, multa timentur incommoda. Defectum autem discretionis suppleat oboedientia.
10. Ad normam igitur discretionis et oboedientiae componant se omnes : gaudentes quod iam multis modis iuvare possint proximum. De his non plura. Deus autem suam omnibus gratiam conferat.

II. AD SCHOLASTICOS COLL. GANDIENSIS, 29 iulii 1547

De perfecta oboedientia praecipue erga superiores immediatos

(Tom. I, pp. 18-31.)

1. Quoniam Superiores constituendi fuerunt, ubivis nostri numero coaluerint, videntur etiam praeficiendi collegiis Gandiae et Valentiae.
2. Consilium praeponendi Superiores suadetur exemplo omnium gentium. Et imprimis exemplo Christi parentibus subditi, exemplo B. Mariae Virginis, et exemplo Petri ab ipso Christo coetui apostolico praepositi.
3. Ita etiam coetibus christianorum semper praefecti antistites.
4. Idem suadetur ex praestantia oboedientiae, quae melior est quam victimae, quae mater virtutum dicitur, et reddit Deum propitium.
5. Oboedientia ab erroribus nos liberat, in tentationibus praebet victoriam, habet speciem praeclari martyrii.
6. Vir oboediens expedite et magno merito terit viam virtutis, magno caelestis patriae oblectatione demulcetur, et artissime Deo summe bono adhaeret.

7-8. Institutio Superiorum necessaria est ut serventur coetus religiosi, ut bene gubernentur, ut graviore onere levetur Praepositus generalis, et speciatim ut singuli oboedientiam, ut oportet, exerceant. Qua oboedientia nihil magis in Societate omnibus necessarium est, etiam Superioribus.

9. Porro Superiores observantia colendi ut Christi vicarii.
10. Ex dictis comprobatur quid de oboedientiae studio sentiendum sit.

III. AD PP. FF. QUI SUNT IN LUSITANIA, 26 martii 1553

De oboedientiae virtute

(Tom. I, pp. 32-47.)

1. Gaudet de studio quo Fratres enituntur ad virtutem.
2. Optat ut oboedientiae imprimis se dedant.
3. Oboedientia sint omnes conspicui, et hac nota distinguantur.
4. Hinc, iuxta Apostolum, summa cum religione omnes oboediant exsecutione.

5-8. Oboediant et voluntate, qui alter est gradus oboedientiae, amplectentes voluntatem superioris etiam in spiritualibus, suam autem voluntatem omnino deponentes, nec voluntatem Superioris ad suam detorquentes.

9. Submittant etiam iudicium, qui summus est gradus oboedientiae.

10-12. Quae oboedientia iudicii religiosis maxime est necessaria, ne intellegentia fallatur, quod constat exemplo rerum humanarum, ut perseveret oboedientia voluntatis et exsecutionis, ut attingatur oboedientiae perfectio, et retineatur pax animi.

13. Ad hanc oboedientiam hortatur Apostolus.
14. Haec eadem perfecta est et grata Domino.
15. Ad oboedientiam iudicii pervenitur humilitate et mansuetudine.

16-18. Praeterea tria iuvabunt. Primum, intueri Christum in superioribus; alterum, defendere ex animo quae mandat superior; tertium, secum statuere praecepta superioris esse praecepta Dei. Quod genus oboedientiae quandoque miraculis comprobatur.

19. Hinc tamen non vetamur aperire quandoque sententiam nostram Superiori.

20. Quae de oboedientia dicta sunt, ab omnibus in Societate sunt observanda.
21. Omnes denique ad eam virtutem toto pectore incumbant.

EPISTOLA R. P. N. JACOBI LAYNEZ

AD PP. ET FF. QUI SUNT IN INDIA, 12 decemb. 1558

De magnitudine suscepti operis et conservatione spiritus

(Tom. I, pp. 48-54.)

1. In signum amoris, et ad suam ipsius consolationem has conscribit litteras.

2-4. Magno beneficio dignantur, quos vocat Deus ad Indicam missionem, tum propter excellentiam suscepti operis, tum ob praerogativam in tam sublime opus incumbentium.

5. Hinc multos hic tenet ardens desiderium huius missionis.
6. Qui in hac missione vivunt solidas sectentur virtutes, ut utilia evadant Divinae manus instrumenta.
7. Zelo tamen nimio vires corporis ne frangant, et pia sollicitudine interiorem spiritum conservent.
8. Hinc caute ambulent inter gentes perversas, timore Dei et amore, ac cotidiana recollectione animi cetera supplentes.
9. Quotannis per dies aliquot singuli se renovent in spiritu, et iugiter a superioribus duci se sinant.

EPISTOLA S. P. N. FRANCISCI BORGIAE

AD PP. ET FF. PROVINCIAE AQUITANIAE, mens. april. 1569

De mediis conservandi spiritum Societatis

(Tom. I, pp. 54-73.)

1. Gaudet de singulari providentia Dei in Societatem. Hinc ait gratias agendas Deo, et magna cura vigilandum.

2. Ad conservationem Societatis quaedam praemonenda sunt : serventur constitutiones in admittendis hominibus.
3. Qui admittuntur, in noviciatu sedulo probentur.
4. Tempus hoc probationis utiliter impenditur : immo necessarium est ad probandas et confirmandas vires.
5. Hinc Noviciatus bene dicitur Bethleem seu domus panis. Qui illo cito solvi expetunt, graviter periclitantur in studiis, licet haec studia et sapienter admittantur, et spiritui bene consonent.
6. Vae igitur illi qui in virtute debilis studia aggreditur : plurima damna experietur, et multis modis nocebit Societati.
7. Ne talis, ad studia litterarum non idoneus, ad Professionem admittatur, serventur constitutiones de iunioribus. Et in earum observationem omnes incumbant.
8. Serventur in primis ea quae dicit S. P. N. de studio virtutum. Quae si non adhibeantur multa mala subsequentur religiosis ordinibus. His autem malis praeclarum remedium est crux Salvatoris, nos coniungens Deo.
9. Oboedientia servetur iuxta epistolam S. P. N. Ignatii.
10. Paupertas, quae est murus Religionum, etiam sedulo curanda. Hinc tamen non vetamur honeste iuvare egentiores domos.

11-12. Meminerint etiam omnes se per vota mortuos esse in Christo. Quam mortem nonnulla signa testantur, in primis sancta simplicitas et vera humilitas in correctionibus.

13-14. Haec autem mortificatio voluntatis requiritur in legitimo filio Societatis. Qui voluntatem non mortificant gravia damna afferunt sibi et Societati, nube quasi velantes praesentiam Divini conspectus. Studiose igitur incumbant in hanc cordis mortificationem, ut cum Christo torcular calcent.

15. Omnes tandem agant semper iuxta sublimem vocationem suam. Utinam etiam multi fiant huius vocationis participes!
16. Orat ut omnes ipsum commendent Deo.

EPISTOLAE R. P. N. CLAUDII AQUAVIVAE

I. AD SUPERIORES SOCIETATIS, 28 iunii 1581

De eiusdem Societatis felici progressu

(Tom. I, pp. 74-116.)

1. Suscepto generalatu dolet de facta mutatione in se; nec potest consolari nisi in Deo, qui iugiter recturus est Societatem. Iuvabit hic referre quae Societati imprimis profutura sunt.
2. Primum : Superiores intellegant sibi demandari curam Societatis, quae est exercitus filiorum Dei. Subditos ad perfectionem instituant, studendo magis amari quam metui.
3. In superioribus id exigit Apostolus, et S. Ignatius ex doctrina Christi et Patrum. Id etiam suadetur ex natura officii.
4. Alterum : Superiores sollicite curent mentalem orationem, quae singulis in Societate necessaria est, ut edoment passiones et in virtutibus proficiant; ut fructuose agant cum proximo, ipsique ferant spirituale auxilium; et ut ferant quae pro salute animarum toleranda sint incommoda.
5. Hanc orationem requiri specialiter in Societate, docet S. P. N. verbo et exemplo. Et ostenditur ex ipsa forma Societatis. Totam etiam nostrorum vitam occupare debet.
6. Tertium : Curent Superiores bene servari regulas, in quibus elucet voluntas Dei; nec quisquam eas violet, causans quod non magni momenti videantur : quin potius omnes per eas exsequantur fortiter voluntatem Dei.
7. Ex cuius fortitudinis defectu plurima oriuntur mala; et grave videtur, quod tamen suave est iugum Dei.
8. Et revera pax multa est observantibus regulas, cum spiritu oboedientiae ducuntur. Qui ex hoc spiritu servant regulas,

velut Societatis fabricam aedificant et pretiosis lapidibus exornant.

9-10. Iidem student perfectioni, promovent unionem, conservant Societatem. Hoc tamen non fit sine labore. Servandis igitur regulis sedulo invigilent Superiores, confisi Deum adiuturum esse pusillanimes per gratiam vocationis. Quod quidem miramur in noviciis, et adumbratum videmus per parabolam figuli. Hinc animosius invigilent Superiores, tollentes impedimenta, praecipue negotia secularia.

11-12. Ne autem in his fallantur, duo extrema vitanda sunt Superioribus. Alterum, ne subditorum nimium coniveant erratis : quo graviter nocerent Societati, et ipsis etiam subditis; ut manifeste docent Ecclesiae Sancti Patres, et S. P. N. Ignatius. Alterum, ne asperiores et graviores sint : qua asperitate tollitur in subditis reverentia et fiducia.

13. Duae sunt rationes gubernandi : altera politica et humana, altera religiosa et spiritualis. Prior sedulo vitanda, quia gravis Superioribus, ingrata subditis et inimica Societati est. Posterior omni ope in Societate retinenda et colenda est; siquidem, ut eam S. Ignatius et exemplis docuit et in Constitutionibus tradidit, ita omnibus nostris futura est utilior et iucundior.

14. Quartum : Curent Superiores ut nostri inter se et cum proximis bene sint dispositi; quod S. P. N. pluries commendat. Proin Superiores non ferant dissensiones nec sinistre dicta de nationibus, nec murmurationes, nec ulla semina zizaniorum.

15. Memores sint omnes testamenti D. N. Iesu Christi, singuli singulorum onera portantes, et privatas amicitias fugientes.

16-17. Etiam bene perpendant verba Apostoli (Phil. II, 1). Unde disponant ministeria sacra, docentes doctrinam christianam, confessione iuvantes qui maiore necessitate premuntur; contionando servent modum Societatis non adulterantes verbum Dei.

18. Deputandi ad contiones qui in spiritu et fructuose hoc munus obeant; ad missiones vero mittantur qui populos exemplo et doctrina aedificent.
19. Cum tantae sint dotes Superiorum, se omnium precibus commendat, ut eas obtineat.

II. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 29 sept. 1583

De renovatione spiritus

(Tom. I, pp. 117-148.)

1. Spiritus renovatio nobis nunc specialiter necessaria, quia multae regiones albae sunt ad messem : de qua renovatione ordinate hic agendum.
2. Quid sit renovatio intellegitur ex eo quod inveteratur in nobis, ut pluribus argumentis declaratur.
3. Huius inveterationis causa interior vetus homo dicitur. Renovatio spiritus est veteris hominis reformatio ad exemplar Christi. Haec reformatio cotidie inchoanda est, et magni est momenti :

4-5. Quia perfectio nobis consectanda est; quia in salutem proximorum nobis incumbendum; quia fervor facile refrigescit et usu veterascit : ex qua refrigeratione nascitur tepor spiritus, et ex tepore animae ruina et damnum.

6-7. Teporis causae plurimae et intestinae; quae magis timendae videntur, quam ipsius daemonis astutia et odium.

8-9. Hinc nostri assidue frangant animi motus nimios, qui in nostro vitae genere se facilius producunt; cotidie spiritu renoventur, cum in salutem animarum incumbant.

10. Omnes igitur in Societate sibi sollicite attendant, iuxta ea quae habet Basilius.
11. Ad renovationem spiritus remedia. Primum : cogitare de eius necessitate : quare iuvabit perpetuo inspicere quid nobis desit, quantum distemus a meta.

12-13. Alterum : cogitare quantis beneficiis Deo obstringamur; propter quae iugiter urgenda sit renovatio spiritus : et revera quis non moveatur, qui ea beneficia recogitet? Quis totum se Deo non tradat?

14. Quae si non obtinentur, anima merito sterilis, avara et ingrata dicetur; et quidem eo rectius, quo minus umquam poterit respondere amori Dei.

15. Tertium : meminisse brevem esse huius vitae cursum.

16. Quartum : sese cito accingere ad colligendas res quibus caremus : quia sicut artes et divitiae, ita virtutes exercitio acquiruntur. Unde lucri spiritualis occasiones non dimittamus.

17. Quintum : cavere ne lapsu temporis corrumpantur actiones. Quae humilitatis praesidio custodiendae sunt usque in finem. Et ita in renovanda vita perpetuo versemur.

18. A renovando spiritu infirmitates nos non terreant; spes in Deum nos erigat.

19. Ut autem ardentius renovetur spiritus, indulsit Greg. XIII Iubilaeum toti Societati; quo sedulo perfruantur universi.

III. AD PP. ET FF. SOCIETATIS, 19 maii 1586

De studio perfectionis et caritate fraterna

(Tom. I, pp. 149-183.)

1. Iugi sollertia enitendum est ad perfectionem, cum ab ea iugiter retrahamur, et semper veteris erroris aliquid in nobis remaneat; ut fere docet S. Greg. Naz. in Apolog. ad Patrem.

2. Duo hic nobis commendat religiosissimus Pater : Unum, ut se quisque Deo tota mente devoveat, nihil in se vanae cupiditatis retinens ; qui enim secus agunt periclitantur.

3-4. Alterum, ut quisque caveat ne pondere naturae ad deteriora deflectat. Quocirca attendat severam de acceptis esse

reddendam rationem; nobis specialiter non erit excusatio, quibuscum, ut cum liberis carissimis, agit Deus; quibus etiam, ut regiis cubiculariis, illustriora confert iura. Totum igitur se quisque fingat ad nutum Dei, ad instar regii Psaltae, et iuxta vocationis nostrae et Instituti rationem. Inusitatam hinc percipiet animi dulcedinem.

5-7. Ut hoc certius obtineatur, benigne concessit Sixtus V Iubilaeum; ex quo planum fit quanta sit huiusce rei magnitudo, et quanta sit singulorum ad sectandam perfectionem obligatio.

8. In singulis praeterea membris esse totius Societatis robur et ornamentum. Forti animo vigilandum ne fructus Iubilaei impediatur a daemone.

9. Porro, ad Iubilaeum se singuli disponant, ut ad superius se comparaverunt, duo speciatim servantes, quae ponderis plurimum habent :

10-12. Prius : mutua ita curetur caritas ac si ab ea pendeat salus Societatis : id fiet si praestantur quae habet S. P. N. (P. 3, c. 1, 26); omnino curandum ne caritatis defectu labefactetur Societas; et idcirco integro servanda memorata constitutio; quae si vigeat, omnino incolumis perstabit mutua caritas.

13-14. Haec caritas, non ad aliquos tantum, sed ad universos se extendat; qualis fuit, teste Chrysostomo, caritas Apostoli.

15. Nihil sit igitur caritate antiquius, cum sit vinculum perfectionis; discidium autem quodvis res interturbet.

16. Hinc apparet quam exitialis sit discordia, quomodo in eam animadvertendum, iuxta doctrinam S. Scripturae et Patrum, et Societatis constitutiones; et ipsam humanam rationem.

17-18. Regnum enim in se ipsum divisum desolabitur; et discidia familias religiosas omnino disturbant. Hinc aemulanda charismata meliora, pax et caritas : hinc etiam curent omnes religiose servari regulam 30 communium; et caritatem suam esse ad normam praescriptam ab Apostolo.

19-20. Haec enim caritas specialis fructus est quem Deus reposcit a nobis, qui collocamur in Societate ut in agro Ecclesiae feracissimo et optime exculto, et ideo ferre debemus fructus bonos et quam plurimos.

21-22. Posterius : praecipua religione ac pietate colatur B. V. Maria, quae singulari honoris et amoris significatione digna censenda est, et suo nos potenter adiutura est patrocinio.

IV. AD PROVINCIALES SOCIETATIS, 28 martii 1587

De quibusdam mediis ad conservationem Societatis facientibus

(Tom. I, pp. 183-213.)

1. Conservatio Societatis in primis pendet a sollicitudine superiorum, qui subditorum infirmitates, Societati plerumque nocivas, curent et sanent : diligentia porro continua id faciant et sollerti. Nonnulla autem ad conservationem Societatis commendanda sunt :

2-3. Societatis Institutum exigit in singulis solidarum virtutum ardens studium; quae si desint magna occurrent impedimenta. Hinc praecipua cura Superiorum sit ut nostri in his virtutibus progrediantur, toto animo sese ad gubernationis curam applicantes, reliqua autem quibus impediantur omittentes, et per bonos procuratores a sollicitudine rerum temporalium sese exonerantes.

4. Boni constituantur Superiores. Hinc Praepositi Provinciales idoneos proponant, constitutosque diligenter forment, praesertim in visitationibus.

5. Apti eligantur Praefecti rerum spiritualium, praesertim in seminariis NN. Idonei admittantur novicii, et rite iuxta Institutum formentur.

6. In scholaribus Societatis servetur spiritus et devotionis

fervor. Male mortificatos vero, nec se emendantes, praestat mature dimittere e Societate quam cum damno servare. Prius tamen ex caritate remedia emendationis tentanda sunt : quorum modum et mensuram prudenter diiudicabunt Superiores, ut in dimittendis nec sint nimis celeres, nec nimis timidi aut scrupulosi.

7. Quoad contionatores, serventur ordinationes et regulae alias datae.
8. Confessarii animentur; per tempus in varia loca fructificatum mittantur; et huiusmodi absentiae veras rationes paenitentibus suis ipsi exponant :
9. Noviciis serio inculcetur indifferentia ad ministeria et ad gradus. Et Provinciales de promovendis ad gradum tempestive informationes mittant.
10. Qui male est dispositus, cum paterna admonitione simul tempus accipiat deliberandi de sua emendatione.

11-12. Provinciales curent, ut Superiores locales et Consultores cognoscant ordinationes Roma missas, et ut habeant rectam intellegentiam Instituti; est enim Societas instar aedificii, cuius omnes partes intime cohaerent : ut saepe una regula neglecta multarum observationem impediat. Commendantur speciatim quaedam regulae.

13. Antiquiores in Societate exemplo sint ceteris; et iuvenes antiquis Patribus reverentiam exhibeant, idque eos doceant exemplo suo ipsi Rectores.
14. Superiores se Patres exhibeant, nec umquam subditos exulcerent.
15. Caritatis fraternae conservationem sollicite procurent Superiores, et quicquid eam offenderit radicitus evellant, ne quando parva initia odium generent.

16-17. In iuvando proximo servetur Institutum, non tantum quod ad auxilium praestandum, sed etiam quod ad iuvandi modum. Adhibenda moderatio, tum in modo : ut per internam communicationem cum Deo, attentionem ad nos ipsos

et observantiam regularum, animae robur servemus; tum in tempore : ut respiremus, vires spirituales restauremus nosque nobis et proximis utiliores reddamus.

18. Denique externorum benevolentia concilianda ac retinenda.

19-20. Praecedentia conservationis media commendantur Provincialibus, ut ea omnes Societatis filii Matris amore generose amplectantur.

V. AD PP. ET FF. IN INDIIS ORIENT., 12 ian. 1590

De fine Missionis Indicae

(Tom. I, pp. 214-223.)

1-2. Vaticinationes prophetarum de propagatione evangelii admirabiliter semper impletae, et in futuro tempore implendae, hodie implentur laboribus missionariorum Societatis.

3. Qui excellentiori quodam modo, quam ceteri Societatis homines, Religiosi vocandi sunt.

4-6. Hortandi proin, ut potissimum conversioni gentium se impendant, nec Lusitanis curandis unice inhaereant. Agitur enim de communicando gentibus fructu Passionis Dominicae, de quo praeclare disserit S. Ambrosius.

7. Sint igitur huic operi impensa corda, voces et opera : quod per coniunctionem cum Deo obtinebitur.

VI. AD PROVINCIALES SOCIETATIS, 12 maii 1590

De Iubilaeo et missionibus

(Tom. I, pp. 223-230.)

1. Cum flagella caelitus immissa homines non emendent, nostrum est perfectionis propriae studio ardentius incumbere, ut eorum necessitati opitulari valeamus. Id a Religiosis exspectat Ecclesia, et exigit eorum vitae status.

2. Hunc in finem duo praestanda occurrunt.
3. Primum est, propriae perfectionis studium, per Iubilaei celebrationem promovendum.
4. Alterum, institutio missionum in singulis Provinciis, per sacerdotes duodecim, aut saltem sex, qui bini et bini pedibus per vicos discurrant, homines ad paenitentiam compellant, cum Pastoribus et Religiosis humiliter se gerant, et de Praelatorum consensu omnia administrent.
5. Sint viri probati et ad id munus propensi, quales plurimi esse debent in Societate; et ampla facultate muniti : est enim maximi ponderis negotium.
6. Huc tendit omnis nostrorum educatio, et in hunc finem Deus tanta incrementa dedit nostrae Societati, ut, acie instructa, in Ecclesiae obsequium se impenderet.

VII. AD PATRES SOCIETATIS, 1 aug. 1594

De fervore, et zelo missionum

(Tom. I, pp. 231-247.)

1. Fervor et zelus missionum nobis est excitandus : ut crucis signo muniti, et zeli gladio ancipiti armati, Dei bona tueamur.
2. Quae triplicia tripliciter laedi possunt : honor terrenis affectibus; emolumentum perditione animarum; delectamentum vel levissimis culpis et defectibus. Zelus ille qui haec tuetur, certissimum est divini amoris argumentum.
3. Tria sunt, quae hunc zelum in nobis excitare debent :
4. Primum : cogitatio miseri rerum status, in quo totus orbis versatur.

5-6. Alterum : professionis nostrae obligatio, expressa tum in Instituti formula, tum in Constitutionibus; et ad quam implendam multa nos exstimulant.

7. Tertium : talenti a Deo nobis donati recordatio; quo

nomine venit, non solum educatio nostra in Societate, sed etiam quicquid in nobis ad proximorum utilitatem impendi potest. Ad hoc talentum apte refertur parabola de servis, quibus Dominus proficiscens bona sua tradidit.

8-9. Qua parabola monemur ut enixe pro virili parte nostra contendamus, tum metu poenae, tum spe praemii.

10-11. Denique ad zelum animarum invitat nos caelestis Sponsus; cuius vocem internam quis nostrum est qui non audiat?

12. Itaque ad missiones dimittendi sedulo se praeparent, et ad eas omnium voluntates accendantur.

VIII. AD PP. ET FF. SOCIETATIS IESU, 8 maii 1599

Quis sit orationis et paenitentiarum usus in Societate

(Tom. I, pp. 248-270.)

De oratione et paenitentia in Societate quorundam tollenda dubitatio.

1. Finis Societatis duplex ; sed potior qui ad nos spectat. Huius assequendi rationes efficacissimae oratio et mortificatio.
2. Tempus orationis limitatur scholasticis. Professis et Coadiutoribus formatis conceditur id omne, quod valetudo, caritas et oboedientia permittunt. Neque huic facultati derogat praescripta omnibus meditationis hora.
3. Modus et materia orationis provectis non sunt praescribenda. Contemplatio mysteriorum Divinitatis nec imponenda, nec interdicenda; modo ne puis imprudenter ea utatur : est enim SS. Patrum experientia comprobata.
4. Etsi orationis efficientia recte ad aliud refertur, idque plurimis modis, scilicet : primo ad vitam moresque formandos; secundo ad excitandum Dei amorem in se et in aliis;

tertio ad edocendos rudes, quae meditando quis invenerit; non tamen necessario externi illi fructus spectandi sunt.

5-7. Plura sunt discrimina inter mere contemplativi et unius e nostris orandi rationem; et propterea desiderat S. P. Ignatius in nostris frequentem usum aspirationum ad Deum, quod optimum orandi genus est, distinctum a recta operatione et a consideratione, et bene orandi consuetudinis fructus; adeoque cum recollectionis studio coniungendum.

8. Mortificatio interna et externa Societati commendatur a B. P. N.

9-10. In paenitentiarum usu non excessus solum vitandus, qui saepe ad laxitatem ducit, et interim maiora bona impedit; sed etiam defectus, quem gignit amor corporis. Iuvant enim paenitentiae ad acquirendam mortificationis virtutem, et ad alia multa in virtutum studio conferunt. Ad quod non sufficit interna mortificatio.

11. Ad paenitentiarum usum moderandum, attendenda tria : finis Societatis; media quibus uti solet; Constitutionum verba.

12. Paenitentias his consonas frequentare,, non est singularitas : in quibus etsi non est sita ipsa perfectio, certe ad illam acquirendam media sunt eximia, et ab omnibus religiosis Ordinibus adoptata.

13. Recte igitur Superior subditos ad plures, quam regula iubet, adhortatur.

14-15. Haec, paucis praestitutis, ad ampliora properandum suadet, tum permittendo paenitentias; tum monendo ne sint immoderatae nec indiscretae;

16. Quales fortasse fuerunt ante conditas regulas; nunc certe non sunt.

IX. AD PROVINCIALES SOCIETATIS, 12 maii 1599

De modo instituendarum missionum

(Tom. I, pp. 270-275.)

1. Ardor missionum rursus in omnibus excitandus.

2-4. Ideoque relegendae litterae hac de re antea datae. Ad praxim, expedit, ut singuli fere sacerdotes quotannis aliquam missionem obeant, more apostolico; ut in singulis domiciliis habitent saltem duo missionarii; et ut in aliquot locis collocetur residentia missionariorum temporaria, qui ex eleemosynis vivant; sint minimum sex sacerdotes cum duobus fratribus, post tempus cum aliis permutandi.

5-7. Neque tractent de erigendis novis Collegiis; sed sicubi domus Professa erigi possit, referatur ad P. Generalem. Ad quem etiam referat Provincialis de praecedentium exsecutione; et curet, ut qui promoventur ad gradus doctrinam christianam doceant.

X. AD PROVINCIALES SOCIETATIS, 14 augusti 1599

De usu exercitiorum spiritualium

(Tom. I, pp. 276-279.)

Occasione missi in Provincias Directorii Exercitiorum, commendatur eorum usus promovendus in nostris et in externis. Ad ea igitur tradenda se nostri idoneos reddant; ad excipienda confessarii paenitentes invitent; accedentes autem admittant prompte et liberaliter Superiores locales; et aliquot cubicula in hunc usum parata habeant. Denique Provinciales cum Superioribus et Professis congregatis tractent de modis procurandi auxilium animarum.

XI, AD PROVINCIALES SOCIETATIS, 14 august. 1599

De formandis nostris contionatoribus

(Tom. I. pp. 279-282.)

1-3. Cum finis Societatis postulet ut idonei contionatores formentur, Provinciales in eo summam curam ponant, institutionem pro contionatoribus Societatis in praxim revocent, et imprimis usum exercitiorum spiritualium iis commendent.

XII. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 29 iulii 1602

De recursu ad Deum in tribulationibus et persecutionibus

(Tom. I, pp. 282-292.)

1-2. Praevisae in prosperitate tribulationes, quae disponente divina Providentia, solito magis Societatem exercent, omnes excitare debent, ut, gratiis Deo actis, qui per eas nostram emendationem intendit :

3. Primo inquirant singuli, divino lumine implorato, tribulationum causam, accuratum examen sui instituant, et culpas in se agnitas emendent.

4. Secundo ad orationem plus solito recurrant, exercitia spiritualia ad commune societatis auxilium obeant, et praeter privatas devotiones, communibus litaniis precem ad B. V. addant.

5. Tertio adeo non frangantur persecutionibus, ut ardentiore quam umquam spiritu in proximi salutem elaborent, ad quod vel ipsi qui reportantur fructus exstimulare eos debent.

6-7. Superiores servari curent benevolentiam externorum; omnes mutua inter se caritate artius devinciantur, qui fructus erit huiusmodi tribulationum.

8. Denique ad haec omnia pro gravitate necessitatis omnes invigilent.

XIII. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 24 iunii 1604

De renovatione spiritus et correspondentia cum Deo

(Tom. I, pp. 292-325.)

1-2. Necessaria est renovatio spiritus, etiam provectis; ut tentationes vincant assiduo luctamine adversus mundum, daemonem, carnem. Quare stimulamur iterum ad renovationem procurandam.

3-4. Fiat autem usu exercitiorum spiritualium occasione Iubilaei; et speciatim, consideratione status ac dignitatis Religionis nostrae, quae est instar Templi Ierosolymitani, tres ob fines accurate a Propheta descripti. Primus : ut eius magnificentiam contemplantes Israelitae ingratitudinem suam lugerent; sicut nos, admirantes in Societatis Instituto Dei Providentiam, ingratum animum lugere oportet.

5. Secundus : ut Dei assistentiam intellegentes timorem simul et fiduciam conciperent. Quam assistentiam Dei erga Societatem si perpenderimus, nos quoque fiduciam concipiemus simul et reverentiam, dummodo Dei gratiam non declinemus per effusionem ad externa, sed puro zelo salutem animarum consectemur.

6-9. Tertius : ut, videntes opportunitates proficiendi in spiritu, neglegentiam suam dolerent. Quas opportunitates et nos cum habeamus, confundi nos oportet nostra neglegentia, et stimulari ad excutiendam tepiditatem, cuius damna sunt plurima et maxima, eiusque multiplices radices

exstirpandas meditatione divinarum perfectionum, quarum duodecim considerare iuvat.

10-21. 1° Maiestas exigit timorem et reverentiam.

2° Praesentia puritatem et diligentiam.

3° Dominium oboedientiam.

4° Providentia resignationem. 5° Beneficia gratitudinem.

6° Sapientia attentionem et docilitatem.

7° Pulchritudo concupiscentiam, et rerum creatarum contemptum. 8° Suavitas sanitatem palati ab omni terreno sapore. 9° Liberalitas petitionum constantiam et impetrandi fiduciam. 10° Amor amorem, quem qui servat, nulla vi a Domino separari potest.

11° Quod sit spiritus et vita animae, exigit ut omnis vita nostra ab illo procedat.

12° Quod sit finis et centrum animae, exigit ut nostra omnia in illum tendant. Ad id necessario eluctandum, et facile est amanti.

22. Harum igitur Dei perfectionum attenta consideratio magna spiritus lucra afferet.

23. Audiatur S. Ambrosii adhortatio ad athletas.

XIV. AD PROVINCIALES SOCIETATIS, 24 novemb. 1612

De officii divini recitatione ac celebratione missae

(Tom. I, pp. 326-337.)

1. Officium divinum rite a nobis persolvendum est, tanto magis, quod id non in choro, sed privatim recitamus. Attendendum igitur ad tempus, ad locum, situm statumque corporis; circa quae iuverit ut se quisque examinet. Iuvabit etiam gustare Psalmorum suavitatem, excitare in se varios in Psalmis contentos affectus, legere commentarium in Psalmos, et si quis versiculus animum moverit, eum postea meditatione recolere.

2. Missae sacrificium ut rite celebretur, expendendum Cui, quid, quem ad finem, et quomodo offeratur; et quanta ad sacramentum suscipiendum requiratur praeparatio, tum remota, tum proxima et actualis. In celebratione servanda regula mediae horae. Post eam, fiat debita gratiarum actio. Quae omnia peculiari modo ad homines Societatis spectant, et Superiorum curae commendantur.

XV. AD PROVINCIALES SOCIETATIS, 28 maii 1613

Monita formandis contionatoribus accommoda

(Tom. I, pp. 338-359.)

Quoniam contionandi ministerium est ad lucrum animarum aptissimum, agendum de eius adiumentis, impedimentis et industriis.

Adiumenta sunt :

1. Opinio virtutis ac probitatis.
2. Ordinata studia.
3. Scriptura sacra et Patres.
4. Collecta ab eruditis materia.
5. Tempestiva muneris inchoatio.
6. Assistentia bonis contionibus.
7. Materia, auditorium, muneris auctoritas et maiestas.

Impedimenta sunt :

1. Intentionis obliquitas.
2. Incautus delectus in studii materia.
3. Inordinatum studium.
4. Neglectus studii Scripturae sacrae, et
5. Sanctorum Patrum.
6. Memoriae ostentatio.
7. Lectio quorundam sermoniariorum.
8. Affectatus dictionis ornatus.
9. Inepta insertio rerum curiosarum.

10. Oratio vaga.
11. Oratio non satis ruminata, nec recte secta.
12. Imitatio vitiosae rationis aliorum.
13. Non libenter audire monita.
14. Insenescere vitiis quibus quis assueverit.
15. Non possidere res dicendas.

Industriae sunt :

1. Praecavere impedimenta.
2. Considerare successus ferventium Religiosorum.
3. Attentius meditari Scripturas.
4. Duobus vel summum tribus capitibus insistere.
5. Eradicationem vitiorum constanter et multimodis urgere.
6. Loqui libere simul et prudenter.
7. Res dicendas praeparare et memoriae mandare, non autem verba.
8. Quae leguntur redigere ad communes locos.
9. Familiarem sibi reddere Chrysostomum.
10. Instructionem pro contionatoribus servare.
11. Libros de arte contionandi legere.
12. Dirigi in studiis a Superioribus.

EPISTOLAE R. P. N. MUTII VITELLESCHI

I. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 2 ian. 1617

De oratione aliisque virtutibus

(Tom. I, pp. 359-387.)

1. Societas sit domus Dei, pura, neque maculam habens, neque rugam.

2-3. Huius domus vestibulum exornet religiosa modestia, cuius silentium quovis est sermone efficacius.

4. Interiora domus sarta tacta servet imprimis oratio. Huius ope exstinguetur inordinatus affectus erga consanguineos;

5-6. Vigebit oboedientia, qua genuini Societatis filii in rebus omnibus subici cupiunt;
7. Augebitur paupertatis amor, qui vitae commoditates respuit;
8. Nitebit castimonia, quae pravorum librorum lectionem horret;
9. Flagrabit mutua caritas, cui potissimum adversatur spiritus nationalis;
10. Exardescet zelus animarum, qui laborem quaerit, non honorem;
11. Et contemnentur omnia quae extra Deum sunt;
12. Nec quisquam commendabitur nisi ob virtutem, sicque exterminabitur Politica. Denique in orationis studio sunt bona omnia.
13-15. Praeterea querelis hominum, licet non fundatis, occurrendum, quae ad quattuor capita revocantur : primo, ambitio sanabitur humilitate; secundo, commodorum studium labore et paupertate; tertio, cupiditas moderatione et regularum observantia; quarto, politica agendi ratio pia conversatione, et refrenanda lingua.
16. Contra quod vitium linguae omnes dirigant examen particulare, et remedio piae conversationis utantur inter se et cum aliis : quo fruantur indulto a SS. D. N. Iubilaeo. Denique Superiores pia desideria missionum Indicarum foveant.

II. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 15 NOV. 1639

De anno saeculari Societatis

(Tom. I, pp. 387-433.)

1. Gratulatio de instanti anno saeculari.
2. Causa celebrandi Iubilaei est Societatis conservatio : quem ad modum fuit in populo Israelitico.

3. Ut annus saecularis Societati Iubilaeus sit, revertendum ad eius primaevum spiritum.
4. Societas quo sensu sit centum annorum infans.
5. Innocentia puerilis cum virili robore coniungenda, ut sit Societas centenaria Calebo similis.
6. Huius labes si qui filii degeneres.
7. Unius in Societate vitium attribuitur universis.
8. Quod quo sensu sit dolendum, quo laetandum.
9. Omnes igitur actiones nostrae exigendae ad famae communis trutinam; nam Deus ob unius peccatum aliquando punit totam communitatem.

10-11. Deinde primaevus Societatis ardor et spiritus instaurandus, et renovanda iuventus nostra ut aquilae, per assiduam Christi patientis memoriam ac meditationem.

12-15. Renovatio nostra initium ducere debet a studio orationis, deinde usu exercitiorum spiritualium S. P. N. confirmari; tum accurata et efficaci ordinationum exsecutione, requisita non tantum in subditis, sed multo magis in Superioribus.

16-21. Causae, cur Superiores sint remissiores in exsecutione sunt: 1° inordinatum desiderium omnes aequaliter iuvandi; 2° timor displicendi; 3° Superiorum in aliquos privata propensio: teneant ergo oculos apertos in facta, clausos in personas, et aequales se omnibus praebeant; 4° privatus sui ipsius amor; 5° nimia sollicitudo rerum temporalium.

22. Subditi debent adiuvare Superiores in exsecutione; et esse aegrotis similes, vel sanctis martyribus.
23. Societas similis caelo, et eius subditi orbibus caelestibus.
24. Uti in aspectabili, ita et in mystico caelo cometes aliquando.
25. In caelo nostro ne sint exerrantes faculae: sol sit S. Ignatius, nos stellae stantes in ordine.
26. Ab illis sumamus exempla virtutum.

27-28. Aestimandum, non quam multi simus, sed quam probi. Ad promerendam Abrahami benedictionem, opus est

oboedientia, humilitate, et artiore vinculo ad Sedem Apostolicam.

29-30. Pro monito novissimo consideret quisque : primo, quantum Deus primo saeculo Societati faverit; secundo, quid invicem reposcat.

31. Iubilaeum ab Urbano VIII concessum omnes celebrent.

EPISTOLA R. P. N. VINCENTII CARAFAE

AD PATRES AC FRATRES SOCIETATIS, 1646

De mediis conservandi primaevum Societatis spiritum

(Tom. I, pp. 434-471.)

1-2. Electus in Praepositum Generalem, quae Congregatio generalis commendavit, expositurus est.

3. Ex tribus pendet incolumitas et progressus religiosi Ordinis.

4-5. Primum est vita irreprehensibilis in interiore et exteriore homine. Interiorem formant coniunctio cum Deo, et mortificatio; ut specie homo, gratia sit Angelus.

6-10. Coniunctio cum Deo obtinetur : 1° meditatione matutina, 2° crebris per diem aspirationibus; 3° quaerendo Deum in omnibus; 4° recta in omnibus intentione; 5° exercitiis spiritualibus, quotannis per octiduum obeundis : quae dentur etiam externis, et qui ex nostris et quare omiserint, Provinciales quotannis scribant.

11-15. Mortificatio est multiplex : 1° carnis; 2° sensuum; 3° affectionum; 4° intellegentiae et voluntatis. Conclusio.

16. Exteriorem hominem format amor paupertatis, circa quam virtutem distinguenda quattuor capita :

17-24. 1° Bonorum renuntiatio non differatur; fiat integra; non in cognatos, nec in definitum Societatis domicilium, neque ullius rei retenta administratione.

2° Usus rerum concessarum limitetur ad necessaria; in pri-

mis parsimonia teneatur in itineribus, in quibus solita pietatis exercitia non omittantur.

3° Libenter careamus necessariis quoque. Paupertas Christi qualis. Paupertas domuum professarum.

4° Verus pauper sit ab omni affectus intemperantia seiunctus, et statuae similis.

25. Secundum est scientia sacra, ex materia, intentione ac fine. Vanitas cavenda in studiis. A libris minus castis omnino abstinendum. Gravissima inde damna exsistunt. Assuescendum piis colloquiis. Contrariis erratis quae remedia adhibebunt Superiores.
26. Studia nostra sacra esse debent ipsa quoque exsecutione.
27. Tertium est, ministeria Societati propria. Ab alienis et a negotiis saeculi abstinendum, et a nimia cura rerum temporalium.
28. Ministeria Societati propria quae? In missionibus nostri aemulentur Apostolos. Missiones non impediunt proprium animi profectum, si earum regulae serventur. Missiones omnibus commendantur. Quaelibet Provincia habeat Residentiam unam pro missionibus. Qui versantur in missionibus, non tractent de novis collegiis fundandis.
29. Commendatur pietas in B. V. M.
30-31. Examinet se quisque quantum praestet, et quantum possit, et precibus ac consiliis velit Praepositum adiuvare.

EPISTOLA R. P. N. FRANCISCI PICCOLOMINI

AD PATRES AC FRATRES SOCIETATIS, 28 oct. 1650

De utilitate et necessitate exsecutionis

(Tom. II, pp. 1-49.)

1. In structura aedificii tria sunt architecto curanda : delineatio, positura, et lux.
2. Illa tria in Societatis aedificio delineando abunde suffecit

Deus; sed architecturae exsecutionem nobis commisit, quem ad modum Israelitis fabricam Tabernaculi et templi Salomonis. Urgenda igitur Superioribus constitutionum exsecutio.

3. In candidatis examinandis et admittendis quae cura adhibenda. Distinguendi defectus aetatis et naturae.
4. Ingenium et valetudo quatenus spectanda.
5. Ingenii defectum quandoque compensare potest humilitas.
6. Noviciorum institutio qualis.
7. Noviciorum probanda vocatio.
8. Novicii a Magistro lacte alantur, idque sedulo et assidue. Qui non sunt idonei, dimittantur.
9. Ratio dimittendi novicios. Remedia prius adhibenda.
10. Fervor noviciorum fovendus et promovendus. Corrigendi errantes : et quomodo ?
11. In reprehendendo duo extrema cavenda.
12-13. In scholasticis, ardor in studiis fovendus; in quo errari potest per defectum, et per excessum. Virtus in magnis ingeniis curanda, potissimum humilitas.
14-15. Superiores intersint litterariis exercitationibus; neglegentes ab studiis amoveant; erga fundatores grati sint.
16. Magistri quales esse debeant.
17. Eorum delectus habendus, praecipue professorum pro altioribus studiis.
18. In votorum observatione Angeli imitandi.
19-21. Duo praesidia castitatis : timor labendi; et redditio rationis conscientiae. Ad eam obtinendam quattuor sunt dotes in Superiore necessariae.
22. Puritas paupertatis curanda. Necessaria non subtrahantur. Senibus aliquid indulgendum.
23. Oboedientiae praestantia. Eiusdem exsecutio difficilis praesertim Superioribus.
24. Duo adiumenta oboedientiae.

25. Votum sollemne de missionibus. Curandum ut recte obeantur missiones. Contionandi facultas in iuvenibus excitanda et excolenda.

26-28. Conclusio. Lux duplex aedificii spiritualis : prima idea Societatis et exempla Maiorum ac seniorum. Superiores omnia agant ad ideam a S. P. N. relictam.

EPISTOLAE R. P. N. GOSWINI NICKEL

I. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 30 sept. 1653

De amore et studio perfectae paupertatis

(Tom. II, pp. 49-101.)

1. De more scripturus ad universam Societatem, statuit, ad perfectae paupertatis studium socios adhortari; nam Paupertati magis attendendum quam reliquis votis.

2-4. Paupertatis necessitas ostenditur ex fine Societatis : ac primo ex debito propriae perfectionis. Etiam in minimis Paupertas ad perfectionem necessaria.

5-6. Opiniones Paupertatem relaxantes disseminare quam perniciosum sit : primo singulis; deinde Ordini universo.

7. Quid de Paupertate senserit scripseritque S. Ignatius.

8. Perfectae Paupertatis necessitas ostenditur deinde ex cura proximorum. Pauperes fuerunt Apostoli, et vicerunt mundum. Paupertate Dominicus subegit Albigenses. Paupertate Xaverius Indis viam caeli aperuit. Paupertas expeditos facit ad annuntiandum Evangelium.

9. Paupertati praetenduntur duo impedimenta : honestas et necessitas. Porro honestas quidem vera sordes arcet, non Paupertatem.

10. Ab hoc capite periculum est iis qui aulas frequentant : quod quidem multi vitarunt, sed a quo sollicite cavendum,

quia multiplex est et valde perniciosum. Exemplo sit Patriarcha Andreas Oviedus.

11. Necessitatem autem vera Paupertas libenter patitur. Id docuit S. P. Ignatius.

12-18. Aliquot Paupertatis fructus degustandi proponuntur : 1° nulla re uti tamquam propria; 2° non multa secum convehere, cum in alia Collegia migrandum est; 3° libros non superfluos habere, non usui proprio addicere; 4° si quae dono dantur, ne pretiosa sint, aut nimis multa; 5° libenter pati, sibi in usum dari quae domi vilissima sunt; 6° nihil sibi supra ceteros debitum velle ob labores in Societate susceptos; 7° negotia temporalia consanguineorum non suscipere; 8° bonis suis se mature abdicare.

19. Superiores exemplo praeeant, et ne tenaces sint et sordidi.

20. Christi Domini exemplum ad Paupertatem persuadendam efficacissimum.

II. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 16 nov. 1656

De nationali provincialique pernicioso spiritu in Societate vitando

(Tom. II, pp. 102-127.)

1. Spirituali Societatis aedificio plurimum metuendum ab adversis ventorum flatibus.

2. Talis ventus est spiritus nationalis.

3. Argumentum scriptionis, eiusque partitio.

4. Provincialis spiritus quis?

5. Quis illo spiritu agatur?

6-8. Ne in Societate ille spiritus reperiatur, fortasse timendum est, cavendum certe.

9-14. Damna quae oriuntur ex hoc spiritu : 1° praedominante hoc spiritu Societas salva esse nullo modo potest; 2° iste spiritus iniuriam facit Christo, cuius omnes membra sumus;

3° obscurat bonum Societatis nomen; 4° in apertum discrimen adducit Societatem; 5° est certissima pestis, et mors caritatis; cui maxime nocet nationales ceteris praeferre.

15. In caritate vera pax.

16. Hanc igitur unice amemus.

17. Quam non dividit distantia locorum.

18. Non fuit nationalis, nec provincialis spiritus S. P. N.

19. Nec aliorum primorum Societatis Patrum, teste P. Ribadeneira.

20-23. Conclusio. Odium adversus tam malignum spiritum, non sibi tantum instillandum, sed aliis quoque omnibus communicandum : quod nostra vocatio requirit.

EPISTOLA R. P. N. IOAN. PAUL. OLIVAE

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 8 sept. 1666

De informationibus

(Tom. II, pp. 128-158.)

1. Cur scribere distulerit.

2-3. Argumentum epistolae : necessitas fidelium informationum de Sociis ad gradum vel ad munia provehendis, utile non informatoribus tantum, sed plane omnibus.

4-5. Iudicium ferendum secundum veritatem, exclusis affectibus, exemplo Christi. Huius neglectu doctrinae Pilatus Christum crucifixit, et rursus in membris eius crucifigunt perversi iudices.

6. Recta de sociis iudicia omnes stimulabunt ad assequendam perfectionem.

7. Recti iudicii peculiaris necessitas in informationibus ad gradum.

8. Pernicies ex convictu cum Professis indigne admissis.

9. Rectae informationes admissionem talium ad Professorum

vota impedient, qui, licet criminosi non sint, tamen laxitate vitae plurimum nocent.

10. Remedium docent sacrae paginae.

11-12. Non minoris momenti sunt informationes de moribus, quam de doctrina; quin potius longe maioris.

13-15. Hactenus dicta extenduntur ad quaelibet Societatis munia, quae dignis danda in praemium, nulla alia dantis propensione, quam ad aequum honestumque.

16. Nec tamen destituendi indigni, sed ad studium perfectionis erigendi, ut fiant digni.

17. In informationibus compescendus immodicus amor patriae et propinquorum.

18. Fideli relatione supprimitur distantia locorum. Ea melius innotescunt subditi quam praesentia corporali; eadem nititur universae Societatis regimen.

19-20. Informatorum delectus habendus, ut omni specie ambitus amota, sola virtus aestimetur.

21-22. Discrimen inter blanditias ambitiosorum, et amorem obsequentium. Conclusio.

EPISTOLAE R. P. N. MICH. ANG. TAMBURINI

I. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 17 nov. 1706

De studio rerum spiritualium promovendo

(Tom. II, pp. 158-164.)

1. Rerum spiritualium studium a Congreg. XV commendatum, commendat ipse Superioribus. Existiment ergo eam curam sui officii praecipuam.
2. Tirones rite instruant.
3. Idoneos spiritus Praefectos constituant.
4. Rationem conscientiae diligenter exigant.

5. Curent, ut exhortationes domesticae et lectiones dirigantur ad amorem rerum spiritualium.
6. Puncta meditationis apte proponantur.
7. Omnes mature surgant.
8. Visitationes utriusque examinis et orationis frequententur diligenter.
9. Haec omnia etiam in parvis Collegiis serventur.
10. Provinciales post visitationem de praecedentium capitum observatione referant ad Generalem.

II. AD SUPERIORES SOCIETATIS, 15 dec. 1707

De promovenda observatione Instituti

(Tom. II, pp. 165-226.)

1-2. Auxilium petit Superiorum, ad promovendam observationem Instituti.
3. Duplex Religiosis proposita lex : interna et externa. Prima discitur in schola spiritus.
4. Externae legis custos Superior.
5-6. Quae quantumvis sit praestans in Societate, mortua est, nisi vivat observatione subditorum.
7. Duo Superiori necessaria : vigilantia, et exsecutio.
8-15. Vigilantiam impediunt : 1° nimia rerum temporalium cura; 2° privatum studium; 3° amor quietis ac solitudinis; 4° ipsa divinarum rerum contemplatio, nisi moderata sit; 5° nimia iuvandi proximos sollicitudo; 6° effusio ad exteriora et saecularia; 7° naturalis incuria; 8° humani respectus; 9° difficultas deprehendendi errata, vincenda sedula pervestigatione, quae tamen non debet esse nimia.
16. Alterum adminiculum Superiori necessarium est exsecutio : ut medico, praeter cognitionem morbi, applicatio remediorum. Porro cum remediis abundet Societas, restat id unum, ut per exsecutionem applicentur.

17-20. Exsecutioni adversatur omissionis vitium ; quod facile fallit ; eo maius est, quo maius bonum cui adversatur ; et solum sufficit ad labefactandum Societatis aedificium, etiamnum firmum, instar templi Salomonis ; sed praesidum neglegentia facile ruiturum, imprimis per rerum spiritualium incuriam, quam sequitur taedium vitae domesticae, et scandalum externorum, damno numquam reparabili, at Superioribus imputando.

21-28. Huiusmodi omissionis causa multiplex : 1° levium culparum contemptus, ex. gr. violationis regulae silentii ; 2° earundem excusatio ; 3° metus ex varia causa, in primis ne turbetur pax domestica ; 4° occultatio erratorum, ne timidi Superioris arguatur imbecillitas. Huius occultationis funestae sequelae, praesertim si reus vicissim insectetur accusantem ; aut si pars subditorum cum timido Superiore conspiret, et mediatos Praesides in errorum inducat ; 5° praetextus lenitatis.

29-39. Quae sit vera mansuetudo, quae falsa et noxia.

31-32. Timori incurrendi notam nimiae severitatis, remedium.

33-36. Excitant Superiorem ad tuendam disciplinam : 1° necessitas vitandi noxam praevaricationis, Dei indignationem, et gravissima damna imminentia, tum singulis subditis, quos remissio ad laxitatem invitat ; tum toti communitati, in qua paulatim collabitur disciplina vix umquam deinceps recuperanda ; tum speciatim iunioribus, quos tanta sollicitudine educat Societas. 2° Regularum vigor in Societate, numquam interruptus, a mediatis Superioribus assertus, et ab ipsis delinquentibus agnitus. 3° Dei praesens auxilium, curam poscentis, non curationem.

37. Graviorum Patrum obligatio tuendi auctoritatem Superiorum.

38. Obligatio Provincialium.

39-41. Modus tuendae disciplinae Praesidis prudentiae relin-

quendus; modo curam et correctionem numquam omittat, nullis difficultatibus cedat, et abusus, antequam suboriantur, caute praeveniat.

42. Hactenus dicta pertinent etiam ad Provinciales, praesertim in visitatione diligenter instituenda.

43. De subditorum emendatione numquam desperandum.

44. Fidelitas in proponendis candidatis ad regimen quam necessaria.

45-46. Maxima utilitas accuratae gubernationis, ad quam conspirent cum Superioribus subditi.

EPISTOLA R. P. N. ALOYSII CENTURIONI

AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 29 iunii 1756

De spiritu nostrae vocationis

(Tom. II, pp. 226-256.)

1. Ob oculos ponendus spiritus vocationis nostrae, qui eius nota et character est, et cuius oblivio in summum discrimen Societatem adduceret.

2. Est ille spiritus ardor maioris Dei gloriae et salutis animarum procurandae per munia Societatis tamquam media, ex formula Instituti.

3-4. In qua S. P. N. primum Societatis finem determinat, deinde incessanter intendendum praescribit.

5. Omnes igitur tenemur ad assiduum laborem pro sanctificatione animarum.

6-10. Neque sufficit, ut quis propriae saluti et perfectioni incumbat, cum non haec sit nota Societati propria, sed labor pro aliis, sine quo ne propria quidem salus et perfectio in tuto est, sive neglegentibus denegata uberiore gratia, sive deficiente otiosis omni merito, sive contracta per desidiam gravi culpa : in Deum, qui nos ad laborem elegit; in proxi-

mos quorum animae pereunt, et spes frustrantur; denique in ipsam Societatem, quae zelum exigit, non a Professis solum et operariis, sed ab omnibus, etiam a tironibus, a scholasticis studiorum tempore, et a docentibus in scholis.

11-12. Omnes igitur in spiritum zeli consequendum conspirent, ne, aucta multitudine sociorum, augeatur turba.

13-17. Indicia spiritus vocationis nostrae sunt : 1° ministeria Societatis libenter amplecti, et cum proximo non nisi de rebus caelestibus agere; 2° omnino abhorrere a propriis commodis; 3° contemnere terrena omnia; 4° orationis studio deditum esse.

18. Quo studio spiritus Societatis suscitatur et agit, adiuvante Deo, stimulantibus Maiorum exemplis, et reddenda ratione in die iudicii.

19. Unusquisque dies aliquot renovando spiritui insumat.

EPISTOLAE R. P. N. LAURENTII RICCI

I. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 26 sept. 1758

De precibus iterandis ob calamitates Societatem prementes

(Tom. II, pp. 257-260.)

1-5. Calamitatibus permittendis duo spectat Deus : primum, ut ad virtutem excitemur; alterum, ut ad eum recurrere perseveremus : quod per Mariam faciamus, in primis novendiali devotione ante festum Imm. Conc. B. V. Conclusio.

II. AD PATRES FRATRESQUE SOCIETATIS, 8 dec. 1759

De constantia in oratione ob eiusdem tribulationes

(Tom. II, pp. 261-267.)

1-7. In precibus, ob calamitates hactenus fusis, necessaria est perseverantia, qua movetur Deus ad exaudiendum, ipso divino Salvatore attestante et probante, praesertim cum petitur spiritus bonus, qui est unice a nobis petendus, et sollicite servandus.

8. At nihilo minus pro necessitatibus Ordinis orandum.

9-10. Quem in finem praescribuntur novae preces. Conclusio.

III. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 30 nov. 1761

De causis solacii, deque recursu ad Deum in calamitatibus

(Tom. II, pp. 267-276.)

1-8. Ne deficiamus a patientia et fiducia in Deum, multae sunt causae solacii : 1° tribulatio expiat nostra peccata ; 2° parat nobis praemium in caelo ; 3° purgat nos ab omni inordinato affectu ; 4° inspirat taedium huius vitae et desiderium caelestis patriae ; 5° fovet studium virtutum ; 6° reddit nos similes Christo ; 7° servit Divinae gloriae.

9-11. Gaudendum igitur in tribulatione, et omnis spes ponenda in Deo, qui exaudit exorantes se.

12-13. Itaque indicuntur novae preces ; et quidem triplex pietatis exercitium.

14-15. Cum precibus coniungatur vita iustorum. Conclusio.

IV. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 13 nov. 1763

De ferventi in orationibus perseverantia

(Tom. II, pp. 277-291.)

1-2. Perseverante tribulatione, perseverare debet in oratione fervor, quia a Deo immittitur calamitas, cuius voluntati conformanda nostra.

3-4. Sed, ut haec conformitas non minuit doloris sensum, ita nec de fervore orationis quicquam detrahere debet.

5-10. Quare continuandae hactenus praescriptae preces, quarum usus aeque facilis, utilis et suavis; et communiendae sanctitate morum qua oratio fit efficax, et perfectione vitae iuxta nostras regulas.

11-19. Tres praecipue commendandae virtutes : 1° Humilitas, qua privatus honor contemnitur, defenditur Societatis decus, et promovetur gloria Dei.

2° Paupertas, imitatione Christi experiendo etiam eius effectus, et regulas de illa perfecte servando.

3° Oboedientia, qualem docuit S. P. N. et Societatis esse voluit signum proprium, in primis cum quid occurrit a Superioris sententia diversum.

20-24. Alia S. P. N. documenta et incitamenta quibus nos docuit oboedire Superioribus tamquam Deo, et ad idem hortatur e caelo. Conclusio.

V. AD PROVINCIALES SOCIETATIS, 16 ian. 1765

De confirmatione Instituti facta a Clemente XIII

(Tom. II, pp. 292-294.)

1-4. Novam Instituti confirmationem excipiamus cum gratiarum actione et humilitate, eius finem et media novo ardore amplectentes, et devoti erga summum Pontificem, pro quo praescribuntur preces.

VI. AD PROVINCIALES, 16 iunii 1769

De precibus ferventius praestandis pro gravioribus periculis

(Tom. II, pp. 294-300.)

1-2. Tribulationes quae nondum cessarunt, in patientia et spe sustinendae, eo ferventius orando, quod nova pericula immineant toti Societati.

3. Quare praescripta pietatis officia peragantur cum animi contentione et fiducia, ad Mariam, et ad SS. Cor Iesu.

4. Et fiat praeterea novendialis devotio ante festum S. P. N. Ignatii, in qua se quisque recolligat, et externos etiam naevos emendet.

VII. AD PROVINCIALES, 21 februar. 1773

De novo ad preces incitamento in summo Societatis discrimine

(Tom. II. pp. 300-307.)

1-7. Oratio nostra sit perseverans ; sit humilis et fiducialis, vel hoc ipso quod omni auxilio destituti sumus ; sit fervida ; fiat in nomine Iesu Christi ; eamque corroboret innocentia vitae et exercitium omnium virtutum, et animet spiritus Societatis. Conclusio,

EPISTOLAE R. P. N. IOANNIS ROOTHAAN

I. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 7 julii 1830

De amore Societatis et Instituti nostri

(Tom. II, pp. 307-332.)

1-4. Scripturus de amore Societatis, potissimum intendit modum edocere, quo exercendus sit hic amor ; qui quidem semper fuit proprium quoddam Societatis donum ; sed ut

recte exerceatur, primum cavendum ab erroribus, scilicet :

5-10. 1° Ne intempestive extendatur Societas, antequam rite formati sint eius alumni ; quibus non sufficit qualiscumque virtutis et recti amor ; sed eorum perfecta prius intendenda formatio, deinde labor.

2° Ne sectemur speciosa in oculis mundi.

3° Ne de Societate eiusque laboribus superbiamus : quae superbiae nota, iam olim Societatis hominibus falso inusta, tum spiritui Ecclesiae, tum Societatis instituto summopere repugnat.

4° Ne aliorum laudibus ac recte factis invideamus.

11-13. Hos igitur errores in exercendo Societatis amore vitantes, consideremus deinde in quo consistat, nimirum in mutua communicatione bonorum.

14-22. Communicat nobis Societas bona inaestimabilia, scilicet : 1° finem suum ; 2° media ad finem ; 3° institutum S. P. Ignatii ; 4° vinculum, quo Sedi Apostolicae astricta est ; 5° hereditatem Patrum nostrorum ; 6° gloriam suam ; 7° divinae Providentiae erga se benignitatem.

23-29. Societas nos vicissim obstringit, ut ei communicemus nostra : quae etsi iam omnia nobiscum obtulimus per vota, offerre nihilo minus denuo cotidie debemus, impendendo nos, ut eius instituta probe cognoscamus, et probe cognita perfecte exsequamur, speciatim perfecta abnegatione nostri ipsorum, et assiduo ac fideli labore pro uniuscuiusque munere ac talento.

30. Beata erit Societas, ut olim, si haec serventur.

II. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 24 iulii 1831

De tribulationibus et persecutionibus

(Tom. II, pp. 332-346.)

1-4. Tribulationes et persecutiones, quas ab initio passa Societas, etiamnum abunde patitur, excitare in nobis debent :

1° Gaudium de vocatione nostra, quam Iesus beatam dixit, quia vere patimur pro eius nomine, et participes sumus gloriae crucis Christi, quod quam deplorandi, si qui non intellegant!

5-6. 2° Profundam humilitatem cum sancta sollicitudine ne ob aliquorum culpas, etiam minores universi huiusmodi poenas mereamur, sed perfectionem Instituti nostri meditantes, lugeamus imperfectum nostrum, et cotidie ad altiora tendamus.

7-11. 3° Summam in Deo fiduciam, praecipientes animo mala omnia, quae mundus inferre potest, ne ea timeamus, scilicet : 1° carceres, vulnera, mortem; 2° rerum penuriam; 3° separationem ac dispersionem Sociorum. Conclusio.

III. AD PATRES AC FRATRES SOCIETATIS, 3 dec. 1833

De missionum exterarum desiderio excitando ac fovendo

(Tom. II, pp. 347-365.)

1-8. Ad missionum exterarum ministerium, quod semper amplexa est Societas, denuo nos stimulant : 1° exempla Maiorum nostrorum, usque ad ultima Societatis tempora; 2° religionis detrimenta in remotis illis regionibus; 3° invitationes, quibus provocamur ad operandum in Americae statibus foederatis, ad montem Libanum et in maris Aegaei insulis, ad varias Asiae et Africae oras, in Indiis orientalibus, Sinis, etc.

9-11. Ne igitur obstet operariorum penuria, qui missionum desideria in se sentiunt, nomen dent; neque timeant Provinciales Provinciarum suarum detrimenta.

12-14. Praeparatio ad missiones, praeter valetudinem, bonam indolem et scientiam hauriendam, requirit virtutum solidarum praesidium.

15-21. Quare qui missiones optat, videat qua ducatur puritate intentionis gloriae Dei et salutis proximi, ab omni rerum insolitarum cupidine aliena; num iam nunc quaerat Dei gloriam studio orationis et puritate conscientiae; proximi salutem exercitio caritatis et patientiae; ut praestare possit foris quae sibi domi comparaverit, fiducia in Deo non temere fretus, et in sua abnegatione maxime exercitatus.

22-23. Tunc enim aderit Deus, qui nos vocavit, si vocationi fideles sumus, sive ad exteras missiones destinemur, sive consuetis ministeriis occupemur in Europa.

24. Ad hanc fidelitatem stimulet nos miseranda orbis christiani condicio.

IV. AD PATRES AC FRATRES SOCIETATIS, 27 dec. 1834

De spiritualium exercitiorum S. P. N. studio et usu

(Tom. II, pp. 365-384.)

1. Usus exercitiorum S. P. N. efficacissimum est instrumentum ad renovationem spiritus in Societate.

2. Ex his enim nata est Societas et conservata.

3-8. Quae si hodiedum, licet aeque frequenter, at non eodem fructu tractemus, ut olim Maiores nostri, amplioribus fortasse Dei donis ornati : saltem ipsius libri S. P. studium et usus in nobis vigeat, posthabitis ceteris exercitiorum libris, qui minus S. P. sensum assequuntur, et quorum lectio non est illud exercitium quod S. P. a nobis requirit, sed potius refertur ad exercendos alios; dum contra, S. P. documenta sequentes, nos ipsos exercemus.

9-13. Hunc in finem divino suggerente Spiritu a S. P. conscriptus liber continet : 1° methodos orandi facilimas et efficacissimas; 2° praecipua vitae spiritualis documenta ordine admirabili; 3° sententias ignem spirantes, ut in meditatione de triplici peccato, in eiusdem colloquio, et in contemplatione de Christi Nativitate.

14-19. Itaque omnes familiarem nobis reddamus huius libri usum, et studium non speculativum sed practicum, intellegentes omnem eius doctrinam referri ad propriam abnegationem, in qua totus est; quem fructum ex eo collegerunt Patres nostri, et nos ipsi, in suo quisque gradu colligemus, si haec sancta Exercitia diligenter adhibeamus, et in usum deducamus, divinae gratiae auxilia, per Mariam ad Iesum, et per Iesum ad Deum Patrem accedendo, flagitantes.

V. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 27 dec. 1839

In annum saecularem

(Tom. II, pp. 385-415.)

1. Instans annus saecularis postulat a nobis renovationem spiritus; de qua cum plures exstent Praepositorum Generalium epistolae, nunc consideranda veniunt incitamenta huic tempori propria.

2-12. In primis conspectus proximi elapsi saeculi; initio exhibens florentem ubique Societatem, sed mox absoluta clade afflictam, in Gallia primum, deinde ubique; non tamen a Deo destitutam; cuius benigna Providentiae significationes sunt: 1° Societatis innocentia numquam antea clarius manifestata; 2° ipsa suppressio Passioni Dominicae, vel certe martyrio simillima; 3° Sociorum vita exemplaris post suppressionem; 4° mirabilis Societatis conservatio in angulo Europae; 5° eius restitutio, primum tacita in Alba-Russia et dicione Parmensi, mox publica in Imperio Rossiaco, in Siciliae regno, et ubique; 6° eius inter tantas vicissitudines incrementa.

13-16. Porro haec facta Societatis tria in nobis sensa excitare debent: 1° gratum animum pro praeterito; 2° fiduciam in futurum; 3° sollicitudinem et curam assiduam in praesenti.

17-21. Hanc curam ut renovatione spiritus praestemus, en tria

incitamenta : 1° adversariorum recrudescentes impugnationes; 2° piorum hominum ac bene in nos affectorum voluntas et amor; 3° Ecclesiae necessitates, et spes de nobis conceptae, expositae a Pio VII in bulla restitutionis.

22-25. Exspectationi satisfaciemus, si apta nos reddamus instrumenta in manu Dei, quae similitudo instrumenti propria est S. P. N. docentis quibus mediis nos disponamus erga Deum et proximum, excolendo strenue talenta nostra, sed maius momentum ponendo in rebus spiritualibus.

26-31. Tales ut simus, insistendo in eadem similitudine, praeparationem instrumenti efficiat mortificatio; usum dirigat oboedientia; fructum colligat et servet humilitas, exemplo Patrum nostrorum.

32-33. Denique spes nostra sit in solo Deo. Conclusio.

VI. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 29 ian. 1845

De Societatis progressu et periculis

(Tom. II, pp. 423-443.)

1-3. Scripturo de Societatis progressu et periculis ipsa eius incrementa eam sollicitudinem creant, quam omnibus Sociis communem esse cupit.

4-6. Tanta enim illa sunt, ut ex ipsis oriatur timor multiplex; scilicet : 1° Ne sine delectu admittantur candidati vel inepti vel indigni cum summo detrimento tum Societatis, quod praecipue nostris cavendum ; tum illorum ipsorum, qui sic admittuntur.

7-8. 2° Ne ad munera Societatis adhibeantur nostri non formati, ut iam fortasse magno cum Societatis damno accidit; reparabili tamen, si, qui tales sunt, se ipsi excitent.

9-16. 3° Ne in Societatem introeat spiritus libertatis et independentiae, a postrema Congregatione generali notatus, qui iam in mundo vel a pueritia omnes inficit, in cuius aura et nos

vivere cogimur, et qui propterea nimium facile serpit inter nostros iuvenes, cum subversione spiritus oboedientiae, et totius Societatis pernicie; quae cum instar militiae sit, militum potius necessariam oboedientiam aemulari debet, praesertim cum simus milites voluntarii Christi Ducis.

17-18. Haec interna pericula si vitabimus, adeo non dolendum erit de externis, ut quamvis lugeamus imperfectum nostrum, ex iis ipsis confidere possimus, nos etiamnum veros esse Iesu socios.

19-25. In quibus periculis nostrarum partium est imitari Christi discipulos adversis fluctibus iactatos in navicula, 1° colligendo vela per prudentiam in agendo; 2° coniunctis viribus remigando per caritatem; 3° laborando remis per humilitatem; 4° excitando et desiderando Magistrum per fiducialem orationem. Conclusio.

VII. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 21 sept. 1845

De praesenti calamitate

(Tom. II, pp. 443-456.)

1. In praesenti calamitate afferenda solacia et hortamenta.

2-3. Solacio sunt, Ecclesiae Praesidum amor in Societatem et prudentia, et sociorum in Gallia religiosum obsequium.

4-12. Hortandi autem sumus : 1° Ut humiliemur sub manu Dei; quod iam saepe commendatum, etiamnum aliquibus certe inculcandum est, qui frustra Societatis gloriam sibi arrogant, grato quidem animo memorandam, sed humilitate conservandam; quae quanta sit oportet, si nos cum Constitutionibus et Patrum exemplis conferamus! Vexationum duplex causa : odium impiorum, et nostrae culpae. Posteriorem humiliter agnoscentes, remedium malis afferemus; nam Deus humilibus dat gratiam.

13-16. 2° Ut ex humilitate nostra assurgamus ad Deum per ora-

tionem, humilem nostrarum confessione culparum, et ferventem ex intimo sensu necessitatis nostrae, et quidem totius Societatis.

17-20. Quare praescribuntur preces, praeter ordinarias, quibus Deus exoretur; et unus dies ieiunii statuitur. Conclusio.

VIII. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 1 ian. 1844

De temporum nostrorum acerbitate

(Tom. II, pp. 457-475.)

1-2. Inter atroces calumnias quibus undique impetimur, solacium afferunt :

3-8. 1° Ecclesiae Praesidum et bonorum favor; 2° ministerii nostri a multis expostulatio; 3° missionum longinquarum successus; 4° praecipue beatitudo, quae in sustinendis persecutionibus consistit, quam evidens est Societatem experiri : neque enim culpas qualescumque nostras insectantur impii; sed Societatis nomen propter nomen Iesu.

9-17. Hoc nullum nobis maius esse potest ac divinius solacium; cum summa tamen humilitate suscipiendum, et vero ac efficaci perfectionis nostrae studio; quod voto promisimus, et a nobis requirit 1° Dei gloria, 2° nostra pax et salus, 3° Ecclesiae bonum, 4° incolumitas Societatis. Conclusio.

IX. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 8 iunii 1848

De cultu sanctissimi Cordis Iesu

(Tom. III, pp. 1-23.)

1-3. In praesenti Societatis clade solacium et auxilium nobis praebebit cultus SS. Cordis Iesu exercendus et promovendus. Etenim historia cultus illius et Societatis vicissitudines, praesertim, si attendimus quae ex Provincia Albo-

Rossiaca hic referuntur, suadent illum nobis peculiari modo proprium esse debere.

4-7. Idem suadent rationes intrinsecae : 1° ipsa Domini nostri voluntas non obscure manifestata; 2° ipsum nomen Societatis Iesu; 3° vivendi ratio nobis propria; 4° scopus quem in cultu SS. Cordis sui proposuit sibi Dominus.

8. Concluditur Societatem peculiari modo ad hunc cultum exercendum et promovendum vocari.

9. Nec sufficit externum cultus exercitium; sed intimo animi affectu satisfaciamus ardenti SS. Cordis desiderio.

10. Moveat nos cotidie grassans perversorum impietas.

11-21. Et studeamus cotidiana meditatione sensa SS. Cordis magis cognoscere, ut, secundum verba Apostoli, ab Ipso virtutes omnes nobis necessarias doceamur, et apertum eius latus ingredientes accipiamus : humilitatem; mansuetudinem; benignitatem; resignationem et oboedientiam; zelum verum; modum regendi alios; sed praesertim amorem quo Cor illud SS. aestuat, quique inflammabit amorem nostrum ad toleranda fortiter adversa.

22. Exhortatio ad socios dispersos.

23. Emerget ex hac tempestate Societas.

24-25. Praestanda quaedam. Conclusio.

X. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 24 iunii 1848

De cultu purissimi Cordis Mariae

(Tom. III, pp. 24-27.)

1. Epistola haec velut corollarium est praecedentis.

2. Societas, sese totam Mariae semper professa, anno 1837 Romae, Eius patrocinium potentissimum experta, in praesenti etiam calamitate Illam nobis auxiliaturam fidenter speret.

3. Quare quaedam praestanda in proximo festo Cordis immaculati.

4. Quid nobis orandum.

XI. AD PP. ET FF. ASSISTENTIAE ITALIAE, 10 oct. 1851

De spe ex praeteritis calamitatibus concepta

(Tom. III, pp. 28-37.)

1-4. Ex sollemni beatificatione B. Petri Claver et decreto praevio ad beatificationem V. Ioannis de Britto, Romae redux, occasionem sumit scribendi : gratias agens Summo Pontifici quid dixerit; quid responderit Pontifex modo, simili occasione et loco plane insolito.

5. In abnegatione nostri ipsorum, despicientia mundi et caritate Institutum nostrum totum versatur.

6-11. Ad quas virtutes iam antea saepe exhortatus, ut denuo excitet post saevas procellas, sedata tempestate, inquirit quales simus in spiritu : ferventioresne, an minus ferventes, quamquam praesens tempus maximum fervorem postulat, exspectat Ecclesia Dei, et requirunt exempla Maiorum nostrorum.

12-13. Refellitur obiectio. Concluditur.

EPISTOLAE R. P. N. PETRI BECKX

I. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 15 april. 1855

De votorum observantia

(Tom. III, pp. 38-85)

1-4. Salutatos paterno affectu Socios, pro munere suo gravi, praesertim his difficillimis temporibus; ad exemplum decessoris sui, et ex sententia proximae Congregationis generalis exhortatur omnes ad perfectionem assequendam per fidelem votorum observantiam :

5-10. In primis Paupertatis. Quanti fecerit illam S. Ignatius

ostendunt eius praecepta : ut nulla re tamquam propria uterentur; ut vita esset communis; eius ratio tamquam pauperibus accommodata; diligenda paupertas ut mater; conservanda ut murus firmus.

11. Quae regulae ut serventur singulorum diligentia opus est.

12-16. Ad quam ut excitemur, considerandus finis nostri instituti duplex : 1° propria beatitudo, cuius paupertas primus gradus est et quasi fundamentum ; 2° proximum adiuvare, ad exemplum Apostolorum qui erant pauperes; et antiquorum Patrum nostrorum qui eodem spiritu animati tanta fecerunt; sed praesertim Ducis ac Domini nostri Iesu Christi.

17-19. Deinde Castitatis; qualem a nobis regula requirit merito quidem, iterum ob duplicem finem vocationis : ut sancti simus nobis, et sancti aliis.

20. Qua in re bona fama Societatis, ut pretiosa hereditas, nobis tuenda est.

21-26. Et si res ardua est, non desunt adminicula, videlicet : 1° humilis oratio; 2° carnis mortificatio; 3° sensuum assidua custodia; 4° cura regularum modestiae, et 5° studium rerum spiritualium.

27-29. Denique oboedientiae : quam etsi S. Ignatius in celebri epistola satis commendavit, quia tamen nunc temporis praecipue necessaria est, perpendamus ex Instituto in ea virtute omnem nostram perfectionem quaerendam esse :

30-34. Superiores quoscumque loco Christi Domini agnoscendos spiritu fidei; nec solum opere externo obtemperandum, sed interna voluntate, immo et intellectu. Quem tertium gradum valde sublimem, ut assequamur, oportet nos esse humiles, et omnes animi nostri vires intendere.

35-36. Absoluta enim lex est, nullis certis limitibus saepta, in qua universae Societatis nostrae decor et salus consistit.

37. Recapitulatio totius epistolae.

II. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 8 iunii 1856

De Spiritu S. P. N. Ignatii excitando

(Tom. III, pp. 86-101.)

1-3. Trecentesimus a morte S. P. N. anniversarius dies celebrandus est, licet publice nihil novi consuetis sollemniis addendo, tamen intra parietes domesticos peculiaribus devotionis officiis et sanctis desideriis eius spiritum in nobis suscitando.

4. Necesse omnino est ut ille spiritus conservetur.

5-6. Nec sufficit ad hoc virtus communis ; sed ex verbis Urbani VIII in bulla Canonizationis demonstratur quales nos esse oporteat.

7-12. Idem plenius cognoscimus ex Constitutionibus nostris : quarum si corticem mutabilem esse voluit S. P. N., at minime spiritum paupertatis, castimoniae, oboedientiae, humilitatis.

13-14. Humilitatis tertium gradum amplecti nostrum esse voluit S. P. N.

15-16. Fugiamus ergo quae huic gradui adversantur, memores vocationis nostrae.

17-19. Secus enim ne cortex quidem Constitutionum servaretur, nec certe earum spiritus attingeretur a nobis, quocumque in ordine et gradu constitutis; cum id spectet ad omnes perfectionis studiosos, tum praesertim ad nos nomine Iesu insignitos.

20-24. Hoc voluimus cum amplexi sumus Societatem; hoc praestiterunt Maiores nostri; hoc exspectant a nobis boni, mali vero in nobis oderunt et pertimescunt. Ad hoc denique invitat de caelestis gloriae throno S. Ignatius.

III. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 12 mart. 1864

Quo spiritu tribulationes sint perferendae

(Tom. III, pp. 102-130.)

1. Ratio scribendi desumitur ex afflicto Societatis statu.
2. Ex fine nostro proprio pro Christo militantes, pro Christo persecutionem patimur.
3. S. Ignatius adversitates non timebat, confidens ex his uberiorem fructum perceptum iri.
4. Per adversitates Deus peccantes emendat, et excitat ad meliora. Mundus in nobis Christum persequitur : quanta beatitudo !
5. Deus suos miro modo solatur et protegit; neque extra Deum aliud quicquam nobis timendum est.
6. Patiendum amore Christi, cuius patientis humilitas imitanda nobis. Deus vult ut humiles esse discamus; quam humilitatem S. Ignatius maxime commendat.
7. Hanc etiam in modo patiendi ostendere debemus. In humilitate vita examinanda est. Caritas erga dispersos. Dispersorum officium. Zelus animarum.
8. Patriae amor inordinatus quam nocivus. Victoriae sui necessitas et solacia.
9. Orandum praesertim quia magna pericula imminent. Vigilandum et magno animo pro Deo agendum.

IV. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 2 feb. 1866

De Beatis P. Canisio et I. Berchmanno

(Tom. III, pp. 130-184.)

1-3. Calamitatibus ne deiciamur in sancta nostra vocatione, plurimum valet recens glorificatio BB. Petri et Ioannis.

4-5. Beatificatio haec est defensio Societatis, contra modernos adversarios nostros et Ecclesiae.

6-8. Sed maxime nobis utilis esse debet, erigens nos; contra spiritum saeculi muniens; et novitates vitare docens,

9-11. Mala novitatum modernarum. Remedia contra haec mala. Spiritus nostrae vocationis. Bonum ex magisterio proveniens.

12-14. BB. Petrus et Ioannes omnibus sunt exemplo. B. Ioannes exemplar scholasticorum, quomodo ipsis imitandus : fructus huius imitationis.

15-18. Moderatores quoque Ioannis exemplo iuvandi. Commendatur formatio iuniorum, in virtute et doctrina. Tristes effectus neglectae formationis. Perfectae formationis necessitas.

19. Superiores exemplo praeeant.

20. Idem reliqui Patres faciant, maxime Praefecti spiritus.

21. Professores verbo et exemplo doceant.

22. Professorum exempla quantum aedificent.

23. B. Canisius exemplar esse debet missionariorum, praesertim in oboedientia perfecta. Eius oboedientiae benedictio.

24. Quae mala timenda missionariis, nisi humiliter dirigi se sinant.

25. Ceteri operarii quoque B. Petrum imitentur.

26. Diligenter se praeparent, et tempus bene impendant.

27. Ministeria vitio nostro saepe languent. Studii sacri utilitas.

28. Verba solacii ad dispersos.

29. Dei voluntatem adorent. Multi graviora pro Christo passi sunt.

30. Metus perdendae vocationis plerisque salutaris, modo Deo fidant, et cum Superioribus coniuncti sint.

31. B. Canisius senibus et infirmis solacium.

32. Quid FF. Coadiutores a BB. discere debeant.

33. Virtutes Beatorum omnes imitemur.

34. In Societate non deest virtutis studium.

35. Cur hic adeo commendetur. Pericula quibus exponimur.

36. Oremus et in Deum speremus.

V. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 28 aug. 1870

De refugio in SS. Corde Iesu quaerendo.

(Tom. III, pp. 185-189.)

1-4. Quoniam novae calamitates pertimescendae sunt, persistamus in spe caelestis auxilii, et confugiamus ad Cor sanctissimum Iesu, miserationis plenum, oremusque confidenter, tum privatim singuli, tum omnes communiter.

5. Quaedam praestanda in hunc finem.

6. Denique insistamus exercitio virtutum.

VI. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 1 nov. 1871

De ratione moderandae vitae et de causis solacii in calamitatibus Ecclesiae ac Societatis

(Tom. III, pp. 190-224.)

1-5. Scribendi occasionem praebent Ecclesiae calamitates, et Societatis insectationes; unde vita eius interior periclitatur, ab inertia et libertate.

6-7. Tempus impendendum in comparatione doctrinae, et in studio perfectionis.

8-9. Quî periculis occurrendum ab iis qui domi sunt, et ab iis qui sunt extra domos.

10-12. Erigendus animus fiducia in Deum, qui mala permittit in bonum Ecclesiae : cuius rei iam nunc indicia non desunt.

13-16. Laetandum nobis est in tribulationibus quas patimur; siquidem cum Christo patimur sicuti Ecclesia : quo nihil gloriosius et iucundius; praesertim quod certa sit victoria.

17. Humilitas interim et fiducia in Deum necessaria.

18. Cultus item peculiaris SS. Cordis Iesu, a quo bona omnia exspectanda :

19. Cui proinde peculiari consecrationis actu placet Societatem dedicare.
20. Pietas erga B. V. Mariam.

VII. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 10 oct. 1872

De solacio ex beatificatione B. Petri Fabri

(Tom. III, pp. 225-232.)

1-3. Commota tempestas acrior incubuit in Societatem, tum in Germania, tum in Urbe; timendumque ne ingravescat; neque Europae finibus continetur, sed saevit etiam in America.
4-5. In tantis calamitatibus solacio sit nobis nova beatificatio Petri Fabri. Cuius aemulemur virtutes, eo ferventius quo tempora deteriora sunt, vigilantes et orantes.

VIII. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 5 nov. 1873

De Societate in Urbe et dicione Romana

(Tom. III, pp. 233-238.)

1-3. Proscripta Societate in Urbe et dicione Romana, frustra invocato patrocinio exterorum Principum, Socii dispersi et Praepositus Generalis Florentiam profectus est.
4-7. Quae afflictio, quantumvis magna, ne animos deiciat, adest solacium, et spes preces salutari suo effectu minime frustratum iri.

IX. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 10 dec. 1875

De animarum zelo et de ratione eas iuvandi

(Tom. III, pp. 238-267.)

1-4. Epistolam scribendi ratio, res Societatis afflictae. Eius mala qua nostra, fortiter ferenda; qua mala Religionis, dolenda, zelum nostrum excitare debent.

5-6. Id requirit praeceptum caritatis; id postulat Instituti nostri ratio.
7. Zelus qualis esse debeat.
8. Furor malorum nostrum zelum accendere debet.
9. Maiorum nostrorum zelus uberrimus.
10. Zelus noster minus bene ordinatus.
11. S. Xaverius zeli exercendi Magister.
12-13. In zelo ordo servandus : in primis colendi domestici; tum externi qui magis indigent.
14. Ita egit Christus et Apostoli.
15. Errant qui speciosiora aucupantur.
16-20. Praecipue excolendi sunt pueri. Excolendi sacerdotes. Parce excolendae mulieres. Magis iuvandi sunt viri. Hinc minus periculi et plus lucri. Occurritur obiectioni.
21. In ministeriis habendus delectus.
22. Exercitiorum spiritualium utilitas et usus.
23. Armis a Maioribus usitatis pugnandum.
24. Propria perfectio optimum remedium salvandi animas. Quantum iuvet cultus sacratissimi Cordis.
25. Praecipue curandi et iuvandi dispersi.

X. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 16 iunii 1881

De iis quae praestanda sunt in praesenti temporum calamitate

(Tom. III, pp. 268-297.)

1. Persecutio in Ecclesiam et Ordines religiosos, et in primis in Societatem nostram, cotidie ingravescens, praebet huius novae epistolae argumentum.
2. Coacti iuvenes nostros in alias regiones amandare, utamur hac necessitate ut recte instituantur : quod quamvis difficile fuerit ante, nihilo minus dolemus fuisse praetermissum.
3. Sedulo examinentur candidati.

4. Diligenter probentur Novicii.
5. Iunioribus recte formandis aptissimi Praeceptores assignentur, et urgeatur linguae latinae usus. Sensus hac in re Congregationis XIV.
6. Digressio de spiritu nationalitatis, a spiritu Societatis prorsus alieno.
7. Ut scholastici disciplinis philosophicis et theologicis rite instituantur, tempestive mittantur ad studia; aptissimi autem per biennium ea recolant; lectores doctrinam S. Thomae sequantur. Serio monendi qui aliter sentiunt et loquuntur. Hortatio R. P. Ignatii Vicecomitis.

8-9. Quid erga proximos praestandum. Licet Societas e domibus ac templis suis eiecta sit, non ideo cessare debemus, sed magis nos impendere ad exemplum Apostoli. Plura enim ministeria exercere possumus.

10. Encyclica de zelo animarum prae manibus habenda. Levia et nova non consectanda; multo minus quae aliena ab Instituto : qualis est cura monialium aut quarumcumque mulierum in communi viventium.
11. Quid senserit hac de re S. P. Ignatius. Eius ad Pontificem libellus supplex. Summi Pontificis declaratio. Quid in Constitutionibus statuatur. Exceptionis interpretatio. Quomodo se gesserit S. P. Ignatius.

12-13. Non claustrales tantum, sed quaecumque in communi vivunt arcendae a nostrorum confessionibus : ut expresse decrevit Congregatio VII, et confirmavit Congregatio XX, et Praepositi Generales in suis responsis saepius, ac denique summi Pontifices.

14. Cautio adhibenda, ubi absoluta necessitas cogit. Quaenam sint ministeria propria Societatis, exercenda cum fructu hoc tempore.
15. Quae praestanda, ut quisque propriae perfectioni consulat.
16. Etiamsi pauci, pristinam teneant vivendi rationem.
17. Tempus utiliter terant ex nutu et voluntate Superiorum.

18. Caveant ne effundantur ad exteriora.
19. Nec se rebus saecularibus et politicis immisceant.
20. Rogati autem ab Episcopis et Curionibus libenter dent operam pro animarum salute.
21-22. Ratio habeatur religiosae paupertatis, eiusque perfectionis assequendae : proposito primorum Patrum exemplo.
23-24. Impedimenta inde amovenda : primo species quaedam honestatis ; secundo aeque fallax species caritatis.
25. Denique ad orationem recurrendum, in eaque ferventer ersistendum.

In duplici hoc Indice omissae sunt Appendicis Tomi III. Epistolae ad usum Superiorum ; quae, si tomus ille denuo edatur, omittendae erunt et transferendae in editionem novi libelli « Praepositorum Generalium selectae Epistolae et Documenta ad Superiores. »

EPISTOLAE R. P. N. ANTONII M. ANDERLEDY

I. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 8 iunii 1884

De litteris encyclicis SS. Dñi Leonis PP. XIII : Humanum genus

(Tom. IV, pp. 1-25.)

1. Societas nostra, obnoxia Christi Vicario, ad ipsius nutum parata sit falsis opinionibus et coetui perverso vera principia et coetus catholicos opponere.
2. Quare imprimis docendi sunt pueri ; tum fovendae sodalitates B. M. V., quarum ab instituta Prima Primaria trecentesimus annus agitur. Harum efficaciam testati sunt SS. Pontifices, Rege et Principes, viri nobilissimi, et publica consi-

lia. Annales vero nostri illarum fructus memorant in Italia, in Hispania et Lusitania et extra Europam.

3. Pari studio similes fructus percipiemus, si, quod de cura iuvenum Episcopis commendatur, etiam nobis praeceptum esse reputemus. Quare illos a clandestinis societatibus cavere, quavis occasione doceamus. Opus illud aggrediamur nihil cunctantes, nihil trepidantes, nulli labori parcentes: Dei enim haec est voluntas, ut omnes Patres illud sibi commissum existiment.

4. Hortanti Christi Vicario oboedire, quod nos docuit S. P. I.; salus est ac vita nostra. Ad nutum ergo illius tantum opus aggrediamur, nobisque Deus cum S. Pontifice benedicet.

II. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 1 nov. 1887

De cruento BB. Edmundi Campiani et sociorum ac de incruento nobis subeundo martyrio

(Tom. IV, pp. 26-94.)

1. Insignem Anglicorum Martyrum gloriam sibi gratulatur Ecclesia, Britannia, Iesu Societas, Provincia Anglica, Hibernia.

2-5. In sola vero gloria conquiescendum nobis non est. Sed imitandum incruentum B. Edmundi et sociorum martyrium, mitius quidem, sed longius, positum in abnegatione carnis, sensuum, amorisque proprii et mundani, in militia sub crucis vexillo; primo et semper ante oculos habendo Deum, et amovendo ea quae a Deo abducunt animum, quod praecipit regula octava de parentibus.

6-7. Hi relinquendi. Praemia promissa relinquentibus non corpore solum, sed etiam animo, et odium habentibus in parentes illos, qui a Deo ipsos abstrahunt.

8. Amor parentum sit spiritualis; erit spiritualis, si primo et

semper Deum habemus ante oculos, si mortui mundo vivamus Christo Domino.

9. Ita vivebat S. Ignatius. Ita filii eius : S. Franc. Xav., S. Franc. Borgias, P. Condignus Gonzalez Silveira, P. Balth. Alvarez, P. Antonius Pinas et plurimi genuini Societatis filii.

10-12. Gloriam Dei parentibus anteponere nos docuit Divinus Salvator, idem Abraham patriarcha, magnum ideo praemium consecutus. Idem praemium nobis petiit S. Ignatius, oblivione delentibus parentum memoriam.

13-14. Quam oblivionem iuvat ordinatio P. Cl. Aquavivae, inculcat animis P. Mutius Vitelleschi.

15-17. Opponitur alia nunc esse tempora. Respondetur : Esto, sed eadem sit virtus. Idem certe est Deus qui dedit Abrahae praemium, grandem progeniem; eandem dedit Societatis filiis merentibus, non iis qui carne vincuntur et sanguine.

18-20. Hi enim damna inferunt Societati, sibi ipsis, praesertim si parentum se implicant negotiis; ipsis parentibus nocent.

21. Rem quibusdam difficilem regula octava summarii postulat; vincitur vero difficultas proposito nobis exemplo B. Edmundi et Soc., et memoria vocationis nostrae.

22. A parentibus iubemur abstinere, ut adiuvandos ad salutem consequendam homines Societas nos habeat paratos. In quo munere magis etiam Deus ante oculos habendus.

23-29. Quod intendit S. Ignatius, hunc ordinem rerum gerendarum praefiniens, qui ad divinum quam maxime accedat : ut iis, qui valent auctoritate, demus operam, ut operibus spiritualibus, dein iis quae non patiuntur moram, tum iis quae Societatis sunt propria, qualia sunt : collegia, missiones, doctrina christiana pueris et rudibus tradenda, opera humilia, tum quibus alii non vacant, v. g. paroeciis, denique iis quae sunt minus periculosa, tandem iis quae sunt pluribus utilia, quae diuturniora.

30-37. Haec S. Patris norma locum abnegationi et martyrio

praebet. Ex ea id sequetur, ut agamus ordinate, ut sancte, sine effusione animi ad exteriora, generatim; speciatim, ad ea quae, ut minus utilia, ita magis periculosa sunt; ut solide, quod in primis contionatorum est, etiam confessariorum; ut oboedienter, coniunctis animis et viribus. Coniunctioni obest proprius amor, qui vincendus est.

38. Laudatur Institutum a Christi Vicariis.

39-40. Nobis necessaria est cognitio Instituti. Ideo subinde recolendum est, magna reverentia, sine praeconcepta opinione ab exemplo vel consuetudine petita.

41. Recolendum est Institutum animo id exsequendi.

42-44. Laeti exsecutionis fructus. Quinam his fructibus obesse possint. Iuvandum est superiorum in regula exsequenda studium.

45-46. Exsequenda etiam, quae sunt naturae odiosa. Quod iure optimo postulat Societas; suadet etiam temporum ratio, non indormiendum esse malis.

47-52. Exsequenda in primis, quae ad proprium officium, quae ad paupertatem, oboedientiam, in servanda regula de socio, in visitationibus externorum, scribendis epistolis et clausura; et caritatem pertinent.

53. Malorum remedium in legibus nostris. Quare servandae omnes magno animo. Exemplum martyrum nos excitare debet.

III. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 29 sept. 1888

De munere provehendi cultum SS. Cordis Iesu Societati nostrae abhinc duobus saeculis demandato

(Tom. IV, pp. 95-116.)

1. Immensa sunt Dei beneficia collata etiam in homines gratiarum immemores. Beneficiis nova semper addit beneficia Deus.

2. Cor tandem suum exhibuit hominibus, nosque edocet, Cor

suum sanctissimum esse colendum, ut est amoris symbolum.

3. Haec symboli ratio maxime convenit SS. Cordi : quia ortum est ex amore divino, quia hunc amorem continuat, agendo, patiendo, dona maxima promittendo omnibus, praesertim Societati nostrae.
4. Huic munus committit provehendi cultus SS. Cordis. Quod beneficium S. Parenti Ignatio debemus et in primis Sanctae Dei Matri.
5. Retinendum est hoc beneficium fideliter obtemperando legibus nostris et offerendo Salvatori Divino cor nostrum coniunctum cum Deo, divulsum a rebus creatis, divulsum a se ipso, apertum superioribus, fratrum amans, cor generosum.
6. Ad haec exsequenda nobis adsunt SS. Corda Iesu et Mariae, quibus iam sunt sacrata corda nostra. Hoc anno saeculari denuo sunt sacranda.

IV. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 8 dec. 1890

De repetenda subinde SS. Petri, Ioannis et Alphonsi praeclare gestorum memoria

(Tom. IV, pp. 116-217.)

I. 1-2. S. Alphonsi animi demissio, in pretio apud homines et apud Deum.

3. Eam tamen vitant multi, qui spernunt superbos, dum his similes esse volunt.

4-6. Sunt expertes verae sapientiae, quam docet Apostolus et exemplum Christi Domini.

7. Eam cognovit S. Alphonsus, non optans laudem, desiderans contemptum.
8. Eam didicit ex S. Ignatio.
9. Eadem nobis discenda.

10-11. Hac consecutus est S. Alph. familiaritatem cum Deo,

12-13. Singulare donum orationis, favores B. Virginis.

14. Modum orandi tenens S. Ignatii, omnes virtutes adeptus est.
15-16. Imitatores S. Alphonsi quinam sint.
17-18. Sunt viri rite formati, qui valde iuvant Societatem.
19. Hi vicissim iuvandi benignitatis significatione, officia eorum magni faciendo.
20. Haec magno in pretio sunt apud Deum ; quod testantur divi favores.
21. Humilia munera sibi gratulatur S. Alphonsus.
22. Ad humilia nos invitant Constitutiones nostrae.
23. Frequens SS. Ignatii et Franc. Xaverii de animi demissione admonitio ;
24. Hanc virtutem requirit aetas nostra.
25. Eam commendant SS. Alphonsi et Ioannis exempla.

II. 1. S. Ioannes vitam agit caelestem in Collegio Societatis Belgico, in tirocinio, et Romae inter scholasticos sanctitatis laudem conciliat
2-7. *Sibi ipsi,* vita interiore, solitudinis amore, ad exemplum sanctorum et ipsius Christi Domini.
8-10. Haec exempla secutus S. Ignatius, solitudinem praefinivit scholasticis, temperatam solaciis domesticis et religiosis.
11-12. Ex fide vivit S. Ioannes, perfectione eminens.
13-14. *Societati* laudem conciliat, mori potius quam minimam regulam praeterire paratus,
15-16. Regulis orandi, regulis officii obtemperat.
17. Vitam communem sequitur ;
18. Censet esse pestem immunitatem legum.
19. Sensuum licentiam frenat.
20. Non facile petit facultatem generalem. Ioannes nostro Instituto sanctitatem, Institutum Ioanni laudem sanctitatis debet.
21. *Superioribus* quoque laudem conciliat Ioannes.
22. Qui praesunt, legum similes sint oportet.

23. Fuerunt tales S. Ioannis moderatores, neque desunt nostrae aetati.
24. Iuvantur in gubernando oratione,
25-26. Industria rerum spiritualium Praefecti, rite formati;
27. Iuvantur exercitiis S. P. N.;
28. Iis, quae in deliciis fuerunt S. Ioanni; lectione pia ad mensam.
29. Arcendae a iuvenibus ephemerides;
30. Magis etiam fictae narrationes.
31-32. Gubernationem iuvat modestia, qua excelluit S. Ioannes.
33. Quare morte ereptus in flore aetatis?

III. 1-4. S. Petrus Claver, iuvenis, scholasticus, in America cum P. de Sandoval.
5. Curam mancipiorum suscipit.
6. Longum hoc martyrium est:
7. Nigritarum morbi;
8-10. Eos erudiendi difficultates; oppositiones, accusationes, reprehensiones, poena gravis.
11. Regularum amantissimus S. Petrus,
12. legibus nostris primas tribuit.
13-15. Omnia exsequitur duce oboedientia erga Superiores Societatis, erga externos,
16-19. caritatis et oboedientiae praebens exemplum congruens menti S. Ignatii, S. Francisci Xaverii, Congregationis duodecimae.
20-21. S. Petri imitanda humilis oboedientia, tentata a Superioribus;
22-23. imitanda legibus obtemperatio de scribendis epistolis,
24-25. de socii regula constanter servanda inter plurimas difficultates;
26-27. imitanda fidelitas in officio Ministri gravissimo;
28. imitandum studium animarum;
29. imitanda mortificatio.

30. Imitanda haec, quoad vires suppetunt,
31-35. amore Dei, desiderio iuvandi homines quibus alii praesto non sunt, ad exemplum missionariorum nostrorum, spe gloriae sempiternae, partae observatione fideli Instituti.
36. Institutum igitur cognosci debet.
37. Damna ignorantiae Instituti non levia, quorum gravissimum est falsa opinandi ratio,
38. tum generatim, tum speciatim de dignitatibus;
39. de paroeciis,
40-41. de monialibus et de feminis simul degentibus.
42. De socii regula.
43-44. Vis legum repetenda est a fontibus iuris nostri, non a consuetudine quacumque. Non inveteravit Societas. Priscae fidelitatis documentum.

V. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 21 nov. 1891

De vanitate rerum humanarum exemplo S. Aloysii contemnenda.

(Tom. IV, pp. 218-267)

1. Despicit mundum Aloysius.
2. Etiam a nobis spernendus est mundus, ex carne ortus, cum spiritu pugnans, discidium inferens in humanum genus. Ex quo surgunt duae civitates, Dei et hominum.
6-8. Ad hanc pertinet mundus vanitati deditus, insipiens, spe orbatus, contumax in Deum, saeviens in homines, positus a Christo Dno in culpa ingrati animi, odii in Salvatorem, amatus ab hominibus ignavis.
9. A nobis est debellandus :
10. I. In nobis, quia Deo sumus dicati, proinde separati a mundo,
11-13. lege clausurae, lata a S. Pio V, a Gregorio XIII, a Bened. XIV, a S. Ignatio, a S. Franc. Xaverio;

14. lege separationis a parentibus,
15. quam praefinit S. Ignatius,
16. suadent viri gravissimi,
17. firmat ordinatio generalis,
18. necessariam probant damna effusionis animi et curiositatis.
19. II. In aliis hominibus : in discipulis,
20. a quibus arcenda levitas ;
21. in pueris pauperibus ;
22. in sodalibus B. V.,
23. etiam opificibus.
24-25. Nec obstat regula de Socio necessario servanda ;
26. avertenda vero a sodalibus profana.
27. III. Mundus debellandus a scholasticis et tironibus armis S. Aloysii :
28. puritate animi,
29. paupertate,
30. caritatis lege.

EPISTOLAE R. P. N. LUD. MARTIN

I. AD PATRES ET FRATRES SOCIETATIS, 4 oct. 1896

De aliquibus nostrorum temporum periculis cavendis

(Tom. IV, pp. 268-332.)

1. Desiderium invisendi et solandi Nostros omnes.
2. Prudentia vetuit huc usque ne litterae ad universam Societatem darentur.
3. Gratiae Deo habendae ob singularem redintegratae Societatis tutelam. Deo etiam debemus restitutae Societatis incolumitatem et incrementum ; non hominibus.
4. Suae etiam gratiae debentur Nostris ob indefessos labores in vinea Domini.

5. Propositum epistolae : praecipua nostrorum temporum pericula denuntiare ut Nostri sibi caveant.
6. Malus daemon singulare bellum indicit religiosis viris; sed transfigurat se in angelum lucis, ut facilius eos fallat.
7. Tentationes sunt semper eaedem natura, sed forma diversae;
8. nostris autem temporibus duae sunt praecipuae, animi levitas et falsae libertatis amor.
9. Diabolus, causatus multiplicis scientiae suppellectilem nunc necessariam, scholasticis nostris suadet, ut, antiqua nostra posthabita, recentiorem sequantur studiorum rationem.
10. Ad quam scientiae levitatem ipsa corporis imbecillitas inclinat; domestica educatio disponit; publica institutionis ratio compellit.
11. Huic levissimae formationi nostram etiam accommodandam contendit.
12. Obiciens recentiorum disciplinarum necessitatem ad impios iisdem armis oppugnandos.
13. Quod ineptum deprehenditur, si agatur de peculiari aliqua disciplina addiscenda; contrarium Instituto et vocationi nostrae, si de omnibus disciplinis recentioribus cum detrimento Philosophiae et Theologiae.
14. Hinc Congr. Gen. XXIV nostram Rationem studiorum iterum inculcavit. Hac via fas erit proximos iuvare absque nostro periculo.
15. Sub specie zeli impellit ad exteriora : adeoque primum impedit solidam formationem; deinde debilitat spiritum; denique temere impellit in ministeria :
16. Paulatim vero ad alia, a nobis aliena, avocat.
17. Ab Instituti praescriptis avertit.
18. Periculum hoc hodie praesentius quam antea.
19. Quare iure meritoque Praepositi et Congregatio Generalis nos admonent.
20. Exitiosi enim sunt huius tentationis effectus.

21. Aliud malum praeterea timendum : ephemeridum et libel lorum colluvies.
22-23. Quibus mediis hoc periculum removendum sit.
24-26. Damna, quae ex vana lectione timenda sunt menti, animo, ministeriis nostris.
27. Haec non infirmantur ex obiecta necessitate huius lectionis ad ministeria melius obeunda.
28. Damna quae inde timenda sunt toti Societati.
29. Pro viribus ergo animi levitati obnitendum.
30-31. Revocemus in mentem S. Ignatii spiritum qui veritatibus supernaturalibus in agendo regebatur, et a rebus ludicris abhorrebat ut solum de Dei gloria cogitaret.
32. Hunc spiritum filiis suis reliquit in Constitutionibus.
33. Inde dignoscendi erunt veri filii Societatis.
34. Altera tentatio est qua nos ad libertatem provocat.
35. Exitialis effrenatae libertatis spiritus ubique regnans.
36. Perniciosissimi huius libertatis effectus.
37. Ex hac magnum imminet periculum etiam religiosis viris;
38. quia tales errores sensim mentes irrepere solent;
39-40. eo magis, quod ipsa domestica educatio ad hanc libertatem informatur, et deinde vix umquam exuitur.
41. At certe aliquod saltem germen timendum est.
42. Hic spiritus omnino discrepat a spiritu Societatis. Quare ad illum avertendum S. Pater Noster praescripsit mensem Exercitiorum spiritualium; et ne quis admitteretur sine proposito aut desiderio christianae abnegationis.
43. Oboedientiam et humilitatem voluit tamquam tesseram sociorum.
44. Et merito; quia a spiritu libertatis gravissima mala Societati timenda sunt.
45. Si vigeat spiritus Societatis, non multum oberunt externi hostes :

46. Immineret autem ruina, si mundanum libertatis et superbiae spiritum admitteremus.
47. Nec minus imminet periculum, si, de nobis ipsis modesti, de Societate superbiamus :
48. Aut ob falsum illius amorem sectemur speciosa in oculis mundi.
49. Quare in omnibus, et interioribus et exterioribus, humilitas exhibenda est.
50. Verus Societatis amor consistit regularum custodia et impenso studio nostri finis assequendi.
51. Ita illum senserunt S. Pater Noster, et omnes Sancti ac Beati fratres nostri.
52. Praeclarum exemplum Beatorum Rodulphi Aquaviva, Antonii Baldinucci et Bernardini Realino imitandum proponitur.

II. AD PROVINCIALES SOCIETATIS, 1 martii 1900

Quo studio tradenda sint exercitia spiritualia S. P. N. Ignatii

(Tom. IV, pp. 333-336)

Occasione Litterarum Apostolicarum quibus Leo XIII laudibus prosequitur tum ipsa S. Ignatii Exercitia Spiritualia, tum Provincias illas quae domos exercitiorum in gratiam operariorum christianorum erexerunt, plurimum commendatur studium impensum et diuturnum libelli Exercitiorum, sine quo usus Exercitiorum eximiis illis fructibus destituetur, qui eum olim consequebantur.

III. AD PROVINCIALES SOCIETATIS, 15 apr. 1905

Gravissimi morbi sui occasione

(Tom. IV., pp. 337-341.)

Cum preces, ad recuperandam eius sanitatem effusae, nondum impletae essent, novendialem devotionem in honorem SS. Cordis Iesu instituendam praescribit; hac opportunitate usus, Societatem fortasse extremum alloquens, omnibus gratias agit pro caritate qua eum omnes, morbi praesertim tempore, prosecuti sunt; tum Societatem hortatur ad perfectam Christi cognitionem, amorem intimum, et ad SS. Cordis dovotionem propagandam.

II. SYLLABUS ALPHABETICUS

Numeri parenthesi interpositi paginas primi, secundi, tertii vel quarti tomi designant; et qui vel semel in quovis tituli membro indicantur loci, ii ut plurimum pro aliis quoque eiusdem tituli partibus indicati censentur.

Abdicatio bonorum temporalium (II, 93) : *vid.* **Renuntiatio**
Abdicatio voluntatis ac iudicii (I, 33) : *vid.* **Abnegatio.**

ABNEGATIO, quam Christus in discipulis suis requirit (I, 69), tamquam fundamentum nostrae in Societate vitae sit oportet (I, 186, 187. II, 26, 326). Debet esse vera : tum propriae voluntatis et iudicii (III, 137), quod animae sceptrum est sub monarcha Deo moderandum (I, 444-446. Cf. III, 80. *vid.* **Oboedientia**); tum universi amoris sensualis (II, 327), quae vitae commoditates respuit (I, 368-370. Cf. II, 247, 248), contemnit terrena omnia (II, 249, 250. III, 216), incommoda laboresque apostolicos unice quaerit (I, 375, 376) et in iis gloriatur (I, 467. Cf III, 113).

Ad propriam abnegationem omnia referuntur (II, 379, Cf. I, 106) virtutum praesidia, ut omnibus communiter nostris, ita missionariis longinquis non communi modo necessaria (II, 360, 361). Totum enim nostrum Institutum versatur : primum quidem in nostri ipsorum abnegatione et mundi despicientia (IV, 221); deinde in exercitio caritatis (III, 31); ad quas virtutes Pius IX memorabili nuper occasione exhortatus est (III, 29. 30).

Ad abnegationem exercendam, quo naturae accidit haec difficilior (III, 63), eo magis moveamur (II, 327) :

1° Necessitate propriae perfectionis (III, 200) : ne nube amoris

proprii a divino lumine destituamur (I, 70), et in pluribus rebus obruamur impedimentis (I, 187. Cf. III, 34). Hinc tantum proficies quantum tibi ipsi vim intuleris (II, 202).

2° Necessitate auxiliandi proximis (III, 53-56) : ut fructificemus (III, 35, 222), neu factis improbemus quod verbis docemus (I, 128), altera manu destruentes quod altera aedificamus (II, 328), praesertim quod Institutum nostrum saepe ardua exigit (III, 100. Cf. II, 338, 339), quae non nisi generosa sui victoria (II, 360. III, 124-126) et assidua mortificatione (I, 127) quisquam poterit superare (III, 129. Cf. I, 443, 444).

3° Amore Societatis (II, 309) : cui nemo sine hac abnegatione serio adhaerere potest (II, 327), et quae, ne vana sit nostri amoris protestatio, diligenda nobis est opere et veritate (II, 326-328. Cf. III, 94).

Maximi vero interest ut hoc abnegationis opus a primordiis religiosae vitae omnes arripiant (III, 145. IV, 320).

Efficax subsidium habemus in Exercitiis spiritualibus S. P. N. (II, 383. III, 172. IV, 319), quorum tota doctrina in veram perfectamque abnegationem resolvitur (II, 379, 380). Quem fructum ex illis collegerunt Maiores nostri (II, 381, III, 99), et nos in suo quisque gradu ipsi colligamus (II, 382. III, 96, 98), confugientes ad Cor SSmum Salvatoris nostri (III, 221, 222).

ACERBITAS nostrorum temporum (II, 457-475) : *vid.* **Adversa**.

ADMITTENDI, utinam permulti a Deo in hanc vineam suam mittantur (I, 72) !

Sed quantopere ad bonum commune faciat ut sedulo examinentur (I, 56. II, 6, 7), neu qua praepostera caritate, inani spe, immoderata amicitia aut vanae gloriolae sensu admittantur inepti, vel indigni (II, 425, 426), quibus aucta multitudine turba augeatur (II, 243, 244), tristis experientia docet (I, 57. II, 11, 427, 428).

In admittendis habeatur delectus quem Constitutiones requirunt (I, 62, 192), et ideo examinatores severe potius quam

remisse officio suo fungantur (III, 272). Examinanda vocatio et dotes praesertim spirituales (II, 8). Distinguendi defectus aetatis et naturae (II, 9). Quamquam ingenium et valetudo quoque necessario spectanda sunt (II, 10), non adeo excellens ingenium exigitur in omnibus, ut eius defectus compensari cordis humilitate non possit (II, 10, 11).

ADVERSA, quo nomine veniunt tribulationes et persecutiones (II, 332), difficultates et acerbitates (II, 459), calamitates (III, 130), clades (III, 1), direptiones (III, 193, 228, 233), exsilia (III, 103), proscriptiones (III, 268), dispersio sociorum (III, 266), quicquid denique infestum et acerbum Societati (III, 210, 211) : nullo umquam tempore nunc hac nunc illa ex parte defuerunt (I, 283. Cf. II. 257-307, 392), nec defutura S. P. N. inde a primis Societatis exordiis divinitus intellexit, expetivit et postulavit (II, 333, 447, 460. Cf. III, 107); magis tamen premunt his temporibus (III, 102, 225-229, 268, 269), cum fluctibus iactata cymba Societatis (II, 345) procellis scopulisque luctatur (I, 283).

Haec, qua parte in Dei offensam redundant, summopere deflenda, zelum nostrum accendere debent (III, 240. Cf. I, 229, 230); qua vero parte nos ipsos tangunt (III, 239), sunt occulta Dei beneficia (I, 287,) et dona insignia (II, 333), quae S. Ignatius inter praecipua numerare solebat (II, 455), et S. Franciscus Borgia inter tria munimina Societatis recensebat (I, 363. Cf. III, 108). Pro his gratiae habendae divinae Bonitati (I, 284), nobisque gaudendum et gratulandum (II, 271, 234, III, 209, 210).

Etenim sive a Deo ut flagella incutiuntur (I. 223), sive auctore daemone (I, 288) ab hostibus Ecclesiae (II, 449, III, 212, 213) aut diversis hominum generibus inferuntur (I, 283. Cf. II, 473, 474. III, 135), dubitare non licet quin a divina Providentia in bonum nostrum ordinentur (III, 236), eo fine :

1° Ut meliores nos reddant et cautiores (II, 438), expiando peccata nostra (I, 224. II, 268, 338. III, 109), expurgando affectus nostros ab omni inordinatione (II, 269), excitando nos ad vir-

tutem (II, 257, 270, 470), ad mutuam caritatem (I, 291, Cf. I, 364, II, 439, 440. III, 121) et maiorem cum Christo similitudinem (II, 334-336, 461, 464. III, 113, 211).

2° Ut humilibus et fiducialibus precibus ad Deum recurramus (II, 258, 441, 451. III, 126, 296), ferventerque in his perseveremus (II, 262, 279. III, 231, 232).

3° Ut cum taedio huius vitae (III, 192), inspirent caelestis patriae desiderium (II, 270) et abundantiorem gloriam nobis comparent, si tamen, ut opertet, ea sustineamus (II. 268, 269. III, 112).

Ad hoc necesse est ut accipiamus a manu Dei et perferamus ea (II, 265) :

1° Humiliter (II, 283, 446. III, 118, 119, 217), in spiritu paenitentiae (II, 452, III, 110), cum sancta sollicitudine (II, 264, 337. III, 200-204) examinantes nos (I, 284, 285. II. 284. III, 120, 121), et emendantes imperfectum nostrum (I, 286. II. 339, 340, 450, 465. III, 32, 129, 181, 182, 231).

2° Patienter (II, 267, 295, 399-401), conformantes nos divinae voluntati (II, 278), ad imitationem Christi et Sanctorum (II, 269. III, 19-21, 116-118, 172) : quae conformitas tamen non minuit doloris sensum (II, 279. Cf. III, 193).

3° Cum fiducia et spe (II, 272, 296, 341), plus solito ad orationem recurrentes (I, 286. II, 266, 280, 453, 454, 472. III, 188, 237, 296, 297), rogantes Deum pro ipsis inimicis nostris ut eos convertat (III, 128), et ardentius in proximi salutem elaborantes (I, 288, II, 441. III, 123, 199, 282-284).

Ita si fecerimus, erimus ambidextri ad mentem Cassiani (I, 287), nec erit quod nimium formidemus externa pericula (II, 442), carceres, vulnera, mortem (II, 342. III, 213, 214), rerum penuriam (II, 343), separationem ac dispersionem Sociorum (II, 344, 345) ; sed quaecumque tandem futura sint nobis (III, 217, 237), fient nobis arma iustitiae (III, 129) servientque gloriae Dei (II, 271. Cf. III, 114, 115, 205-208, 214-216), in Cuius manu sortes nostrae (II, 267), qui non patietur nos tentari

supra id quod possumus, (II, 444), qui nobiscum est in tribulatione (III, 235) et faciet cum tentatione proventum (III, 101), ex nostris incuriis eliciens cautionem et ex nostris calamitatibus bonorum nobis faciens accessionem (I, 55).

AMBITIO erat primis Patribus nostris plane inaudita (II, 124), eiusque pericula voluit S. P. N. a Societate arcere (III, 93).

Ne vero huic porta aperiatur, maxima cura pervigilandum est (I, 55) in admittendis candidatis (I, 56, 57), in formandis iunioribus (I, 61. II, 26), in renuntiatione bonorum (I, 450, 451), in promotione ad gradum (II, 140-145) vel quaelibet Societatis munia (II, 146, 147), etiam in proponendis candidatis ad regimen (II, 223, 224).

Ut, omni specie ambitus amota, sola virtus aestimetur (II, 154, 155), distinguendum inter blanditias ambitiosorum et amorem obsequentium (II, 156, 157), compescendus immodicus amor patriae et propinquorum (II, 150), et nemo commendandus nisi ob virtutem (I, 377, 378). Ne superbi, ambitiosi, gloriaeque cupidi videamur (I, 290), de quo vitio saepe homines nos exagitant (I, 380), in contraria enitendum est vera demissione et humilitate (I, 381, 382. Cf. II, 315-318), iis praesertim qui splendida ministeria obeunt (II, 73-77) vel speciosa in oculis mundi (II, 313, 314).

AMOR Dei immensus (I, 2) : *vid.* **Perfectiones divinae.**
Amor proximi (I, 15) : *vid.* **Caritas, Zelus.**
Amor proprius (I, 6) : *vid.* **Vetus homo.**
Amor Societatis (II, 307) : *vid.* **Societas Iesu.**
Amor crucis (I, 453) : *vid.* **Iesus Christus, Renovatio.**

ANGELI alii mali delapsi sunt superbia (II, 27, 28) ; boni alii curiam caelestem efformant (I, 9), coram quibus cotidie offertur Eucharisticum sacrificium (I, 333).

Hi nobis imitandi sunt in rebus agendis (I, 437, 447. Cf. I, 312. II, 43), quorum sublimissimum officium aemulamur duplici

fine nostro (I, 4, 148. II, 320) et quorum subordinatam seriem imitatur Societas (I, 46), quibus etiam spectaculum facti sumus (II, 112, 299, 392. III, 108). Voluit S. P. N. Ignatius tot angelos quot filios instituere (II, 12, 21, 22), per perfectam votorum observationem (II, 32-34. Cf. III. 57-61). Hoc patrimonium a maioribus acceptum tueamur, et fideliter posteris transmittamus (I, 437. Cf. III, 63).

Angelus praeses (II, 131) et Angeli custodes Societatis nostrae invocandi (II, 275) : quorum ministerio preces nostrae ad Patrem misericordiarum perferuntur (II, 261, 305. Cf. III, 183). Quanta securitas in eorum custodia (I, 303)!

Illustri angelorum nomine designat S. Ioannes septem in Asia praefectos (I, 21. II, 12).

ANNUS SAECULARIS a fundata Societate primus, ut vere iubilaeus esset, renovandus fuit primaevus spiritus et ardor (I, 387, 390, 400).

Annus saecularis a confirmata Societate tertius, pari renovatione celebratus (II, 385-415) cum indulgentia plenaria (II, 420).

Annus saecularis a morte S. P. N. Ignatii tertius, solum intra saepta domestica renovatione spiritus festivus fuit (III, 86, 87).

ANTIQUIORES observantia qua decet colendi sunt adulescentibus (I, 379), exemplo suo praeeuntibus ipsis Rectoribus (I,202). Sed et ipsi exemplum praebeant aliis (I, 201), perpendentes quam et impense obesse et prodesse insigniter possint (I, 378). Semper tueantur auctoritatem Superiorum (II, 211, 212), et gloriosum sibi ducant si cum noviciis oboediendo certare (II, 83), et vitae spiritualis elementa, quae tirones didicerant, non oblivisci seniores videantur (III, 164).

Praerogativa aetatis, sicut in omnibus plane ministeriis, ita in iis quae tractantur ingenio, indignior est (II, 31).

Senibus, bene praesertim meritis, aliquid indulgendum (II,39), quibus solacio offertur exemplum B. Petri Canisii (III, 176, 177).

APOSTOLI, quorum coetus principatum Christus tradidit Petro (I, 21) et quorum vestigiis insistunt missionarii longinqui (I, 50), exemplo nobis sint in exercendo zelo (I, 227, 272, 466. III, 254), in studio paupertatis (II, 65-67. III, 53-55) et amore crucis (I, 83-84. III, 113). Summa quoque beatitudo est partem aliquam et societatem cum iis donari nobis in persecutionibus (II, 335, 336, 463, 464. III. 213, 214).

Principum Apostolorum Petri et Pauli protectioni voluit S. Ignatius Societatem devotam semper inniti (I,115. Cf. I, 21,79).

S. Paulus singulare speculum ministrorum Dei (I, 301, 367), in fervore (I, 4, 5) et caritate exercenda (I, 169, 170.)

APOSTOLICA SEDES petra est unde excisi sumus (I, 115). Huic alligavit nos S. P. N. Ignatius (I, 427) speciali vinculo (II,321), ejusque ad pedes posuit aedificium Societatis (II,2), quae quanto se illi magis astrictam servarit tanto erit tutior (I, 428. IV. 22).

Ipsi a Christo collata auctoritas (II, 293. III, 135), cui defendendae nata Societas erat (II, 389), et plurima eaque singularia beneficia in nos ab ipsa profecta (II, 293. Cf. I, 327), summum nostrum obsequium requirunt (II, 293. Cf. III, 279. IV, 1).

In eius auctoritatem tuendam strenue incumbebat Societas (II, 387), cum hanc illa coacta fuit hostium odiis permittere (II, 389); post paucos tamen annos ad novam vitam suscitavit (II, 309, 395), novisque cumulavit beneficiis (II, 396. Cf. II, 444, 459. III, 28, 134, 236).

Atrocissima persecutio quam hodie patitur (III, 192, 206) et cuius gloriamur esse consortes (III, 213), magis adhuc zelum nostrum excitare debet (III, 241).

ATTENTIO quanta ad officium divinum requiratur (I, 326) : *vid.* **Officium divinum.** Diligens adhibeatur in oratione (I, 438 : *vid.* **Oratio**); in studio Scripturarum (I, 354 : *vid.* **Scriptura sacra**); in missionibus (I, 53), et ministeriis obeundis (I, 207-211);

immo omnibus omni tempore necessaria est (I, 129-132). Sapientia porro divina attentum discipulum erigit (I, 310, 311.)

AULICUS SPIRITUS, multiplex periculum est ne hauriatur ab iis qui Principum aulas frequentant (II, 75, 76) : *vid.* **Externi, Externus homo.**

AVARITIA qua quis merito avarus dicitur erga Deum (I, 137): *vid.* **Tepor.**

Avaritia qua non solum avarus est qui quaerit aliena, sed etiam qui cupide appetit sua (I, 464) : *vid.* **Temperantia.**

BEATI quos ex filiis quondam suis Societas ad Beatorum honores evectos vidit (II, 296) : *vid.* **Sancti.**

BEATITAS vel **BEATITUDO** sempiterna (I,47,49) : *vid.* **Merces.**

Beatitudo vitae religiosae (II, 54) : *vid.* **Pax.**

BENEFICENTIA divinae Misericordiae (I,55) : *vid.* **Perfectiones divinae.**

BENEFICIA quibuis mirum in modum Deus favit Societati (I, 429) : *vid.* **Societas Iesu.**

Beneficia quibus singulos nos obstrinxit, multiplicia sunt (I, 8, 9. IV, 95), diligenter ruminanda in oratione (I, 82). Quis autem ea recogitans non moveatur (I, 135, 137) ad gratitudinem (I, 310)? Cum enim quo fuerint illa maiora eo gravius ingrati animi culpa metuenda sit (I, 56), nobis non erit excusatio (I, 154, 155), si nostra in Deum officia exiliter ad calculos revocabimus (I, 138, 139); praesertim quod iam praeter communia beneficia (III, 131), Dominus nos participes fecit gloriae crucis Christi (II, 335, 336) : quod quantum beneficium (II, 461-465)! *vid.* **Adversa.**

Petenda sunt divina beneficia perseverante oratione (II,262) : *vid.* **Oratio.**

Si magnum beneficium est gratia vocationis (I, 4, 32), multo

peculiarius donum accipiunt qui ad missiones exteras vocantur (I, 49) : *vid.* **Vocatio. Missiones.**

Piorum beneficiis vivimus ac sustentamur (II, 413). Et ipsum hoc beneficium est quod operam nostram adhibere homines non recusent (II, 466).

Pudeat vehementer pluris facere vel unicum ex uno speratum beneficium, quam ex aliis multa suscepta (II, 29).

BENEVOLENTIA Dei sedula erga nos (I,154) : *vid.* **Providentia.**

Benevolentia quae nascentis Societatis membra vinciebat (I, 164) : *vid.* **Caritas.**

Benevolentia externorum concilianda (I, 211) : *vid.* **Externi.**

BENIGNITAS Dei ad nos adiuvandos (I, 42) : *vid.* **Perfectiones divinae.**

Benignitas et mansuetudo in Praelatione requisita (III, 18) : *vid.* **Gubernatio.**

BONITAS divina et summa (I,49) ad perfectionem nobis sponte largiendam, quam nos ad eandem investigandam paratior est (I, 2) : *vid.* **Perfectiones divinae.**

BREVIARIUM, in cotidianas preces, solum secum efferebat Roma discedens S. Franciscus Xaverius (II, 68). Cetera *vid.* **Officium divinum.**

CALAMITATES multae nos premunt (II, 257) : *vid.* **Adversa.**

CANDIDATI ad Societatem (II, 427) : *vid.* **Admittendi.**

Candidati ad regimen (II, 223) : *vid.* **Gubernatio.**

CARITAS quae ipse Deus est (I,319) : *vid.* **Perfectiones divinae.**

Caritas qua Christus dilexit nos (I, 83) : *vid.* **Iesus-Christus.**

Caritas, *ut virtus theologica*, alias omnes continet (I, 15), diligens Deum super omnia (I, 316-318), et iustam habens rationem proximi, ut Iesu Christi sanguine redempti (III, 244) :

adeo non est diversa virtus qua diligimus proximum ab ea qua diligimus Deum (III, 242).

Haec non dividitur distantia locorum (I. 164. II. 121), nec hominum numero distinguitur, sed amplitudine sua omnes complectitur (I, 168, 372. III, 122) ; quanto magis eos quibuscum fraterna nobis necessitudo intercedit (I, 15, 164. III, 249).

Necessaria et sola sufficiens omnibus Christianis (I, 110), maxime vero Religiosis familiis (I, 173, 174), eximia quaedam et ad normam praescriptam a Paulo perfecta (I, 176, 177. II, 118), ut specialis fructus reposcitur a nobis in Societate (I, 177, 178), quam auctor suus in caritate fundavit (II, 115), et cuius haec est gloria iam tum ab initio (I, 108), ut nulla habita dissimilium nationum ratione, ex mutua animorum coniunctione coagmentata sit et adoleverit (I, 166, II, 108, 121-123. III, 277).

Hanc ergo Superiores servandam curent (I, 107, 165, 204), neu ferant quae ei contraria sunt (I, 109, 373. II, 115-119), multa quidem (I, 290) et saepe minuta (I, 110), sed non parvi facienda (I, 205. II, 114). Obtrectatio magnum malum (IV, 85, 244).

Caritatem studeamus, si qua ex parte veteraverit, in pristinum nitorem restituere (I, 164), singuli singulorum onera portantes (III, 122), privatas amicitias fugientes (I, 111, 372, 411. II 218), perpendentes verba Apostoli (I, 112) eiusque exemplum imitantes (I, 169, 170). Hanc adamemus, hanc amplectamur, hanc aliis insinuemus (II, 120, 125, 126. Cf. I, 15). Hac nihil nobis antiquius sit : merito enim dicitur *vinculum perfectionis* (I,171). Sine quo vinculo Societas salva esse non poterit (I, 164-166. II, 109) : quo vinculo quam diu colligati erimus, tutiores futuri sumus ab externis tribulationibus (I, 290. II, 440), et interna pace fruemur (I, 291. II, 119, 120).

Vigebit autem si pareatur praescripto decimae partis Constitutionum (I, 64, 65), et tertiae partis cap. 1, §. 26 (I, 165) : quod idcirco integre servandum est (I, 166, 167).

Quid caritas requirat erga senes (II, 39). Quid erga fratres

dispersos (III, 121, 250, 251, 266). Examinet se quisque circa hanc virtutem (II, 358, 359. Cf. I, 290).

Falsa caritatis specie ne decipiamur (II, 427. III, 273, 295) : *vid.* **Vetus homo.**

CASTITAS niteat in nobis angelica (I, 370), et illibata servetur in Societate (III, 314). Id voluit S. P. N. Ignatius (III, 57, 58) ob duplicem finem vocationis nostrae (III, 59-61).

Qua in re bona fama Societatis, ut pretiosa hereditas, nobis tuenda est (I, 423, 437. III, 62). Et si res ardua (III, 63), quippe quam crystallini instar speculi tenuis quilibet afflatus infuscet (II, 51), praesto sunt nobis praesidia duo : 1° timor labendi (II, 35), 2° redditio rationis conscientiae (II, 36) ; et adminicula quinque :

1° Humilis oratio (II, 63) : *vid.* **Oratio.**

2° Carnis mortificatio (III, 64, 65) : *vid.* **Mortificatio.**

3° Sensuum assidua custodia (III, 66, 67) et fuga discriminum, quales sunt privatae amicitiae (I, 372), lectio certorum quorundam librorum (I, 371, 459).

4° Cura regularum modestiae (III, 68,92) : *vid.* **Externus homo.**

5° Studium rerum spiritualium (III, 70, 71) : *vid.* **Spiritualia.**

CLAUSURAE lex quam late pateat (IV, 231), a RR. PP. commendata (IV, 232), a S. Ignatio (IV, 234) et S. Franc. Xaverio (IV, 236).

COADIUTORES spirituales : qui futuri sunt, mature ad gradum promoveantur (I, 198) ; formati vero, sicut professi (I, 275, ad tradendam doctrinam ipsa voti religione coguntur (II, 44), et quod ad orationem ac paenitentias eadem regula tenentur (I, 249, 259).

Coadiutores temporales post noviciatum sibi non sunt relinquendi (II, 160) ; cotidie proponantur ipsis puncta meditationis (II, 161).

Quid ab iis requirat S. P. N. Ignatius (III, 96), et quid praecipue a SS. Petro, Ioanne et Alphonso discere debeant (III, 177-180. IV. 129).

COLLATIONES spirituales, utinam frequenter fiant, saltem inter Scholasticos et Fratres Coadiutores (II, 421)!

Collationes Patrum Cassiani in medium afferuntur (I, 35, 39, 88, 90, 125, 284, 287, 322, 331, 439, 451. II, 36).

COLLEGIA et domus egentiores, necessitate exposcente, honestis moderatisque rationibus iuvari possunt (I, 67). Ideo Collegio cuipiam sua relinquere potest nonnullis interdum concedi, si tamen in ea non habitaverint (I, 451).

E re Societatis in praesentia non videtur augeri numerum Collegiorum (I, 274. Cf. II, 313); neque tractent de novis erigendis missionarii (I, 469). Magnum periculum esset si multiplicarentur antequam idonei praefecti et magistri suppetant (II, 311, 312).

In collegiis adimpleantur quae parte quarta Const. continentur (I, 62. II, 24-32), et alia nonnulla (II, 160-162) observentur etiam in parvis Collegiis (II, 163).

COLLOQIA, sive in communi cum nostris consuetudine, sive cum externis, sint sancta, ut homines religiosos decet (I, 460) : *vid.* **Externus homo.**

CONCORDIA quae Societatis est vinculum (I, 41) : *vid.* **Unio.**

CONFESSARII animentur ad tam sanctum ac necessarium ministerium (I, 196). Humilitate, patientia et caritate praestent (I, 16), eosque magis iuvent qui maiore necessitate spirituali premuntur (I, 112. Cf. III, 252). Theologiae morali studeant (IV. 60).

Curam monialium ne suscipiant (III, 138, 139), nec claustrales tantum, sed quascumque in communi viventes a tribunali suo arceant (III, 287).

Ne uni sedi locove affixi maneant, mittantur in varia loca fructificatum (I, 196, 197. Cf. 1, 271, 272, 375, 468). Promoveant cultum SS^ae^ Eucharistiae (I, 337).

Quid si quis aliquando suum Societatis ingrediendae desiderium manifestet (II, 427).

Quid circa eleemosynas (I, 383).

CONGREGATIONES Marianae (III, 264) : *vid.* **Sodalitates.**

CONSERVATIO SOCIETATIS, *quantum a Deo,* sive hactenus provisa : magnam affert laetitiam (I, 1, 32, 54, 387, 388), ingentesque agendas gratias poscit (I, 2, 55, 389. II, 292, 397) ; sive in posterum providenda : humilibus et fiducia plenis precibus impetretur (II, 262, 414, 442. III, 187, 218, 237).

Quantum ab hominibus, exigit.

I. Speciatim a Superioribus : ut solliciti sint ac vigiles (I, 183-186) ad spiritum nostrarum Constitutionum retinendum, in admittendis ac formandis hominibus ad Societatem (I, 56-62, 192-196) ; in iuvandis et perficiendis subditis per solidas virtutes (I, 187, 188), per rectam gubernationem (I, 202, 203) et mutuam caritatem (I, 204-205), ita ut nostri inter se et cum proximis bene sint dispositi (I, 107). Curent fidelitatem in informationibus mittendis (I, 191, 198) ; rectam habeant intellegentiam Instituti (I, 199. II, 324) omnesque ordinationes Roma missas exsecutioni mandent (I, 199).

II. Generatim ab omnibus : ut illibatus servetur primigenius Societatis spiritus (I, 435. Cf. II, 264, 361), hauriendus in Exercitiis spiritualibus S. P. N. (II, 365-367), numquam mutandus (III, 88, 89, 92), et tribus maxime muniendus praesidiis :

1° Vita irreprehensibili, coram Deo, per orationem (I, 436-440. Cf. I, 64, 65) ac mortificationem (I, 441-446. Cf. I. 69-72), et coram hominibus, per amorem paupertatis (I, 447-458. Cf. II, 275, 282, 305. III, 292-296).

2° Scientia, quae debet esse sacra, sive ex subiecta materia, sive ex ordine ad Deum (I, 458-462. Cf. III, 169, 197).

3° Ministeriis Societati propriis, quibus vacandum (I, 462, 466-469. III, 290, 291), exclusis iis quae ab Instituto nostro aliena sunt (I, 463-465. III, 284-290).

CONSTITUTIONES et REGULAE, distinctae a lege caritatis interna (III, 95), non frustra conscriptae sunt (I, 95), tamquam externa lex ad mores homine Religioso dignos perfecte componendos (II, 166). Verum ad hoc nullam vim habebunt, nisi serventur (II, 169). Malorum omnium in iis remedium (IV, 88); quare omnes servandae (IV, 89. 264).

Ne sola earum lectione et admiratione contenti simus, sed multo magis incumbamus in observationem (I, 62, 63), incitamenta sunt :

1° Earum praestantia : in his enim, etiamsi forte parvae videantur, elucet voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta (I, 87, 88); cum omnia tam sapienter ordinata sint ut Paulus III in Instituto nostro quidpiam divinum deprehenderit (II, 168), et credatur Spiritus Domini ea S. P. N. inspirasse (I, 95. Cf. I. 62, 92, II, 127).

2° Mala quae neglegentes et bona quae observantes consequentur (I, 89-93).

3° Unio et conservatio totius Societatis (I, 94), cuius omnes partes ita intime cohaerent, ut saepe una regula neglecta multarum observationem impediat (I, 200, 201).

4° Exempla tot iam servorum Dei (I, 95. IV, 92), a quibus observata Constitutionum perfectio hactenus spectabiles nos mundo reddidit (I, 361. Cf. III, 132-136), et quos, si deerraremus, haberemus testes contra nos (I, 95. Cf. III, 230, 231).

Servandis regulis invigilent Superiores (I, 87, 95, 98) : quorum curae fideique potissimum demandatur depositum hoc custodiendum (I, 168).

Quaedam regulae nominatim commendantur (I, 201, 207, 362, 383. II, 185-187. III, 68. IV, 188, 253).

Cetera *vid.* **Exsecutio**.

CONSULTATIONES ordinariae non praetermittantur (III, 343).

CONSULTORES rectam habeant intellegentiam Instituti (I, 199); cognoscant ordinationes Roma missas (I, 199); ferri se non

sinant certis propensionibus ad clientelas suscipiendas (I, 377, 378); sodalium mores non describant, nisi prius Deum precibus consuluerint, nec ad gubernationem vel gradum idoneos proponant nisi quos leto proximi designaturi essent (II, 153); numquam denique se decipi sinant falsa caritatis specie aut utilitate privata (II, 427).

CONTEMPLATIO vera perfectaque potentius et efficacius altera qualibet meditationum methodo ad humilitatem et fervorem excitat (I, 252).

Diversis modis ea recte uti possumus (I, 253, 254), sed in ea periculum vitandum (I, 251), et eius usus moderandus praesertim Superioribus (II, 170, 171). Non tradidit S. P. N. sublimis cuiusdam orationis et singularis unionis cum Deo modos aut praecepta; docuit tamen ad hanc animos disponere (II, 379, 380).

CONTIONATORES ministerium obeunt ad lucrandas animas aptissimum (I, 280, 338), multique hoc munere funguntur, sed an bene dubitari potest (III, 271, 339). Formandi ergo sunt (I, 338. III, 150, 197-200, 274. IV. 59), et in iunioribus contionandi facultas excitanda (II, 44). Quo vero melius formentur, indicantur *Adiumenta* septem (I, 339-344), *impedimenta* quindecim (I, 344-353) et duodecim *industriae* (I, 353-358).

Formati humilitate, patientia et caritate praestare debent (I, 16); flagrent zelo vero (I, 375, 376); diligenter se praeparent (III, 167-171); servent suas regulas (I, 196, 280, 281), praesertimque in contionando antiquum illum et germanum Societatis modum (I, 113). Qui se ita componere neglegunt vel nesciunt, idonei non sunt et amovendi (I, 114).

CONVERSATIO cum Ægyptiis homini non circumciso nec mortificato plus damni quam utilitatis afferre solet (I, 58), quod periculum maxime in dispersione cavendum (III, 175, 201) : *vid.* **Dispersio. Externi, Externus homo.**

CORRECTIO adhibenda errantibus (II, 21), et ipsis Superioribus ubi opus erit (I, 191) : in qua re S.P.N. Ignatius tres gradus

insinuat (II, 22), et inter duo extrema procedendum (II, 23, 24, 195-198) : *vid.* **Superiores.**

Correctio accipienda cum simplicitate et grato animo (I, 68. Cf. III, 143) : *vid.* **Subditi.**

Demissio nequaquam quaesita, sed germana veraque sit laus nostrae minimae Societatis (I, 381) : *vid.* **Humilitas.**

DILECTIO (I, 3) : *vid.* **Amor.**

DIMITTENDI sunt : 1° Candidati et novicii qui secundum Constitutiones utiles futuri Societati non iudicabuntur (I, 192. II, 15-17), prius adhibitis remediis et duo extrema vitando (II,17-19).

2° Scholastici male mortificati nec se emendantes (I, 193), postquam ex caritate remedia emendationis tentata sunt (I, 194), ita ut in dimittendis Superiores nec sint nimis celeres nec timidi (I, 195).

3° Dimittendi facultas inter nos cuilibet, praeterquam Professorum gradui, communis quidem est, non pari tamen facilitate exercenda (II, 17).

Hinc si quis, sive scholaris, sive operarius, constaret male esse dispositus aut habere impedimentum grave, is tempus accipiat deliberandi, ita ut nullo modo Superiorem se tamquam adversarium habere existimet (I, 198, 199. Cf. III, 182).

DISCIPLINA regularis, nisi constanter sustentetur ac reparetur a Superioribus (II, 179-181), tum immediatis tum mediatis (II, 213, 214, 219-222), paulatim collabetur (II, 203, 204), et semel collapsa vix citra miraculum reparari poterit (II, 205. Cf. II, 181, 182. III, 202). Hanc enervat dispensationum facilitas (IV. 154).

Modus eam tuendi relinquitur prudentiae ac peritiae Praesidis (II, 214, 215), modo curam et correctionem numquam omittat, nullis difficultatibus cedat (II, 216), et abusus antequam suboriantur praeveniat (II, 217-219).

Cetera *vid.* **Constitutiones, Exsecutio.**

DISPERSIO Sociorum, omnium gravissima probatio (II, 344. Cf. III, 233-235), praeter damna (III,1, 127, 193, 226-229, 233-235), affert magna discrimina (III, 195-197), quibus ne succumbant incauti, varia indicantur remedia (III, 20, 21, 121-125, 171-176, 198-204, 266, 270, 291-297). Cetera *vid.* **Adversa.**

DOCTRINA ad quam informandi sunt Nostri (III, 149) *vid.* **Scientia.**

DOMINIUM quo Deus dicitur Dominus Dominantium (I, 308) : *vid.* **Perfectiones divinae.**

Dominium bonorum temporalium (III, 45) : *vid.* **Renuntiatio.**

Dominium quo impotentes animi motus subactos habeamus (I, 127) : *vid.* **Abnegatio, Mortificatio.**

DOMUS probationis (I, 59) : *vid* **Novicii.**

Domus professa (I, 274) : *vid.* **Professi.**

Domus vel domicilia alia (II, 163) : *vid.* **Collegia, Residentiae, Studia.**

ECCLESIA corpus Christi est (III, 213), cuius oportet ut bonus odor simus praedicatione verbi (I, 219-221. Cf. I, 458. III, 62), et adversitatum perpessione (III, 118); ager pulcherrimus in cuius amplitudine religiosus status maxime excultam partem occupat (I, 178), ad quid aliud nisi ut religiosae perfectionis fructum ferat (II, 469, 470. Cf. I, 179)?

Hoc si commune est omnibus Religionibus (I, 224-226), quibus gaudeamus ex nostri Ordinis natura et gradu subesse (I, 427); peculiari modo convenit ad Societatem (II, 470, 471), quam proprius quidam nexus astringit (I, 161), et cuius status seu melior seu deterior cum Ecclesiae rationibus coniunctissimus est (I, 284. II, 381-391. Cf. III, 191, 192). Cymba enim nostra Petri navis fortunarumque socia (II, 397), non modo formam regiminis cum Ecclesiae hierarchia (I, 46), sed communem causam habet cum Ecclesia (II, 466), communes defensores (II, 444,

445, 459, III, 99, 100, 229), et hostes communes (II, 335, 436, 461. III, 135). Quod hodie, si umquam, palam est universis (III, 212. 213), et quod maxime nos erigere debet in tribulationibus (III, 204, 205), quas Deus permittit in bonum Ecclesiae (III, 205-217).

Procul tamen absit ut stulte nos Ecclesiae Dei necessarios esse fingamus (II, 466. Cf. II, 388). At quicquid in nobis boni, quicquid proficui in Ecclesiae obsequium proferamus Deus postulat (I, 229, 230. II, 468), Ecclesia exspectat (I, 403, 404. III, 35) et status noster requirit (I, 224, 225. II, 469. Cf. I, 159, 160). Cetera *vid.* **Apostolica Sedes.**

EDUCATIO iuniorum nostrorum, circa quam studium Societatis tam sollicitum est (II, 206, 207), quo tendat (I, 229, 230, 241. Cf. II, 238. III, 146), quam sit necessaria (II, 310-313, 428, 429. III, 152, 153), et quam facilis, iuvante Deo (I, 96, 97), dum mollis adhuc cera est (I, 198). Cetera *vid.* **Iuniores.**

Educatio nobis commissae iuventutis (II, 241, 242), maximi momenti opus (II, 29, 30. III, 142, 251), quod S. P. Ignatius Societati omnino proprium esse voluit (III, 255. IV, 6, 17, 246) : *vid.* **Magistri.**

EFFUSIO ad exteriora valde nocet (I, 300. IV, 56, 291), sive in Superioribus impedit vigilantiam (II, 172), sive in aliis affert taedium vitae domesticae (II, 181). Eius excusationes (IV, 242). Hoc periculum nunc praesentius (IV, 289). *Vid.* **Externi, Vetus homo**.

EPHEMERIDES, folia publica, etc. (,III 305) : *vid.* **Gazulae.**

EPISCOPI, eorumque Vicarii, intima ex animo summissione et observantia nobis colendi sunt (I, 228. III, 283, 292), et S. Xaverii exemplar perpetuo prae oculis habendum (I, 382).

EXAMEN conscientiae, cuius neglegentia inter teporis radices recensetur (I, 305), cotidie faciendum (I, 363), etiam in missionibus (I, 53) et itineribus (I, 453) ; utriusque vero diligenter frequentandae visitationes in domibus nostris (II, 162).

Diligenti examine accuratoque labore consequi nos oportet cordis puritatem (I, 331). Vae illi qui non ante senserit se in suis defectibus examinandis bene versatum quam ad alienos perspiciendos descendat (I, 60)!

Praeter usitata examina, serio quisque se examinet de privata vita (I, 285. III, 120, 182), num quid correctione indigeat (I, 430), circa vitium linguae (I, 384, 385), circa caritatem (I, 290) circa recitationem sacri officii (I, 328), et alia plura (II, 217-219, 358, 416-422), passimque alibi, quantum praestet (I, 470), quam distet a meta (I, 133).

Examen proponendum Candidatis (III, 327) : *vid.* **Admittendi.**

EXERCITIA SPIRITUALIA S. P. N. Sunt donum singulari Dei beneficio concessum (II, 367), quo Societas concepta, nata et adulta (I, 440. II, 46, 231), mirificos fructus protulit (II, 368, 369, 381).

Facile primum locum obtinent inter media ad duplicem finem nostrum assequendum (II, 320, 321). Continent autem ;

1° Methodos orandi facillimas et efficacissimas (II, 373);

2° Praecipua vitae spiritualis documenta (II, 374);

3° Sententias ignem spirantes (II, 375, 376).

His exercitiis ad missiones dimittendi per aliquot dies se praeparent (I,147, 246) ; item contionatores quadragesimales (I.281); et praeter solidum mensem in tirocinio ac tertio probationis anno (II, 377, 378), quotannis per octo vel decem dies iisdem ex praescripto vacamus omnes (II, 368. Cf. I. 53, 440) : qui vero et quare id omiserint quotannis notentur a Provincialibus (I, 441).

Ad haec per aliquot dies peragenda inducendi sunt qui Societatem petunt (III, 272).

Eorum usus ad renovationem spiritus efficacissimus (I, 296, 403. II, 365, 382. IV, 319), promovendus est non solum in nostris, verum etiam in externis (I, 276, 383), qui his iuvari cupientes alacriter et liberaliter a Superioribus excipiantur (I, 277, 441),

et quibus omnes e Societate Sacerdotes possint ea saltem privata tradere (III, 261).

Sed faciamus illa ex ipso S. P. N. libro (II, 373), posthabitis ceteris libris (II, 370), qui tamen ad alios exercendos utilitate sua non carent (II, 372); et tanti thesauri familiarem nobis usum reddamus (II, 376), studiumque non speculativum sed praticum (II, 378. Cf. III, 172), ut dexteritatem in hoc spiritualium armorum genere tractando consequamur (I, 84. Cf. II, 251).

Ad quod iuvabit Directorium Exercitiorum (I, 276) et litteras encyclicas P. Roothaan (II, 419) et P. Martin (IV, 333) saepe prae oculis habere (III, 262).

EXHORTATIO DOMESTICA eo potissimum tendat ut auditores ad orationem et rerum spiritualium amorem excitentur (II, 161). Indicantur alia quaedam argumenta (II, 420, 421).

EXSECUTIO est infimum genus oboedientiae, solum non sufficiens (I, 35), sed in primis requisitum, quod spectat ad Constitutiones, Ordinationes, Instructiones, etc. (I, 87-93, II, 159, 165), non tantum in subditis, qui debent hic adiuvare Superiores (I, 416-418. II, 211, 212. III, 198-204); sed multo magis in ipsis Superioribus (I, 405. II, 5, 6), eo quod sunt quasi molitores Architecti ad struendum Societatis aedificium (II, 1-4, 48), tamquam medici ad eiusdem corporis sanitatem curandam (II, 177), et velut depositarii ad custodiendum Institutum (II, 168), rationem reddituri apud supremum Iudicem (I, 407. II, 201-203. III, 155).

Exsecutioni adversatur omissio (II, 178), cuius quaedam causae, damna et remedia indicantur (II, 179-200), et ad quod vitium exstirpandum excitantur Superiores (II, 201-211) et subditi (II, 211, 212, 225).

Exsecutio debet ipsa esse perfecta (III, 78).

Perfectae exsecutioni saepe obstat Superiorum remissio (I, 407) quae exploditur per causas et remedia (I, 407-416).

Difficilis haec sane omnibus, sed praesertim Superioribus (II, 41). Quare suggeruntur ipsis duo adiumenta :

1° Caritas aequaliter omnibus exhibita (II, 41, 42. Cf. I, 411).

2° Iusta poenarum et praemiorum distributio (Cf. II, 135-137, 147-149, 154-156).

Urgetur exsecutio quoad res spirituales (I, 81-87. II, 159-164. 181); item quoad formationem Nostrorum (III, 271-275).

Decet ipsa quoque exsecutione nostra litterarum studia sacra esse (I, 462).

EXTERIORA talenta ac dona minus spectanda sunt quam virtus (I, 56. II, 10); minime tamen neglegenda, sed excolenda fideliter ac strenue (II, 407, 408), ut servetur spiritus nostrarum Constitutionum (II, 406, 407) : *vid* **Scientia, Interiora**.

EXTERNI, quibus omnibus auxilio esse debemus, intentis in nos oculis sunt (I, 51, II, 400).

Eorum benevolentia cur et quomodo concilianda ac retinenda (I, 211, 212, 289. Cf. I, 66), praesertim si Magnates sunt (I, 290), Praelati (I, 273), Pastores vel Curiones (I, 227, 228. III, 292). Quorum tamen auctoritas pati non debemus ut nos opprimat ad suscipienda negotia secularia (I, 98, 99); neque est quod in hominum quorumcumque favore fiduciam nostram collocemus, nam fallax gratia, et vana salus hominis (II, 451. III, 234). Valde nociva est communicatio cum externis extra limites nostri Instituti (I, 300, 301, 309); nec leve periculum ab hoc capite est iis qui in dispersione versantur (III, 267. *Vid.* **Dispersio**), vel in missionibus exteris (II, 356. *Vid.* **Missiones**), itemque ab iis qui aulas Principum frequentant (II, 73-76), in quas nos non inferamus (I, 381), ne ansam praebeamus querelis, utcumque falsis (I, 211, 212), sed plurimis quibus exagitamur (I, 330).

Nostris externos visentibus invigilent Superiores (I, 461. II. 175, 176); socius adhibeatur, ut fert regula (I, 207, 461. IV, 83, 189, 206-212).

Qualis debeat esse externa nostrorum conversatio (II, 246, 247) : *vid.* **Externus homo.**

De externis per Exercitia spiritualia excolendis (I, 277) ; *vid.* **Exercitia spiritualia.** Cetera *vid.* **Negotia saecularia, temporalia.**

EXTERNUS HOMO. Societatis formandus est :

1° Amore paupertatis (I, 447), quae nobis decori esse debet et facile congruit honestati (II, 72, 73), ut ostenditur exemplo P. Andreae Oviedi (II, 76, 77) : *vid.* **Paupertas.**

2° Religiosa modestia (I, 361, 362. II, 241) et simplicitate (I, 59) in dictis factisque omnibus (I, 72), ipso etiam silentio cum id observandum est (II, 185-187), ita ut in locutione modestus, honestus in conversatione, assiduus sit in aedificatione proximi (I, 72. III, 159), ad exemplum S. Ioannis Berchmans (III, 144. IV, 167).

Haec quoque media a sanctis viris proponuntur, quibus proximis nostris adiumento esse possimus (II, 239). His et veris religiosae humilitatis indiciis (I, 286), bonus odor a nostris in agendo diffundetur (II, 247), et plus perficiemus quam aulica urbanitate gratisque humanae benevolentiae obsequiis (I, 290. Cf. III, 251).

Hinc nemo in minimis reponat regulas modestiae (III. 68, 69), et Moderatores omnes sollerti cura attendant ut hae regulae ab omnibus religiose serventur (III, 70, 147); ad quas leges nisi iuniores se componere assuescant, deteriores fient aetate provecti (II, 207). Est vero multorum querela obsolevisse illam Societatis nostrae tantum olim laudatam modestiam, maxime vero in iunioribus (I, 442-443), dicimurque interdum etiam inconsiderate loqui et colloqui (I, 442. Cf. III, 136, 137), nec pauci hoc in genere valido freno egent (I, 384), eo magis quod universi nos speculantur (I, 285. II, 400), et quo quisque nostrum cum iis versatur spiritu probe sentiunt (II, 246, 299. Cf. I, 380-383). Aliquando etiam vel unius hominis minime mali, sed imprudentis dictum aut factum Societati damna gravissima intulit (II, 438).

Ergo ab omni specie mali, in dictis, in factis abstineamus (II, 439. III, 203), de Societate ipsa eiusque laboribus non superbientes (II, 315, 316), non aliorum laudibus ac recte factis invidentes (II, 317, 318), sed de omnibus, Religiosis praecipue, ut par est, honorifice atque officiose loquentes (I, 382) et decus Societatis tuentes colloquiorum sanctitate (II, 284), ad exemplum S. Fundatoris nostri (I, 460) et primorum Patrum (I, 385).

3° Ad externum quoque hominem spectat scientia per industriam acquisita (II, 407) : de qua *vid* **Scientia.**

FAMILIARITAS cum Deo (II, 406) : *vid.* **Interiora. Oratio.**

FERVOR in studiis litterarum (I, 15) : *vid.* **Scholastici, Studia.**

Fervor in studio perfectionis (I, 149) debet esse magnus, nec tamen immodicus.

Magnus requiritur ad duplicem finem nostrum assequendum (I, 4, 123, 124), et suadetur :

1° Exemplis filiorum saeculi in viis suis (I, 5. II, 201. III, 260).

2° Fructibus quos fervor producit (I, 6, 91, 141, 157).

3° Mercede promissa legitime certantibus (I, 7, 94, 324. II, 268).

4° Dei beneficiis naturalibus et supernaturalibus (I, 8, 9, 134-139, 240-244. II, 338. III, 131), de quibus ratio reddenda erit nobis (I, 153-156. II, 254, 255).

5° Caritate Christi qui se ipsum dedit nobis stipendium (I, 9. III, 18, 97, 187), et heu! tam parum agnoscitur a plurimis in mundo (I, 10. III, 8, 9, 139, 140).

6° Misera tot hominum sorte in discrimine salutis versantium (I, 11, 235-237. II, 363, 364) infaustis his quae vivimus temporibus (III, 34, 123, 127, 240, 241, 262, 263).

Immodicus fervor : 1° Non perdurabit (I, 52), ut accidit in equis nimio ardore iter ineuntibus (I, 12. Cf. I, 260, 268-270).

2° Facile labetur in cursu festinato, ut accidit citius scalas ascendentibus (I, 12. Cf. II. 313).

3° In discrimen veniet submergendi navem nimis oneratam (I, 12. Cf. II, 437-439).

4° Crucifigit non veterem sed novum hominem, et teste Bernardo, multa alia graviora damna causat (I, 13, 260).

Hinc frenandus et regendus est maxime in incipientibus (I, 14. II, 14, 15) : *vid.* **Novicii.** Attamen fovendus et promovendus in probatione (II, 20. Cf. I, 58, 192) : *vid.* **Iuniores**. Excitandus in omnibus (I, 63. II, 227-243) : *vid.* **Finis Societatis**. Renovandus cotidie (I, 121-123, 149-151) : *vid.* **Renovatio.** Id exspectat a nobis Ecclesia (I, 224, 225. III, 35) : *vid.* **Ecclesia.** Id exigit vitae nostra status (I, 225, 226. III, 104) : *vid.* **Vocatio.** Id requirit decus Societatis nostrae, quae nihil praeclari faciet si eius membra languescant (I, 159-161, Cf. III, 168); in qua singulorum dicta vel facta omnibus tribuuntur (I, 380); quae universa fortasse aliquorum culpa poenas luet (I, 284, 285, II, 337, 338), immo unius ob membri vitium in toto corpore patietur (I, 395-399. Cf. III, 203). Cetera *vid.* **Adversa, Tepor, Zelus.**

FIDES communicanda gentibus nostro ministerio (I, 117, 118, 218-220 : *vid.* **Missiones**); ex qua iustificati pacem habeamus ad Deum (III, 240), et in cuius plenitudine ad Ipsum accedamus (I, 152. Cf. III, 97, 218) opus est ut intellegentiae praeluceat mentemque subvehat ad participandos veritatis aeternae radios (I, 445) in vitae ratione et speciatim in oboedientia (II, 417. Cf. III, 163-165). Quasi peccatum ariolandi est repugnare et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere (I, 14).

Fides est quae levia reddit ac iucunda quaecumque Superiores imponunt (III, 77), et sustentat spem nostram in mediis tribulationibus (II, 298, 341-345, 463. III, 174-176); quoniam vitam illam exspectamus quam Deus daturus est his qui fidem suam numquam mutant ab eo (II, 254. Cf. III, 209-217), ut exemplo suo docuerunt antiqui Patres etiam exstincta Societate (II, 393).

In itineribus S. P. N. nullum habebat pecuniae subsidium nisi Fidem, Spem et Caritatem in Deum (I, 467).

FINIS SOCIETATIS duplex est : saluti suae et perfectioni consulere primum ; deinde proximorum etiam salutem et perfectionem accurate promovere (I, 248, 279, 338. III, 59, 60), ad maiorem semper ac maiorem Dei gloriam (II, 320). Quo celsissimo fine nihil expetibilius nobis atque amabilius (II, 230), neque in hominibus neque in ipsis Angelis sublimius quicquam inveniri potest (I, 4).

Potior qui nos spectat tum ordine caritatis, tum quod posterior priori quasi fundamento fulciatur (I, 248. Cf. I, 52, III, 164). Sed haec pars nobis communis est cum aliis Religiosis, posterior vero magis propria et singularis (II, 234) : ad quam si non elaboremus, ne propria quidem salus et perfectio in tuto est (II, 235), aut indiscrete tradamus nos, alia sequentur incommoda (II, 171. Cf. I, 207, 208. II, 439). Neque alienae saluti apte consulit qui suam neglegit, neque memor erit aliorum qui obliviscitur sui (III, 265).

Ad duplicem finem consequendum emittuntur vota (II, 52), et communicat nobiscum Societas media praestantissima summeque efficacia (II, 320) ; inter quae primum locum obtinent Exercitia spiritualia (II, 321). His enim docemur : Primo disponere nos per abnegationem ad unionem cum Deo (II, 379, 380), quibus nullam efficaciorem habemus rationem assequendi finis nostri prioris (I, 247). Deinde zelum excitare (I, 281) et arma potentissima colligere (I, 147, 148. II. 419), quibus utamur in ministeriis nostris ad alteram finis partem consequendam (III, 262). Cetera *vid.* **Perfectio, Zelus.**

FORMATIO, qua forma illa introducitur nostris cuius exemplar Deus in Societate demonstravit (I, 96), iam saepius commendata, sed commendanda iterum (III, 148, 341), prius intendatur omnigena quam extendatur Societas (II, 313. III, 152, 153), ne ad munera adhibeantur nostri non formati (II, 427, 428. III, 150, 151), ac si minus nomine fortasse, re certe Societas Iesu esse desinat (II, 312).

Qua in re gravis incumbit Superioribus obligatio (III, 149), et si antea multum defuit non sine damno (III, 271), mutatis temporibus, iam licet opportunum remedium afferre (III, 197-200, 270).

Formandi magistri et lectores (III, 274, 278) : *vid.* **Studia.**

Formandi contionatores (I, 338) : *vid.* **Contionatores.**

Formandi Praefecti (II, 311) : *vid.* **Praefecti.**

Formandi Superiores ad omnem gubernandi virtutem (I, 191) : *vid.* **Superiores.**

FORMULA Instituti nostri, ut in litteris Apostolicis continetur, parte aliqua exhibetur (I, 106, 238. II, 231, 232, 233, III, 243).

FORTITUDO athletarum (I, 324), vel potius sanctorum martyrum (I, 417, 418. Cf. I, 24), nostra sit in observatione regularum (I, 89), in tolerandis pro Christo et Ecclesia laboribus (I, 72, 83, 84. III, 129) et persecutionibus (II, 295, 454, 463) : *vid.* **Adversa, Exsecutio, Gubernatio, Zelus.**

FUNDATORES quid intenderint sua largitate et quid iis in reddenda grati animi vice debeatur (II, 29, 30) *vid.* **Temporalia.**

GAZULAE, ephemerides et obvii illi qui identidem prodeunt libelli (III, 167. IV, 294), ad pascendam novis aut rebus aut fabulis curiositatem (I, 461), ne avocent nos a studio et severis lectionibus (III, 169). Arcendi a iuvenibus (IV, 166). Quid statuit Congr. XXII (IV, 297) : Vanae lectionis damna (IV, 298, 303) obiectioni occurritur (IV, 301).

GLORIA Dei maior est finis Societatis (II, 230) et tessera nostra (II, 338, Cf. II, 43) : *vid.* **Finis Societatis.**

Gloria, quam Societas nobiscum communicat ea est qua et bonis omnibus semper cara et improbis exosa semper fuit (II, 322). Sit haec in nobis ipsis ex testimonio bonae conscientiae I, 145) et amore crucis (II, 336) : *vid.* **Abnegatio, Adversa, Iesus Christus.**

Gloria futura quae revelabitur in nobis (I, 17) : *vid.* **Merces.**

GRATIA Iesu Christi optatur in capite vel ad calcem plurium epistolarum (I, 1, 18, 32, 48...) ; longe praestantior omnibus donis naturalibus (I, 149), quid a nobis invicem reposcat (II, 235, 236) : *vid.* **Beneficia**.

Gratia hominum quae saepe fallax est (II, 340) : *vid.* **Externi**.

GRAVES vel **GRAVIORES** auctoritate Patres (I, 377. II, 211, III, 158) : *vid.* **Antiquiores**.

GUBERNATIO, quam artem artium merito sapientes dicunt (II, 218) et ad quam formandi sunt Superiores (I, 191), sit :

1° *Suavis* (I, 77, 78. II, 195, 196, 421, 422), ne asperitate tollatur fiducia et reverentia subditorum (I, 102, 103. Cf. II, 24). Id exigit Apostolus ; id voluit S. Ignatius ex doctrina Christi et Patrum ; id etiam suadetur ex natura officii (I, 79-81).

2° *Fortis* in exacta regularem observatione custodienda (I, 87-89, 95. II, 23, 216, 224, 422), ne nimia indulgentia (I, 99, 408-411), aut animi remissione (II, 196-198), graviter noceatur Societati, subditis et ipsis Superioribus I, 99-101. II, 201-206).

3° *Spiritualis* ac religiosa (I, 104, 105. Cf. I, 81-87, 89, 90. II, 421), qualem S. Ignatius exemplo suo docuit et in Constitutionibus tradidit (I, 106) ; non vero politica et humana (I, 103, 104. Cf. II, 190-194), quae Superiores in difficultates inextricabiles adduceret, ingrata subditis et principiis religionis inimica (I, 104, 105).

Magnae dotes requiruntur ad gubernationem recte obeundam (I, 115. II, 36), et gravi obligatione tenentur ii quorum est aptos proponere Praeposito generali (II, 223, 224. Cf. II, 153) : *vid.* **Informationes, Superiores**.

HONESTAS in exteriori cultu sordes arcet, non paupertatem (II, 72) ; sed fallaci specie ne decipiat nos cavendum, praesertim hoc rerum statu (III, 294, 295), Porro nihil castimoniae honestate aut praestantius habetur aut admirabilius

(III, 62), et ideo vigilandum in conversatione nostra (I, 72. II, 284) : *vid.* **Externus homo, Virtutes.**

HUMILITAS in sacris Litteris commendata (IV, 18), nihil aliud est quam facilitas et alacritas quaedam in imo semper haerendi, idque amore et gratia Dei (II, 10).

In admittendis candidatis quandoque compensare potest defectum ingenii (II, 11), et in noviciatu ut basis ponenda est (I, 61).

Haec virtus, innumerabilium bonorum radix (III, 180. IV, 119), numquam non utilissima (II, 340. IV, 119) ad pefectam oboedientiam (I, 14, 40), quam ipsa facilem reddit (I, 42. III, 81, IV, 137), itemque ad castitatem (III, 63, 64) et alia dona impetranda (II, 450-452) : omnibus et praesertim magnis ingeniis necessaria est (II, 27), tum ut correctiones et admonitiones fructuose accipiant (I, 68, 69), tum ne tristi naufragio pereant (II, 28), et diuturno labore acquisitas virtutes, in multorum perniciem, corrumpant)I, 143. 144).

Praecipue in humilitate et oboedientia consistit spiritus nostri Instituti (II, 430. Cf. III, 140. IV, 136, 139), quem S. P. N. clarissimis verbis voluit fixum permanere (II, 92), ut conservaretur corpus Societatis (III, 283. IV, 139), stans in ordine suo (I, 427). Ordo autem noster humilitas est (I, 422), cum sit Societas minima (II, 316. III, 118) ; et ut humilitate infimi simus suadent ipsae nonnullorum querelae de nostrorum superbia et ambitione (I, 380, 381) : quae licet falsae, si universe de Societatis hominibus intelleguntur (II, 315), minime tamen neglegendae sunt, magisque cavendum ne ansam aliquam praebere malevolis videamur (II, 438. III, 203). Tuendum sane decus Societatis, sed non putidis propriorum meritorum encomiis (II,283,284.IV,324).

Curanda humilitas : *in rebus prosperis*, ne beneficium divinum arrogantia corrumpamus (II, 293), et vana ostentatione (II, 314) aut ambitione ad ignominiam simus (I, 376, 377). Patribus nostris, quantis viris (II, 413) ! nos tantilli (II, 448, 449.

Cf. II, 369. III, 109, 246)! ut ne de illis quidem nisi stolide superbire possimus (II, 317). Item *in rebus adversis* (II, 301, 337, 441, 446. III, 117, 217), ut ea sicut decet perferamus (II, 472-475. III, 118-120), neve ipsa fortasse nos ad quandam superbiam extollant (II, 465, 466), non sine magno nostro periculo (II, 471).

In omnibus ergo humiliemus nos (II, 340), memores nos nihil posse (II, 361, 388), nihil esse nisi instrumenta (II, 412), quibus si volumus ut Deus utatur, humilitate opus est (II, 413).

Huius virtutis praecipua documenta continet liber Exercitiorum spiritualium (II, 374-376, 465. III, 172).

IMMENSITAS dos est propria Divinitatis (II, 151) : *vid.* **Perfectiones divinae.**

INDIFFERENTIA vol aequabilitas, qua statuae instar non illo versum magis quam alio propendimus, nostrum quemlibet decet ad omnem locum, domum, collegium (I, 457); ad ministeria et gradus Societatis explicetur bene serioque noviciis inculcetur (I, 197, 190); ad socios et Superiores, mortalium res publicas regno Beatorum similes facit (II, 130). Si vero abest haec sancta indifferentia, sequentur multa incommoda (II, 83. III, 34, 125, 163, 164). *vid.* **Vetus homo.**

INFORMATIONES ad gradum (I, 198), ad regimen (I, 191. II, 223, 224) et alia Societatis munia (II, 146) magnopere rei nostrae communis interest ut sint fideles (II, 130). Fideli relatione supprimitur distantia locorum (II, 151), melius innotescunt subditi quam praesentia corporali (II, 152), eique Societatis universae regimen innititur (II, 153); ita ut hac veritatis luce sublata migraret in chaos (II, 129).

Quam lucem ne monitores infidi obscurent inordinato affectu (II, 130), deligantur probati iudicii et incorruptae fidei Sacerdotes (II, 153), qui nulla propensione alia ducti quam ad aequum et honestum (II, 148), fidele iudicium ferant, prae ocu-

lis habentes exemplum Christi Domini (II, 131, 132), et omnigenam necessitatem : 1° Ne praevaricetur iudicium (II, 133) et Christus iterum crucifigatur in servis suis (II, 134);

2° Ut omnes stimulentur ad perfectionem (II, 135), et unusquisque habitet sub vite sua (II, 136);

3° Ut gravia damna praecaveantur, neve indigni admittantur ad Professionem (II, 137-140).

Non minoris momenti sunt informationes de moribus quam de doctrina (II, 144); quin potius longe maioris (II, 145,154,155). Cetera *vid.* **Vetus homo.**

INNOCENTIA Societatis (I, 391) tam multis tamquam atrocibus calumniis impetita (II, 390. Cf. I, 288, 381. II, 315, 457) numquam clarius patuit quam cum eversa fuit (II, 390-393). Huic si quandoque filii degeneres labem intulerunt (I, 393-395), eo quod unius vitium attribuitur universis (I, 395-397), secesserunt a nobis (I, 421).

Decus illud Societatis diligenter tuendum nobis morum puritate (II, 284. Cf. III, 324), inculpatae vitae innocentia (II, 305. III, 203), et ardentibus ad Deum precibus (II, 474. Cf. III, 296).

INSTITUTUM Soc. Iesu a multis PP. laudatum (IV. 65). Eius studium et exsecutio (IV. 65) Executionis fructus et impedimenta (IV. 69). Institutum inviolatum servandum (IV. 72). Quae hoc tempore potissimum exsequenda (IV. 74). Instituti ignorati damna (IV. 199). Instituto plus tribuendum quam consuetudini (IV. 213). Non inveteravit (IV. 214).

INTENTIO pura divini servitii (I, 64), primo circa vitae statum (I, 440) necessario requiritur in admittendis ad Societatem nostram hominibus (I, 56. Cf. III, 98). Deinde circa res particulares omnes regula praescribitur nostris (I, 440. II, 282. III, 95-97), et suadetur ex eo quod ad Deum, ut finem ac centrum nostrae beatitudinis, omnes actus nostros tendere necesse est (I, 320); malum enim dicitur quod scopo caret (I, 321).

Ex intentionis vero puritate quam multa profluant bona facile percipitur (III, 146, 147).

Regula iubemur quaerere Deum in omnibus (I, 165, 439) intentione recta (I, 207, 241) et sincera, solam Dei spectantes gloriam et animarum salutem (II, 232, 356). Quae rectitudo atque sinceritas, si tanta debet esse in omnibus nobis (II, 338), quanto magis iis qui missiones exteras cogitant (II, 357).

Facile quidem dictu *ad gloriam Dei!* sed etiam sine vanitate in gloriam Dei operari utinam tam facile sit (II, 284)! Est saepe vana gloria non leve impedimentum nostris contionatoribus (I, 344), aliisque in sublimi collocatis (II, 74). Absit ista vanitas, a spiritu Societatis nimium discrepans (II, 249, 314. Cf. I, 375-377); absit commodorum studium et cupiditas (I, 382. Cf. II, 247); absint respectus humani omnes (II, 173, 174, 199, 200), quos velut tenuia fila, ne nos a fine retardent, amor divinus disrumpat (I, 322. Cf. III, 97, 98) : *vid.* **Vetus homo.**

INTERIORA ex quibus colorem speciemque ducunt externa (I, 363) et efficaciam ad exteriora permanare ad finem nobis propositum oportet (II, 364), sunt media illa quae cum Deo instrumentum coniungunt ac disponunt (II, 252), cuiusmodi sunt : probitas et virtus, praecipue caritas, pura intentio, familiaritas cum Deo, et sincerus zelus animarum (II, 406. III. 222), Haec arma nostra spiritualia (II, 364) in primis adhibenda sunt ad conservationem non solum corporis, sed etiam spiritus Societatis (I, 64. Cf. III, 129). *Vid.* **Oratio, Virtutes, Zelus.**

INTERNUS HOMO Societatis (III, 92) : *vid.* **Spiritus.**

IESUS CHRISTUS heri et hodie (I, 469) :

I. Multifariam nominatur his aliisve titulis : Deus Salvator et Dominus noster (I, 17) ; orbis Redemptor (II, 132), Restitutor (I, 11) et Mediator (II, 48, 265) ; Unigenitus Dei Filius (I,2); sempiterna Sapientia (I, 10) carnem induta (II, 17) ; Verbum

aeternum pro nobis humanam formam indutum (II, 131); Auctor et Consummator fidei nostrae (III, 85, 106, 176); Pastor optimus et verissimus (I, 73); Magister (II, 66) veritatis (II, 93); caelestis Sponsus (I, 245), cui desponsati sumus omnes ut virgo una casta in Ecclesia catholica (II, 111); dulcissimus Pater (I, 110), in quo educavit nos Mater Societas (I, 393. II, 15), Rex pacis (II, 109), Rex gloriae (I, 99), Rex Regum (II, 73), Rex caelestis et Imperator (I, 5); Dux et Caput Societatis (I, 454) militiae (I, 127, 170); divinus Inventor (II, 5) et Architectus Societatis aedificii (II, 102); Princeps motionum stellati caeli Societatis (I, 421); Arca vera testamenti nostri (I, 399); Corporis Ecclesiae caput (I, 219), cuius caesariem nihil vetat Societatem intellegi (I, 395); etc...

II. Hortatus est ad omnem perfectionem (I, 2), et in primis ad salutem animae curandam (I, 52. III, 164); ad mutuam caritatem (I, 15, 110, 165. III, 242), et concordiam (I, 173. II, 109, 157), immo ad diligendos inimicos (II, 116); ad oboedientiam (I, 33, 34); ad paupertatem (I, 448-450. II, 54, 55, 285); ad liberalitatem (II, 353), et ne sollicitiores simus in cura temporalium (I, 66); ad prudentiam (II, 233, 355); ad vigilantiam (II, 170. III, 128, 231, 296); ad humilitatem (I, 144. II, 90, 317. IV, 121); ad abnegationem (I, 69. II, 327), et patientiam in persecutionibus (II, 334, 461). Adversus scandalum munivit nos (II, 283): docuit orare (II, 279), et ut perseveraremus ad importunitatem orantes (II, 262, 263) in nomine Iesu (II, 304) excitavit fiduciam nostram (II, 298, 341-345, 437, 442. III, 183, 297). Avocavit nos a negotiis temporalibus (II, 92) ad sequelam (II, 467) et vitam apostolicam (I, 62. II, 284, 468), faciens nos fieri piscatores hominum (I, 118, 338. III, 260) et operarios in messe (I, 117) : pro Eo enim legatione fungimur (I, 343); sed zelum postulat (I, 245, 246), fructum reposcit (I, 177), et aliquando exiget talentum cum lucro (I, 244. II, 254).

III. Sese nobis non modo Praeceptorem sed etiam Exemplar praebuit (I, 46) vivum (II, 340) : 1° *Iunioribus* in vita abscon-

dita (I, 58), exinaniens se (I, 112), egenus factus (II, 98-100. III, 309), subditus et summissus (I, 20. II, 146), in laboribus a iuventute (III, 16).

2° *Operariis* in vita publica (II, 54. III, 166), zelum exercens (II, 247, 248. III, 244) in fame et siti (I, 454. II, 71, 79, 344), pauperes evangelizans (II, 66. III, 253), vere paenitentes amanter excipiens (II, 195. III, 254), et sanans contritos corde (II, 177); sed terrena declinans qui propter divina descenderat (I, 463), et unice quaerens voluntatem Patris (I, 309).

3° *Superioribus* in eligendis apostolis (II, 17, 339) iisque informandis (I, 195. II, 92, 93) ac regendis (II. 193, 194), docens primum exemplo (I, 413), nec imponens onera gravia (II, 96), sed iugum suave (I, 90), iudicium ferens secundum veritatem (II, 131, 132), et reddens unicuique secundum opera (II, 137, 146, 147), sine acceptione personarum (I, 411, 412).

4° *Senibus* et *infirmis*, quia peccata multorum tulit et pro transgressoribus rogavit (III, 177).

5° *Omnibus* denique a Bethleem ad Calvarium (II, 100, III, 117, 118) pertransiens bene faciendo (III, 186), vitam agens tot inter aerumnas, iniurias et ludibria (II, 376), sed in die passionis suae maiore honore Patrem afficiens (II, 464) factus pro nobis oboediens usque ad mortem (III, 85).

IV. Nima caritate dilexit nos (I, 9, 10. II, 18, 97) et urget 88. II, 439. III, 98) ut ardenter redamemus (I, 155, 315-318. III, 19, 20), et totos nos Ipsi tradamus (I, 136-139), agnoscentes Ipsum in Superioribus (I, 34, 445. II, 289), et sectantes vestigia Eius (I, 62), non a longe (I, 125), sed quam possimus proxime (II, 369. Cf. II, 60. III, 99, 105).

Nos enim ad propiorem imitationem eiusdem professio nominis auctorat (I, 445), et Institutum nostrum totum in imitatione Christi Iesu fundatur et continetur (II, 462), quo nihil ad imitationem praestantius, nihil ad mercedem uberius proponi potest (II, 98).

Meditatione assidua verborum gestorumque (I, 380. IV, 340)

Christi laborantis atque morientis, dolandae sunt nostrae affectiones (I, 403); et ingressi in cavernam maceriae, in latus Crucifixi (I, 82. III, 218), transformabimur a claritate in claritatem (III, 13, 221), mortui in Christo (I, 68, 470, 471), qui denuo nascetur in nobis (I, 392), et in Ipso renovabitur ut aquilae iuventus nostra (I, 400, 402). Crux Salvatoris coniungit Deo (I, 65. II, 271), asperum quodcumque mitigat (I, 453, 467), fortitudo est et gloria viri apostolici (I, 220. III, 215, 216, 223), ut fuit Patrum nostrorum (II, 392, 393, 449. III, 99, 214), et debet esse nostra (II, 335, 336, 364. III, 104, 105, 113, 176).

Salutifero Tau muniendae sunt frontes nostrae (I, 232), et SS. Cor. Iesu peculiari pietate ac fiducia colendum (II, 297. IV, 97). Societas Iesu nomine insignita Eiusdem SS. Cordi peculiari quodam modo coniuncta et devota est (II, 322). Qui cultus promovendus a nostris ob speciales rationes (III, 2-10, 187. IV, 104), tum in aliis (III, 265. IV, 341), tum in primis in nobis ipsis (II, 420. III, 265), non externe solum, sed multo magis interne (III, 10-20. IV, 107), refugium praebet nobis in die tribulationis (III, 1, 2, 187, 232, 236). Quare praeter alia in hunc finem praestanda (III, 22, 188), Societas universa peculiari consecrationis actu SS. Cordi Iesu est devota (III, 219, 220. IV, 113).

De sacro sacrificio Missae (II, 11) *vid.* **Missa.**

IUBILAEUM toti Societati fuit indultum a Greg. XIII, anno 1583 (I, 146); a Sixto V, anno 1586 (I, 158); a Clemente VIII, anno 1604 (I, 296); a Paulo V, anno 1617 (I, 386); ab Urbano VIII, anno 1640 (I, 431).

Universale Iubilaeum indictum a Sixto V, anno 1590, per propriae perfectionis studium et missiones ad salutem proximi celebrandum fuit (I, 226).

IUNIORES diligenti studio educandi (III, 270) et formandi in doctrina et virtute solida (III, 149), ad duplicem finem Societatis (I, 241. III, 146), assiduam iis doctrinis quae propriae Societatis sunt operam navantes (II, 240).

Post noviciatum sibi relinqui non debent (II, 160); sed specialem vigilantiam Superiorum postulant etiam ii qui in Collegiis scholas regant (II, 206), et ubi consuetudo viget, cotidie ipsis puncta meditationis proponantur (II, 161).

Non obliviscantur modestiae (I, 201, 442) ac reverentiae quam antiquis Patribus exhibere debent (I, 202, 379. II, 431); et si qui deprehenduntur libros minus castos lectitare vel apud se habere, confestim in tirocinium remittantur (I, 461, 462).

Iam et ipsi zelum exercere possunt (I, 15) et debent (II, 239) : bona intentione, studio perfectionis, bonis exemplis, sanctis desideriis et precibus (I, 16, 17. Cf. II, 356-364. III, 197-203).

Cetera *vid.* **Externus homo, Scholastici.**

IUSTITIA divina coronas amicis, inimicis incendia praeparat (II, 148) : *vid.* **Perfectiones divinae.**

Iustitia, spectata ut virtus *universalis*, requiritur a nobis, non solum ut vivamus vita iustorum (II, 275), sed ut ad eam multos erudiamus (I, 7, 422. III, 256) : *vid.* **Finis Societatis.**

Iustitia, ut virtus *cardinalis*, aequi bonique vindex, eodem flagello quo in reos nocentes animadvertit, vitia ipsa exterminat (II, 60), pro meritis munia distribuens incredibilem animorum concordiam parit (II, 136), et ideo speciatim commendatur informatoribus ut ab omni affectu inordinato illibata servetur (II, 131-150).

LABOR sit noster assiduus et fidelis (II, 329), sive impendatur propriae perfectioni (I, 94) : *vid.* **Fervor, Tepor**; sive saluti proximi (II, 237, 243) : *vid.* **Otium, Zelus.**

LECTIO super mensam ex quibus libris sit facienda (II, 161. IV, 165).

Lectioni spirituali privatae tempus destinatum impendatur integrum (II, 161). **Lectio** Constitutionum S.P.N. etc. ad profectum valde opportuna (II, 418). Cetera *vid.* **Gazulae, Libri.**

LECTORES, seu altiorum disciplinarum professores, eminentissimi qui sunt, ceteris praehabeantur (II, 31), si tamen conantur vera docendo tradere potius quam nova producere (III, 279). Materias sibi assignatas intra annum omnino expleant (III, 278), teneantque in utraque facultate doctrinam Angelici Doctoris quam Cong. V tamquam propriam Societatis declaravit (III, 280), et in philosophicis studeant etiam Aristoteli (II, 32).

LIBERALITAS infinita Dei, ex qua bonorum omnium ratio gratiaeque redundat (I, 2) : *vid.* **Perfectiones divinae**.

Liberalitas qualis a nobis requiratur (II, 323) : *vid.* **Avaritia**.

LIBERTATIS effrenatae spiritus (IV, 312), effectus (IV, 313) ; timendus religiosis (IV, 313) et nobis (IV, 317). A Societatis spiritu discrepat (IV, 318). Mala inde Societati timenda (IV, 321, 323).

LIBRI e quibus numquam doctrinae tantum accedet, quantum ut castimoniae decedat in proclivi est, omnino ablegandi sunt (I. 371, 459), cum gravissima inde pericula exsistant (I, 371, 372, 459, 460) praesertim iunioribus (I, 461. Cf. IV, 166).

Libros superfluos habere vel usui proprio addicere vetat Paupertas (II, 87). Cetera *vid.* **Gazulae**, **Lectio**.

LITTERAE sacrae factis expressae coronam pariunt nobis victoriae (I, 142) : *vid.* **Scriptura Sacra**.

Litterae quibus nostri eximie expoliendi sunt (I, 3) : *vid.* **Scholastici.**

MAGISTER NOVICIORUM (II, 15, 427) *vid.* **Novicii**.

MAGISTRI, seu praeceptores in Collegiis deligantur, non tamen exquisitissime (II, 29, 30) ; sed prius formandi sunt in spiritu (II, 311, 312), et in litteris per aptissimos professores (III, 274). Saluberrimum apostolatus genus obeunt (III, 157) et munus

honorificum, non mercennario more suscipiendum (II, 241). Difficilem quidem sustinent laborem ; sed recogitent se in hoc imitari Christum (III, 255), existimantes Deum in eorum manibus quodam modo posuisse fortasse praedestinationem tot animarum (II, 241). Adde quod ex recta tenerae aetatis educatione tota paene rei publicae constat utilitas (II, 30. III, 142). Hinc nihil praetermittant eorum quae ad excolendam in pietate et in litteris iuventutem conducant (II, 241, 242. III, 251. IV, 249), doceantque verbo non solum sed etiam exemplo (III, 156-159).

MAIESTAS DIVINA, (I, 1), *vid.* **Perfectiones divinae.**

MAIORES NOSTRI et in primis S. P. Ignatii socii (III, 245), primitiae Societatis (I, 70), amplioribus fortasse Dei donis ornati (II, 369), sed spiritu quem S. Patris exemplo et institutione hauserant repleti (III, 99. Cf. II, 381), locupletissimam hereditatem (II, 322. Cf. I, 431) sanctitatis et doctrinae (II, 413. Cf. I, 68, 95, 362, 420-424) reliquerunt, nobis conservandam non alia ratione quam qua ipsi pepererunt (II, 331). Eorum praeclara exempla studiose intueamur (II, 254. Cf. II, 46. III, 273), non ut extollamus nos stulta superbia (II, 317, III, 118) sed magis erubescamus (II, 429) et confundamur nostra exiguitate (II, 448), et quantum possimus melius (II, 370) eorum vestigiis inhaereamus (II, 340), in eadem Societate quam tantopere amavere (II, 309, 310), iisdem quibus ipsi usi sunt armis utentes (III, 262-264), eundemque spiritum retinentes (I, 469, II, 366) pietatis (I, 453. II, 2, 3), humilitatis (III, 107), abnegationis (II, 449, III, 153), mortificationis (III, 66), paupertatis (I, 414. 457. II, 68, 76, 81, 85, 86. III, 56), caritatis (II, 121-124. III, 277), et zeli puri pro gloria Dei (I, 375. II, 347-349, 362, 393. III, 36, 247, 259), ne tantorum Patrum filii degeneres inveniamur (III, 108, 116, 172). neu sit cur invideamus ipsis incomparabile diadema clarissimis gemmis effulgens (II, 157, 158).

MANSUETUDO in subditis necessaria, ut perfecte oboediant (I, 42) ; in Superioribus falsa abicienda (II, 194, 196-198. III,

154), et retinenda vera (II, 495. Cf. I, 101-103) quae apprime discitur a SS. Corde Iesu (III, 17).

MARIA DEIPARA VIRGO et virginum Parens, in cuius casto sinu nata est et crevit Societas (I, 391), in exemplum citatur subordinationis (I, 20) et paupertatis (I, 453). Praecipua religione ac pietate nobis colenda est (I, 180, 469. II, 420. III, 224), utpote digna et suo nos potenter adiutura patrocinio (I, 181, 182, III, 183). Eius patrocinium fidenter implorandum (II, 259, 260, 297, 472. III, 237, 297). Per ipsam enim accedimus ad Iesum (II, 383, 455. II, 24, 223), et Societas se totam esse Mariae semper professa, mirabilem ab illa opem non semel experta est (III, 25, 26. Cf. II, 259). Ad hunc finem quaedam praestanda praescribuntur (I, 288. II, 259, 260, 266, 274, 275, 180), speciatim in honorem eius purissimi Cordis (III, 26, 27).

MARTYRES, qui vitam pro Christo et sanguinem fundunt ex unico placendi Deo divinaeque gloriae propagandae desiderio (II, 147), exemplum nobis praebent fortitudinis in subiectione (I, 24, 417, 418. IV, 27) et in adversis tolerandis (III, 112, 129). quod maxime gloriosum erit imitari (II, 463), sicut iam plures Societatis filii imitati sunt (II, 295, 391, 392. III, 172, 194, 213, 214). Martyrium nostrum incruentum in quo positum (IV. 29).

MEDITATIO cotidie facienda, etiam missionariis (I, 53); ut si quo fors casu aliquid illi decesserit, quam primum integre restituendum sit (I, 437). Quibusnam proponenda et explicanda cotidie meditationis materia (II, 161). Quomodo invigilandum ut nihil de consueto tempore detrahatur (II, 161-163). Quanta mentalis orationis necessitas et fructus (I, 81-84). Si res difficilis est, facilem reddet amor (I, 438); et idcirco habemus Superiores, habemus et Praefectos spiritualium rerum (I, 85). Neque adeo difficile est animi facultates certo servato ordine ad veritates fidei cognitas applicare (II, 373). Cetera *vid.* **Oratio**.

MERCES in portu terrae promissionis (I, 59), quae caelestis Ierusalem est (I, 90), patria nostra (I, 149), ultimus finis et beatitudo sempiterna (I, 47), optatur praesertim ad calcem nonnullarum epistolarum (I, 47, 148, 183, 213. II, 101, 226. III, 101). Debet nos excitare ad fervorem (I, 7. II, 254) et magnanimiter tolerandas tribulationes (II, 268-270. III, 131) ac persecutiones (II, 336, 456. III, 106).

Constat enim gratiae in hac vita partae proportione responsuram gloriam in aeterna (I, 140), et sicut in Ecclesia militante gradus distinguuntur ex donis gratis datis, ita in triumphante ex his quae gratum faciunt (II, 118).

Praeter hanc recte factorum mercedem, nihil sibi supra ceteros debitum velle ob labores (II, 90, 91) omnino decet subditos in vocatione nostra (II, 250. III, 91). Quamquam debent Superiores, quoad fieri potest, virtutis et laborum habere rationem (II, 249), dando munia dignis pro aequo et honesto (II, 147, 148), eo maxime quod haec ratio inter nos agendi plurimum fovet atque auget exemplum (II, 39, 42).

METUS ex varia causa (II, 189 : *vid.* **Timor**.

MINIMA quare appellari a S.P.N. Societas consueverit (II, 316. III, 118, 119) : *vid.* **humilitas.**

Minima quatenus vocantur levia et modica, minime sunt contemnenda in materia paupertatis (II, 55-57), vel caritatis (II, 114, 115), vel in observatione regularum (I, 362. II, 183). Neque enim parvi sunt aestimanda quae a non parva caritate et oboedientia proficiscuntur (I, 88) ; neque sapientis est parva quaelibet flocci facere, cum ex parvis saepe magna et maxima capiant initium (III, 69). Nemo repente fit turpissimus (I, 100) ; sed qui spernit modica paulatim decidet (II, 184-187).

MINISTER officium habet gravissimum (IV, 191).

MINISTERIA SOCIETATIS, inter quae non immerito primum sibi locum vindicat tradenda doctrina christiana (I, 112. IV. 6),

media sunt iuvandi proximum ex Instituto nostro (I, 206. Cf. II, 230. III, 242) gratis exercenda (II, 250. III, 54, 92).

Verum ne vitio nostro languescant, ut saepe fit (III, 168), necesse est in his omnem diligentiam industriamque adhibeamus labore assiduo (II, 233), tum quod ad genus auxilii, tum quod ad modum praestandi (III, 247).

I. *Genus auxilii* describitur in formula Instituti et Constitutionibus (I, 238. III, 243). Tamquam aliena excluduntur negotia saecularia una cum nimia cura rerum temporalium (I, 463-465), et cura spiritualis Sanctimonialium (III, 138, 139, 284-289). Tamquam propria nostra recensentur praedicatio, lectio, spiritualia exercitia, puerorum ac rudium in Christianismo institutio, sacramenti confessionis et aliorum administratio, et reliqua (I, 466. III, 290, 291. IV. 48).

II. *Modus iuvandi* praescriptus ab Instituto exigit : 1° Ut in ipsis mediis occupationibus memores simus Dei, ne mundi luto inquinemur (II, 207, 208. Cf. III, 265, 266).

2° Ut in ipso tempore modus adhibeatur, et vacet quandoque restaurare vires spirituales (I, 209, 210).

3° Ut tum in personis excolendis (III, 249-259), tum in ipsis exercendis ministeriis ea semper praevertamus quorum manifeste latius patet utilitas (III, 260-264. IV. 46).

Possunt autem bifariam exerceri : vel in missionibus versando, quod longe praestabilius est (I, 467. Cf. II, 42, 43) ; vel haerendo in domo aliqua ubi magnus divinae gloriae proventus speratur (I, 423, 466).

Id denique saepissime commendatur ut ne sectemur speciosa in oculis mundi (II, 314), quia multiplex et perniciosum est periculum iis qui splendida ministeria obeunt (II, 73-75. III, 254, 255). Cetera *vid.* **Zelus**.

MISERICORDIA divina quos amat corrigit et castigat (II, 257) : *vid.* **Perfectiones divinae**.

MISSA, sive ut sacrificium, sive ut sacramentum consideretur,

ipsa sua dignitate omnem reverentiam postulat (I, 332, 333), in praeparatione remota et proxima, in celebratione ipsa et gratiarum actione (I, 334-336), maxime a Sacerdotibus Societatis Iesu (I, 337. III,11,12), peculari modo vocatis ad reparandas iniurias SS. Eucharistiae illatas (III, 10). Servanda est omnino regula quae mediam horam sacro faciendo praescribit (I, 363).

MISSIONARII saltem duo sint in singulis domibus, praeter residentias (I, 272, 273), viri probati et ad id munus propensi (I, 228), in primis Professi, ad quos proprie magis spectat hoc ministerium (II, 42). Exemplo et doctrina populos aedificent (I, 114), nec agant de novis Collegiis erigendis (I, 274, 469). Cum aliis Religiosis, sicubi eodem in loco versabuntur, consentiant Cf. I, 382). Humili oboedientia dirigi se sinant (II, 439. III, 164), ad exemplum B. Petri Canisii (III, 160), et S. Xaverii magisterium sequantur (III, 248). Cetera *vid.* **Missiones, Zelus.**

MISSIONES sunt velut nativus Societatis professae character (I, 466. Cf. I, 239), praestantia, fructu et necessitate semet ipsum commendans (I, 467). Instituendae sunt in singulis Provinciis (I, 227), non tantum tempore Iubilaei (I, 223), sed et aliis temporibus (I, 247, 468. II, 43). Id exigit Institutum et professionis nostrae formula (I, 237-239). Immo expedit ut singuli fere sacerdotes quotannis aliquam missionem obeant (I, 271) more apostolico (I, 272). Quae missiones non impediunt animi profectum si earum regulae serventur (I, 467), ideoque curandum ut recte obeantur (I, 228. Cf. III, 160).

Missiones exterae, quas semper amplexa est Societas (II, 347), utpote ministerium maxime consentaneum (I, 270), immo proprium suum (I, 375. II, 43) : magni sunt faciendae tum ob ipsam operis magnitudinem, tum ob singularem operariorum praerogativam (I, 49, 50, 214-221. II. 129). Ad has desiderandas movent nos : 1° exempla Maiorum nostrorum (II, 348) ; 2° multae regiones iam albae ad messem (I, 117, 118. II, 351, 352, 460) ; 3° ipsae quas patitur Societas persecutiones (III, 122-124).

Has missiones multi anhelant (I, 50. II, 180), qui nomen dent (II, 352) et quorum pia desideria foveant Superiores (I, 386, 387. Cf. I, 247), quin timeant provinciarum suarum detrimenta (II, 353, 354).

Non sufficit tamen desiderium quantumvis ardens et pium (II, 355); cum hoc ministerium, si quod aliud in Societate, praeclaros et maxime selectos homines exigat (I, 114, 115), firmae valetudinis, bonae indolis, sufficientis doctrinae, et praesertim solidarum virtutum studiosos (II, 356. Cf. I, 51, 222), ita ut excellentiore quodam modo quam ceteri Religiosi vocari possint (I, 216).

Quare priusquam mittantur, sedulo se examinent circa puritatem intentionis et studium perfectionis (I, 356- 358), diligenterque se praeparent (I, 246, 247), ut praestare possint foris quae sibi domi comparaverint (II, 359, 360). Missi vero sollicite interiorem spiritum conservent, caute ambulantes inter gentes perversas (I, 52, 53), et earum conversioni potissimum se impendant (I, 217, 218).

MODESTIA, licet sermone taceat, habitu loquitur et gestu (I, 362) : *vid.* **Externus homo.**

MODERATIO si absit, bonum in malum desinit et virtus in vitium (I, 12) : *vid.* **Temperantia.**

MODERATORES, latina voce, dicuntur passim domorum Superiores et Rectores (I, 19, 25, 386. II, 169, 192. III, 70, 147, 152, 202), nec immerito, quippe quorum sit modum ponere suis (II, 439) : *vid.* **Superiores.**

MONIALES, non claustrales modo, sed quaecumque in communi vivunt, a nostrorum confessionibus arcendae (III, 287). Harum curam S. P. N. constanter repulit et a Societatis vocatione alienam iudicavit (III, 138, 139) : quod pluribus ostenditur et confirmatur (III, 284-291. IV, 201).

MORTIFICATIO, tamquam firmamentum orationis (I, 441) format hominem Societatis interiorem, surgentem *ex mortuis* ad Deum (I, 436. Cf. I, 69-71, 447), neque ullam hac efficaciorem rationem assequendae propriae perfectionis commendavit S. P. N. (I, 249), cuius frequens erat praeceptum Angelos in rebus agendis imitandos esse (I, 437), praesertim quod mixtum vitae nostrae genus homini non mortificato plus nocere quam prodesse solet (I, 58, 127, 128. Cf. III, 60, 136, 137).

Varia est et multiplex : externa et interna (I, 259) : carnis, sensuum, affectionum, facultatum (I, 441).

1° Externae afflictationes carnis praecipiuntur velut subsidia viaeque ad perfectionem (I, 441). Licet enim non sint ipsa perfectio, iis tamen mediis ad perfectionem uti debemus, non secus ac aliorum ordinum Religiosi (I, 265), cum earum usus plurimum iuvet, meritum augeat (I, 261), nec solum conferat ad corporis castitatem conservandam (III, 65), sed ad sescenta alia, fructusque uberrimos in virtutum studio producat (I, 261, 262. Cf. III, 125, 126), dummodo in his vitemus excessum qui saepe ad laxitatem ducit et maiora bona impedit (I, 260. Cf. I, 13). Non omnibus aequales esse debent (I, 249, 259. Cf. III, 66) ; sed moderandae ex fine mediisque Societatis et verbis Constitutionum (I, 263). Non ergo sufficit nobis interna mortificatio (I, 262), neque singularitas censenda est externas paenitentias frequentare (I, 264). Quin immo recte Superior subditos ad plures adhortatur quam regula iubet (I, 265, 266, 288. Cf. II, 455. III, 188, 189), quae paucis praestitutis ad ampliora properandum suadet (I, 267), tum permittendo corporis castigationes, tum monendo ne sint immoderatae nec indiscretae (I, 267, 268), quales fortasse fuerunt ante conditas regulas (I, 269. Cf. I, 12, 69), nunc certe non sunt (I, 270).

2° Externorum sensuum ab omni inordinatione custodia (III, 92) secundum genus mortificationis est (I, 442) : cuius demonstratur necessitas (III, 67), defectus et praxis (I, 442), per regularum modestiae observationem (III, 68-70).

3° Interna mortificatio pravas animi affectiones coercendo castigat, adhibitis earum contrariis (I, 443). Haec numquam intermittenda (III, 66, 124), et pars magna prolixi martyrii est quod religioso Instituto sancti attribuunt (I, 417), tanto propensius nobis apprehendendum quanto liberius expetitum (I, 418), dulcioresque fructus ferat (III, 145).

4° Intellegentiae ac voluntatis mortificatio (I, 444), sine qua neminem pro legitimo filio Societas agnoscit (I, 69), suadetur necessitate animae pacis habendae (I, 444-446. III, 144) et fructificandi in vinea Domini (I, 70. III, 163), si Divinae manus instrumenta esse cupimus (II, 409, 410).

Porro asperitates huius virtutis omnes superabit Crux Salvatoris (I, 65), assidua meditatione prae oculis habenda (I, 64, 402, 403), ut semel mortui per vota nostra vitam istam abscondamus in Eo (I, 67, 68. III, 95). Cetera *vid.* **Abnegatio.**

MUNDUS spernendus qualis sit (IV, 221); amatur ab ignavis (IV, 227), in nobis debellandus et cur (IV, 228), debellandus in aliis hominibus (IV, 245). Inimicus religiosorum (IV, 274) eos fallere conatur (IV, 275), artibus semper iisdem (IV, 276), nunc praecipue levitate et falsae libertatis amore (IV, 277). Ad aliena avocat (IV, 287), et ab Instituto avertit (IV, 288).

NATIONALIS SPIRITUS, sive spiritus provincialis quid intellegatur (II, 105). Timendum ne in Societate reperiatur spiritus ille (III, 275-277) et maxime cavendum (II, 106, 107), suadetur motivis desumptis ex ordine naturali (II, 108, 109) et supernaturali, tum generalibus (II, 110, 111), tum magis nobis propriis (II, 112), praesertim amore Societatis, cuius bonum commune uniuscuiusque nostrum est (II, 113), et exemplo Maiorum nostrorum (II, 121-125).

Odium contra tam malignum spiritum concipiendum et aliis communicandum (II, 125-127), nec tolerandum ut ea quae ad nationes pertinent vel leviter attingantur (I, 108); sed repri-

menda ingenita illa cuique erga suae gentis homines propensio (II, 150), maxime nobis qui ad omnes vocamur ubique gentium pari studio iuvandos (I, 457).

NEGOTIA SAECULARIA, quae hominem quasi in alienam speciem transformant (I, 98), scopuli sunt maxima sollicitudine vitandi (I, 99). His nemo nostrum se immisceat (II, 91. III, 292), quanto minus qui Superiores sunt (I, 190)! Nec consanguineorum postulationibus, nec virorum commendationibus principum, nec ullo denique impulsu ad hoc adduci nostri se sinant (I, 365), falsae utilitatis aut pietatis specie decepti (Cf. III, 295), nisi admodum forte perraro, re ipsa cogente, cum temperatione (I, 365).

Id a suis exigebat S. P. Ignatius (I, 464), voluitque nostris praescribi Innocentius X, et praescripsit Cong. Gen. V, adhibito etiam remedio (I, 465), ne Superiores nimis coniveant (I, 99. Cf. III, 202). Sunt enim haec ab Instituto nostro aliena (I, 462) valde nociva (II, 92, 172), quibus minime decet nos immisceri (II, 463), adeo ut hinc status Societatis atque existimatio magna ex parte pendeat (I, 365, 380-383. Cf. I, 285).

NOVICII non admittantur nisi idonei (I. 192, *vid.* **Admittendi**); qui tales non sunt dimittantur (I, 192, *vid.* **Dimittendi**).

Admissi omnino necesse est ut rite formentur (II, 311. III, 273), cum ex bono novicio bonus exsistat scholasticus (I, 57), et in optimo novicio spes optimi professi (II, 15). Firmum spiritualis aedificii iaciant fundamentum (I, 62. III, 145), cibaria in Bethleem (I, 59) et amplam virtutum supellectilem sibi comparent (I, 58, 61). Quare non dispensandum in secundo tertiove probationis anno nisi gravi urgente necessitate (I, 192).

In primis probandi sunt an recta intentione ducantur cum spe perseverandi (I, 62. II, 12, 13). Deinde quia durioris cibi capaces non sunt, diligenter lactitandi (II, 14, 15); docendi methodum orandi ad spiritum Societatis accommodatam (II, 160); imbuendi ad ministeriorum et graduum diversitatem indifferentia (I, 197,

198) et vero zelo tamquam lacte (II, 239. Cf. I, 16); fovendi in fervore (II, 20) et in erroribus corrigendi (II, 21). Denique serventur in noviciatu quae sunt in parte tertia Constitutionum (I, 62).

NOVITATES in doctrina omnino sunt, tamquam turbulenti quidpiam, nobis evitandae (II, 31. Cf. I, 285); itemque in aliis mediis quibus utitur Societas ad finem suum (III, 138-140), et speciatim in exercendo sacro ministerio (III, 141, 263, 264. IV, 62).

NOVUS HOMO induendus est imitatione Christi Domini (I, 121) : *vid.* **Iesus Christus, Renovatio.**

OBOEDIENTIA suppleat defectum discretionis in fervore I, 14); dirigat studia nostrorum (I, 358, 462. II, 240. III, 279) et ministeria (III, 163), et omnem usum nostri tamquam instrumentorum Divinae manus (II, 410. Cf. I, 51, 53, 92. III, 160, 161). Id suadent *extrinsecus in ordine naturali* : exemplum omnium gentium (I, 20) et suavis dispositio divinae Providentiae (I 46); in *ordine supernaturali* : exemplum Christi Domini (I, 33, 367. II, 434. III, 83), Deiparae Virginis, et Apostolorum (I, 20-21). *Intrinsecus* vero ipsius oboedientiae 1° Praestantia : cum nulla alia virtus excellentius obsequium reddat Deo, et recte dicatur haec esse mater virtutum, redditque Deum propitium (I, 22, 23. Cf. II, 40).

2° Fructus in proprium uniuscuiusque commodum : nam ab erroribus liberat, vincit tentationes (I, 23), fortitudinem praebet martyrum (I, 24, 417, 418), facilem sternit viam in caelum (I, 25, 365), pacem donat et unionem cum Deo (I, 26, 91. Cf. III, 162-165).

3° Necessitas ob bonum commune, tum domorum particularium : ut serventur et bene gubernentur, quin graviore onere prematur Praepositus generalis (I, 27, 28) : tum Societatis universae : in qua nihil magis omnibus, etiam Superioribus, neces-

sarium est oboedientia, ob peculiares rationes (I, 28, 29, 45, 46, 426), praesertim his temporibus vitioso spiritu libertatis et independentiae infectis (II, 430-434. III, 73, 136, 137. IV, 312-318), adeo ut quisquis oboediendi lege stare nolit vel nequeat, non deceat eum in Societate nostra manere (I, 30).

Perfecta oboedientia colit Superiores immediatos, aeque ac mediatos, ut Christi vicarios (I, 30, 33, 34. III, 75, 76). Hac simus conspicui (I, 366-368) et quasi nota distinguamur (I, 33) : est enim signum nostrum proprium (II, 286), seu virtus characteristica (II, 430), ad quam Societas omnia refert tamquam ad scopum et vexillum (I, 65, 66), et in qua omnis sanctitatis nostrae perfectio constituenda (III, 75) : quasi in ea Societatis nostrae bonum ac salus universa consistat (I, 46).

Perfectae oboedientiae primus gradus est *exsecutio* : quae mandata Superioris qualiscumque ille sit adimplet, monente Christo et Apostolo (I, 34). Qualis haec debeat esse in Superioribus (I, 405) en in subditis (I, 416), et quae sint eius adiumenta, si forte difficilis (II, 41, 42) : *vid.* **Exsecutio.**

Secundus gradus est *propriae voluntatis subiectio*, quae voluntatem Superioris suam efficit. Cuius subiectionis ostenditur praestantia (I, 35), necessitas etiam in spiritualibus (I, 36. Cf. I, 14. III, 78), praxis vera et sincera (I, 36, 37).

Tertius gradus *proprium* etiam *iudicium abdicat*, ut idem sentiat quod Superior, quatenus fieri possit. Huius ostenditur praxis (I, 38, 45. II, 287), maxima convenientia et necessitas (I, 38-40. III, 144, 145), denique praestantia (I, 41, 444-446. III, 78 80. Cf. **Abnegatio**). Quem gradum valde sublimem (III, 79) ut ascendamus, media nobis sunt duo generalia : humilitas et mansuetudo (I, 42, III, 81, 178, 179) et particularia tria : fiducialis intuitio Christi in persona Superioris (I, 43. III, 77), studiosum exercitium, et oboedientiae caecae praxis, non numquam miraculis comprobata (I, 44, 45).

Ex aurea epistola S. P. N. (I, 365), qua nil plenius, nil perfectius de oboedientia dici potest (III, 72), perfecte intellegitur

quicquid ad hanc virtutem pertinet (I, 91); sed et alia tradidit nobis documenta et incitamenta S. P. N. (II, 288, 289. III, 74-83), immo hortatur nos e caelo (II, 290. III, 100). Lex oboedientiae in Societate absoluta est (III, 82, 83, 92, 93).

OFFICIUM DIVINUM, eo quod privatim recitetur a nobis, non in choro, ut ab aliis Ordinibus religiosis (I, 327. II, 236), maiorem requirit reverentiam et attentionem circa tempus, locum, situm statumque corporis (I, 327, 328), et ipsam recitationem, in qua iuvabit gustare Psalmorum suavitatem (I, 229-331. II, 452, 472). Quem ad finem duo suggeruntur adminicula (I, 331, 332). Sed studeamus praesertim hac recitatione laudem Christo Domino, pro tam multis quibus cotidie impetitur iniuriis, ferventer exhibere (III, 11).

OMISSIO non alio modo peccat quam nihil agendo (II, 178). Nihil autem boni facere est facere aliquid mali (I, 134), idque eo gravius quo maius est bonum cui opponitur (II, 245). Hoc vitium, quo laborans anima numquam poterit respondere amori Dei (I, 136-138), adversatur exsecutioni, eiusque damna et causae recensentur (II, 179-201) : *vid.* **Exsecutio, Otium.**

OPERARII in vinea Domini, generali sensu vocantur nostri homines formati (I, 11, 58, 72. II, 97, 256); sensu particulari qui spiritualibus erga proximos ministeriis primario addicti sunt (II, 331. III, 165) : *vid.* **Confessarii, Contionatores, Ministeria, Missionarii.**

ORATIO, sensu latiore, appellari potest omnis recta operatio; sed intellegenda hic strictiore sensu (I, 257) : ex cordis mortificatione orta et mentis oculum in Deum constanter defigens, interior vita est hominis Societatis (I, 436. Cf. II, 251-255), qui ad caelestem patriam et ipse contendat et alios quacumque potest ope compellat (I, 437. III, 100). Hac de re non obscurum est S. P. N. iudicium (I, 84, 249, 437), volentis ea media maiorem habere efficaciam quae magis instrumentum cum suo primo

Motore coniungunt (I, 64, 84. Cf. II, 252, 406), inter quae media tamquam praecipuum recensuit familiaritatem cum Deo in spiritualibus exercitiis (II, 252).

Vocalis oratio non sufficit (I, 85); sed si qua in religione mentalis est necessaria (I, 86) ad edomandas passiones, ad proficiendum in virtutibus, ad fructuose agendum cum proximo et ad ferenda quae toleranda sunt incommoda (I, 82-84. III, 64, 70-72. Cf. I, 64), eam certe nostram esse ostenditur ex ipsa formula Instituti (I, 86. Cf. II, 230) specialem perfectionem requirentis (II, 244-250. Cf. I, 364-379), ad quam perfectionem pervenire non poterit nisi qui vir orationis studio deditus est (II, 251, 252). Huic studio totos nos dedere oportet (II, 253-255), non modo probationis, sed etiam reliquo vitae tempore (I, 86).

Nihil quidem novi statuendum, verum in id incumbendum unice ut exacte et constanter exsecutioni mandentur quae continentur Instituto nostro (II, 159). Porro in Constitutionibus tempus limitatur Scholasticis, non item Professis et Coadiutoribus formatis, eo quod viri omnino spirituales supponuntur (I, 249). Postmodum vero Cong. Gen. IV singulis horam impendendam orationi definivit (I, 250) : quae hora solida debetur Deo (I, 437), et ut nihil detrahatur temporis, laudatur consuetudo visitandi Sanctissimum ante commune signum (II, 162). Meditationis materia proponatur cotidie Fratribus Coadiutoribus et ubi mos est Iunioribus (II, 161). Provectis autem nec modus nec materia videntur praescribenda (I, 251). Nec imponenda, nec interdicenda contemplatio mysteriorum Divinitatis, modo ne quis imprudenter ea utatur (I, 251, 252). Est enim sanctorum Patrum experientia comprobata, et prudenter usurpari poterit saltem triplici modo (I, 252-254); sed et imprudens esse potest (I, 251), praesertim in Superioribus (II, 170), si prae internorum sollicitudine externorum providentiam relinquant (I, 256). Plurimum enim discrimen inter meri contemplativi et unius e nostris orandi rationem intercedit (I, 255, 256).

Orationis stata iura et tempora serventur etiam in itineribus

(I, 453), in missionibus exteris (I, 53), et maxime in gubernationis muneribus obeundis (I, 84, 85. Cf. I, 97, 115, 116. II, 421).

Ut oratio nostra numquam sit intermissa, duo praesertim iuvabunt adminicula :

1° Si crebrae per diem ad Deum fiunt aspirationes (I, 256, 363, 438) : quod genus optimum orandi fructus est bene orandi consuetudinis (I, 257, 258).

2° Si, ut regulae commendant, quaerimus Deum in omnibus recta intentione (I, 439, 440).

Vocaliter orandi formulam ipse Christus docuit (II, 279).

Universa Societas cotidie in spiritu iungitur dum communes quas dicimus litanias recitat (III, 183. Cf. I, 288. II, 452, 453).

Porro praecipue petendus est spiritus bonus (II, 263, 264. III, 36). At nihilo minus orandum etiam pro necessitatibus Ordinis nostri (II, 265, 296, 301. III, 27), Ecclesiae universae (III, 127, 231) et Summi Pontificis (II, 293, III, 208). Quin immo rogemus Deum pro inimicis nostris ut eos convertat (III, 128. Cf. II, 473, 474). Sit autem oratio nostra humilis (II, 258, 301, 302, 452), fiducialis (II, 257, 272, 273, 301), fervens (II, 277-279, 296, 303), perseverans (II, 261-263, 300. III, 297) ; fiat in nomine Iesu Christi (II, 304), per intercessionem B. Mariae Virginis (II, 259, 297. III, 223, 237) et Sanctorum (II, 275, 298), et corroboretur morum innocentia (II, 275, 280, 281, 305), virtutum exercitio (IV. 129) et spiritu Societatis (II, 282-288, 306).

Ad orationem quoque pertinent excussiones conscientiae, piorum lectio librorum, sacramentorum perceptio et S. Sacrificium missae (I, 363) : *vid.* **Examen concientiae, Lectio, Officium divinum, Missa.**

OTIUM, ad quod vitium S. Thomas curiositatem et immodestiam refert (I, 443), locum habere non debet in homine Societatis (II, 245, 329, 330), cuius nota praecipua et scopus singularis est labor pro aliis (II, 234) ; sine quo ne propria quidem salus et

perfectio in tuto est (II, 235) : sive neglegentibus denegata gratia uberiore, et deficiente otiosis omni merito (II, 235, 236), sive contracta per desidiam gravi culpa in Deum (II, 237), in proximos et in ipsam Societatem (II, 238). Neque valet excusatio quae ex occupationum paucitate sumitur, cum praeter alias rationes (III, 171. Cf. III, 291, 292), vacuum tempus utilissime impendi possit, etiam hisce calamitosis temporibus (III, 196, 203, 204) studio sacro (III, 167-170), tum ad doctrinam comparandam (III, 197-199), tum ad perfectionem virtutis (III,200-202).

Paenitentiae publicae vetebantur olim in Societate ob iustas et graves causas (I, 69). Aliquando indiscretae fuerunt ante conditas regulas, nunc autem non sunt (I, 269), et ideo non excessus solum in his vitandus est, sed etiam defectus (I, 259, 260. III, 342) : *vid.* **Mortificatio**.

PARENTUM amor ex regula (IV, 31). Huius exempla (IV, 33), praemia (IV, 35), motiva (IV, 44); inordinati amoris damna (IV, 40, 238, 241).

PAROCHI (III, 292) : *vid.* **Externi**.

PATIENTIA virtus est qua mala sustinemus aequanimiter (I, 41), non ex cordis duritia, sed ex consensione voluntatis cum placitis divinis (II, 278), ad imitationem Christi et Sanctorum (II, 269. III, 209-217). Quae conformitas licet doloris sensum minime retundat (II, 279, III, 235), Deus tamen suos miro modo solari solet (III, 113-115). Solamen hoc impetrandum est precibus (II, 295-298), et oculi coniciendi in Christum patientem (III, 116-118). Cetera *vid.* **Adversa, Iesus Christus**.

PATRES ECCLESIAE fontes augustissimi, ex quibus contionatores aquas depromant auditorum pectora irrigaturas (I, 345, 346), sive adiumentum locupletissimum ad omnem usum evangelicae praedicationis (III, 170). His legendis privato studio incumbant (I, 340), ad varios sensus Scripturae intellegendos

(I, 354), non ii solum qui ad nobiliorem eloquentiae formam sunt vocati, sed omnes (III, 170, 171). Verum serio se ad hoc studium applicent (I, 196. III, 169); nam exigua mentis applicatio et leve studium parum prodest (I, 345). Prae ceteris sanctis doctoribus familiarem sibi reddant S. Chrysostomum (I, 357), praestantissimum Magistrum (I, 350).

Citationes Patrum adducantur, non ad ostentationem memoriae, sed ad sententiarum pondus inculcandum (I, 146).

Illustriora quaedam Patrum et Doctorum testimonia :

S. Ambrosii (I, 178, 219-221, 324, 325, 416, 417. II, 1, 2, 74, 148).

S. Athanasii (I, 123).

S. Augustini (I, 89, 189, 190, 205, 208, 245, 264, 304, 313, 318, 342, 400. II, 14, 73, 113, 119. III, 71, 75, 80, 129).

S. Basilii (I, 86, 93, 103, 129-131, 141, 257. III, 67).

S. Bernardi (I, 13, 14, 36, 37, 41, 43, 78, 80, 91, 174, 175, 181, 222, 315, 316, 319, 422, 453. II, 20-22, 78, 99, 167, 248. III, 45, 47, 48, 61, 65, 66, 72, 76, 77, 78).

S. Bonaventurae (I, 334, 361, 435, 436. II, 229, 243. III, 50).

S. Cypriani (I, 286, 415. II, 198. III, 106, 119, 120, 129, 193, 214).

S. Ephrem (III, 70).

S. Germani Constantinopolitani (I, 181, 182).

S. Gregorii Magni (I, 22, 35, 78, 101, 109, 122, 143, 210, 329, 407, 433. II, 118, 119, 124, 171, 202, 214, 256. III, 79).

S. Gregorii Nazianzeni (I, 128, 139, 150, 151, 172, 173, 184, 203, 369, 396, 397, 424, 439. II, 228. III, 65, 71).

S. Gregorii Nyssaeni (III, 57).

S. Hieronymi (I, 110, 113, 119, 166, 218, 219, 233, 293, 348, 349, 381, 394. II, 283).

S. Hilarii (I, 316, 418, 419, 420. II, 66).

S. Ignatii martyris (I, 92, 368, 388).

S. Ioannis Chrysostomi (I, 127, 129, 134, 138, 142, 143, 146, 153, 160, 236, 241. II, 120, 222. III, 69, 215, 216).

S. Ioannis Damasceni (I, 180, 335).

Lactantii (II, 85, 101).

S. Leonis Magni (I, 42, 44, 88, 294, 406, 427. III, 55, 81, 113, 117, 124).
Origenis (I, 371. II, 46, 47).
S. Pauliui (I, 261, 262. II, 3, 53, 152).
S. Petri Chrysologi (I, 420, 441).
Tertulliani (I, 438).
S. Thomae Aquinatis (I, 268, 440, 443, 444, 446. II, 40. III, 173).
Angelici Doctoris doctrinam Lectores nostri teneant (III, 279, 280).

PAUPERTAS, quae hominem Societatis exteriorem format (I, 447), in eo posita est ut privatim nihil habeat proprium, et ut in usu rerum concessarum contentus sit condicione pauperum (II, 37). Magni est facienda, utpote murus, praesidium et propugnaculum nostrum (I, 66, 368. II, 61. III, 50) : cui magis cavendum quam a periculo tutius falso existimatur (II, 51, 61. Cf. I, 66); contra nonnullorum opiniones paupertatem relaxantes, non privatorum solum, sed totius Ordinis damno (II, 57-61). Quo autem certius custodiretur, singulari prudentia providit S. P. N. per speciale votum Professorum (II, 62. III, 92, 294), voluitque ut omnes ad id unitis viribus concurreremus studio perfectae paupertatis (III, 51, 293).

Haec perfectio non in sola spoliatione bonorum fragilium, sed in illorum contemptu et paupertatis amore consistit (I, 448). Hinc diligenda est ut Mater (I, 368) quae habet munera quattuor : 1° ut bonorum renuntiatio fiat mature (II, 93), integre, non in cognatos, nec in definitum Societatis domicilium, neque ullius rei retenta administratione (I, 448-451); 2° ut usus rerum concessarum limitetur ad necessaria (I, 451, 452. II, 38), etiam in minimis (II, 55, 56); 3° ut quotiens Deo placuerit, etiam necessariis libenter careamus (I, 453. II, 57, 78), 4° soluti ab omni affectus intemperantia, ad instar statuae (I, 456. II, 63).

Ad hanc perfectionem ut parati essemus, iamiam Societatem ingressuros praemonuit Examen (II, 62); ut diligenti studio nite-

remur, scriptae sunt Regulae et Constitutiones (III, 43-52). Ut efficaciter excitemur :

I. Consideranda eius necessitas, quae oritur ex duplici fine vocationis : 1° ex debito propriae perfectionis : ut enim ascendentibus primus gradus est a terra discedere, et certantibus primum se exuere, ita prima beatitudo Paupertas spiritu (II, 52-54. III, 52, 53) ; 2° ex debita cura proximorum : quae postulat viros apostolicos (III, 55), quales fuerunt ipsi Apostoli pauperes (II, 65-67. III, 54), et alii multi (II, 67-71), etiam in Societate (II, 68, 69, 74, 76, 77, 85. III, 56), in primis S. Pater Ignatius (II, 63, 64).

II. Removenda sunt impedimenta quae praetenduntur maxime tria : 1° honestas : at haec sordes arcet, non paupertatem, ut exemplis monstratur, praesertim S. P. N. (II, 72, 73. Cf. III, 294, 309) ; 2° necessitas : sed eam vera paupertas libenter patitur, ut plurimis ostenditur, etiam testimonio S.P.N. (II, 77-82) : ceterum necessaria non subtrahuntur (II, 38, 39), nec prava oeconomia Superiorum subtrahi debent (II, 38-40. 95-98. Cf. I, 369) ; 3° caritas : sed haec si bene ordinata est, retro non respiciet, nec ad telonium redibit (III, 295).

III. Gustandi proponuntur fructus octo paupertatis (II, 82-95), vel effectus eius experiendi (II, 285, 286, 343. Cf. I, 67, 369, 370).

IV. Imitandum expenditur exemplum Christi Praeceptoris ac Ducis nostri (I, 454, 455. II, 98-100, 285. III, 56, 57).

Quid de domibus professis statuerit S. P. N. (I, 455) ; quid de ministeriis nostris (II, 92) ; quomodo intellegenda a legibus nostris temporanea dispensatio data fratribus dispersis (III, 201, 293) ; quid denique circa itinera longinqua (I, 452. IV. 261). Cetera *vid.* **Temporalia.**

PAX quam Christus Dominus noster promeruit (II, 109), optatur praesertim in capite nonnullarum epistolarum (I, 18, 48, 54), vel ad calcem (III, 85, 297).

Fructus est mansuetudinis et humilitatis (III, 179) ; item perfectae oboedientiae (I, 25, 41, 444-446. III. 144-164), fraternae

caritatis (I, 174, 175, 291. II, 119, 120), observationis regularum (I, 91, 92. Cf. II, 468), paupertatis (II, 54), et praesertim crucis amoris (II. 454, 474. III, 113, 114, 240), ad exemplum Christi Domini (I, 65, 211. II, 460-468).

Pax et tranquillitas quomodo in externis actionibus retineri possit (I, 208, 209).

PECCATA omni diligentia vitanda, non solum mortalia sed etiam venialia (I, 319) ; neque leviter venialia aestimanda sunt et cavenda, quibus fit ut actiones, quae huiusmodi fuerint, non possint tendere ad Deum (I, 320, 321). Utinam interdum divina Maiestas nihilo magis quam leviter laedatur defectibus linguae (I, 384)! Sed esto; neminem dentis depravati vitium admovet morti, magnitudo tamen cruciatus gementem vehementer angit (II, 141, 142). Quanta deberet esse in omnibus nobis a levioribus etiam culpis mundities (II, 338, 339), cuiusvis labeculae expers (I, 423), si semper coram purissimis ac lucidioribus super solem oculis Dei ambularemus (I, 307.II,338). Haec animi puritas diligenti examine et accurato labore consequenda nobis (I, 331) et custodienda est ex regula (I, 241), ut decus Societatis tueamur (II,284.III,203). Cetera *vid.* **Renovatio, Tepor.**

PERFECTIO, licet ab omnibus par exspectanda aut exigenda non sit, necesse tamen est ut ad egregium quempiam perfectionis gradum unusquisque aspiret (II, 282, 283), nec quisquam inter nos quadam mediocritate virtutis contentus vivat (II, 338); cum Societatis Institutum, modus gubernandi, occupationes ac ministeria fundata sint in perfectione minime vulgari aut superficiali (I, 186, 187), sed eximia (I, 3. III, 41).

Cetera *vid.* **Abnegatio, Fervor, Finis Societatis, Vocatio.**

PERFECTIONES DIVINAE innumerae sunt in simplicissima Dei natura (I, 306), quarum attenta et profunda consideratio non vulgaria spiritus lucra afferet (I, 324), modo ne qui aliorum curam gerit, alta petens, proximorum infirma despiciat (II, 170, 171).

1° **Maiestas** ac Celsitudo Altissimi (I, 225), quantam reverentiam et timorem exigit (I, 307)! Quam efficax stimulus ad actualem devotionem in nobis excitandam dum celebrantur sacra mysteria (I, 332, 333)! Quid, quantulus, quam fere nihil unicus homuncio ad illam supremam (II, 376) et infinitam veri Numinis Maiestatem (II, 147)!

2° **Immensitas** et **Ubiquitas,** qua Deus praesens est rebus omnibus (II, 151), et intimis nostris Ipse intimior (I, 307), frequentissime commendatur retinenda nobis memoria (I, 51, 53, 70, 71, 257, 258, 300, 363, 443....), ad exemplum S. P. N. Ignatii, quem minimi floris aut plantae humilis aspectus in Deum confestim rapiebat (I, 439). *Vid.* **Praesentia Dei**.

3° **Dominium**, quo non solum omnium Dominus, sed etiam fons est omnis regni omnisque dominii (I, 308) et omnis potestatis in Superioribus derivatae (III, 77), requirit promptam oboedientiam (I, 308, 309), et ut cum bona voluntate serviamus sicut Domino, et non hominibus (I, 34).

4° **Providentia** (I, 309) suavis et paterna (I, 53), quae disponit omnia suaviter (I, 46), attingens a fine usque ad finem fortiter (II, 446), dives est in **Misericordia** (II, 101, 273), in hac vita impios alliciens ad paenitentiam (II, 143), cum facit solem oriri super bonos et malos (II, 142). Sed et **Iustus** Dominus (II, 472), in horrendo illo supremi Iudicii tribunali (II, 407. Cf. II, 254), severam rationem repetet (I, 229), et reddet unicuique secundum opera eius (III, 166). Sed cui multum datum est, multum requiret ab eo (III, 109). Credere enim oportet quia Remunerator sit, coronas amicis, inimicis incendia praeparans (II, 147, 148). Quanta ergo esse debet nostra resignatio (I, 309) et conformitas divinae Voluntati (II, 278)! Quanta nostra fiducia (II, 302) et aemulatio ad operandum bonum (I, 303). Cetera *vid.* **Providentia divina.**

5° **Beneficentia**, quae largitionibus non exhauritur (II, 263), quot quantisque beneficiis nos cumularit, quantamque animi gratitudinem postulet (I, 310) : *vid.* **Beneficia**.

6° **Sapientia**, fons perennis omnis sapientiae creatae (I, 312), nec falli potest (I, 34, 43), nec in malignam animam introibit (I, 151). Quantam a nobis attentionem et docilitatem requirit (I, 310, 311) : *vid.* **Attentio.**

7° **Pulchritudo** ineffabilis, quam quis considerans non contemnet creata omnia (I, 311, 312) ? speculantes animas nostras ad imaginem suam transformat (I, 313).

8° **Suavitas** ac dulcedo (I, 313), gustata quondam a Psalmista dicente : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo* (I, 90. Cf. I, 156, 157), insatiabilem famem nostram excitare debet (I, 314) ; at qua lege (I, 253, 254) : *vid.* **Contemplatio.**

9° **Benignitas** (I, 282), **Liberalitas** et **Munificentia** infinita (I, 2) Illius qui dare solet quod praecipit (I, 429, 430), perseverantem petitionem indicit, praesertim gratiae sanctificantis (I, 314, 315) : *vid.* **Oratio.**

10° **Bonitas** summa, **Amor** immensus, **Caritas**que paterna (I, 2), quae nihil in nobis dignum invenit, sed producit amando (I, 315), perurget nos omnino ut ad amoris proprii mortificationem divinique augmentum accendamur (I, 316), et ita in nobis Caritas ordinetur ut nulla vi a Domino separari possimus (I, 317, 318. III. 215-219).

11° Eo quod Deus **Spiritus** est et **Vita** animae (I, 319) : in Ipso enim vivimus, movemur et sumus (I, 156) : merito nos constringit ut tota vita nostra Illi sit (I, 319, 320), et conversatio nostra in caelis (I, 132).

12° Tandem ut **Finis** ac centrum nostrae beatitudinis, exigit ut nostra omnia in Illum tendant (I. 320-323) : *vid.* **Intentio.**

PERSECUTIONES Ecclesiae (III, 191) : *vid.* **Ecclesia.**
Persecutiones Societatis (III, 228) : *vid.* **Adversa.**

PIETAS, cuius firmum fundamentum ponendum ante studia litterarum (I, 62) : *vid.* **Iesus Christus, Maria, Oratio.** Quomodo servanda in colloquiis (I, 385, 460, 461) : *vid.* **Externus homo.**

POLITICA ratio gubernandi, ut inimica Societati, sedulo vitanda est (I, 103-105). Politica agendi ratio, tamquam immanis belua debellanda (I, 378, 379), tum pia conversatione (I, 383, 384), tum fidelitate informationum (II, 154, 155).

Politicis de rebus nostri non agant (III, 292) : *vid.* **Negotia saecularia.**

PONTIFEX MAXIMUS (I, 146) : *vid.* **Apostolica Sedes, Iubilaeum.**

PRAECEPTORES (II, 29. III, 274) : *vid.* **Magistri.**

PRAEFECTI denominantur interdum Superiores ipsi (I, 365, 367. II, 2, 3, 5, 189) : *vid.* **Superiores.**

Praefecti rerum spiritualium eligantur quam aptissimi in Collegiis et praecipue in Seminariis nostrorum (I, 191, 192. IV, 162. Cf. II, 311). Eorum erit praecipue Superioribus auxilium ferre in formandis iunioribus (III, 155). Permittatur iis tempus quo cum nostris commode tractare possint, auctoritasque conservetur (I, 192). Ut muneris sui partes magna cum perfectione impleant (III, 156), commendatur ipsis lectio Constitutionum S. P. N., etc. (II, 418, 419), itemque usus familiaris Exercitiorum spiritualium (II, 377), ut nostros adiuvare possint in meditationis negotio (I, 85).

Promoveant cultum SS. Eucharistiae (I, 337), et exigant rationem conscientiae (II, 160), ad quod fructuose praestandum, quattuor in iis dotes emineant necesse est (II, 36).

De **Praefectis** ecclesiarum agitur (I, 335, 383); de **Praefectis** studiorum (II, 311. III, 306); de **Praefectis** contionum (I, 352, 357, 358).

PRAELATI (I, 228) et Praesules Ecclesiae (II, 459) : *vid.* **Episcopi.**

PRAESENTIA DEI, cuius magisterio docemur agere moderate (I, 443), solet tanto maiore copia divinas consolationes augere,

quanto maior est humanarum inopia (I, 51. Cf. III, 115, 116), si, ut S. Ignatius in omnibus nostris desiderabat (I, 256), in omni loco et negotio per aspirationes frequentatas mente retineatur (I, 257. Cf. I, 53, 307). Quae pietatis plenissima exercitatio Societatis operariis admodum necessaria (I, 208), regula nobis commendatur (I, 363, 438, 439), et plerumque fructus est bene orandi consuetudinis (I, 258) et cordis mortificationis (I, 70, 71).

PRAESIDES (II, 153, 199, 208) : *vid.* **Superiores.**

PRECATIO (I, 363. III, 183) et **PRECES** (II, 257) : *vid.* **Oratio.**

PRINCIPES pati non debemus ut auctoritate nos opprimant ad suscipienda negotia saecularia (I, 98) : *vid.* **Externi, Externus homo.**

PROBATIO (I, 59) : *vid.* **Novicii.**

PROBITAS et virtus (II, 406) : *vid.* **Interiora.**

PROCURATORES rerum temporalium assignentur boni, ut ea cura exonerentur Rectores (I, 189) et regulae suae tenaces sint memores Instituti Societatis quod profectui animarum invigilat (I, 464). Cetera *vid.* **Negotia saecularia, Temporalia.**

PROFESSI primi sint in missionibus, cum ad ipsos proprie magis spectet hoc exercitium (I, 272, 275). Faciunt enim votum sollemne de missionibus (II, 42, 43), qui velut nativus character Societatis est (I, 466). Curae cordique habere debent christianae doctrinae tradendae ministerium, tamquam ipsorum proprium (I, 275) ipsa voti religione (II, 44). Ab ipsis quoque tradi solent disciplinae superiores (II, 30).

Idcirco professio instituta est ut in vinea Domini alacriter operam suam quisque ponat (I, 62). Ad hanc non admittendi sunt nisi in utroque studio pietatis et doctrinae sedulo versati (I, 62). Indignorum admissio quanta calamitas (II, 137-139). Hanc impedient rectae informationes (II, 140, 141, 144, 145).

Quid professis voluerit praescribi S. P. N. circa paupertatem (II, 62. III, 92, 294).

Qualis domorum professarum paupertas (I, 273, 455. II, 63, 64), quae quantum fieri potest, rebus omnibus expeditae ad Sedis Apostolicae missiones obeundas esse debent (I, 239). Quid si forte in aliqua civitate Domus professae erigendae sese occasio praebeat (I, 274, 469).

PROFESSORES (III, 158) : *vid.* **Magistri, Lectores.**

PROGRESSUS, incrementa et successus Societatis, ab eius vero in nobis conservato renovatoque spiritu pendent (II, 383); haec autem conservatio ac felices progressus ab Exercitiis spiritualibus speranda (I, 441) : *vid.* **Conservatio, Prospera.**

PROMOVENDI ad gradus, doctrinae christianae quadraginta dies peragant (I, 275) : *vid.* **Informationes.**

PROSPERA, laetosque ac felices processus, Dei benignitate, Societas consecuta est (I, 282. Cf. I, 55. 96, 118, 146, 216, 429. II, 322, 396), non alium certe in finem, nisi ut in Ecclesiae obsequium et animarum utilitatem totos nos impenderemus II, 229, 230. Cf. I, 179, 241-245, 298-304, 459, 460). At facilius quis elidi potest prosperis quam adversis (I, 284). Quare etiamsi rebus utimur secundis, memores simus Crucis Salvatoris, cuius beneficio id fieri putandum est (I, 65. III, 5), ita ut prospera sicut adversa fiant nobis arma iustitiae (I, 287).

PROVIDENTIA DIVINA quantum faverit Societati (I. 429) : *vid.* **Adversa, Prospera, Societas Iesu.** Sed invicem reposcit accuratam observationem regularum (I, 429), et ut spem nostram in Eius sinum proiectam habeamus (II, 272. III, 217), eiusque voluntati nostram conformemus (II, 278), summa fiducia (II, 341-343), nihil nobis defuturum (II, 344), etiam in temporalibus (I, 67). Hoc voluit S. P. N. Ignatius (I, 455. Cf. II, 63, 64), docuitque ipse verbis et opere (I, 414, 467). Cetera *vid.* **Perfectiones divinae.**

PROVINCIALES, ad quos pertinet dispositio personarum et officiorum quae praecipua sunt in Collegiis ac domibus (II, 219) : promoveant desiderium et studium rerum spiritualium (II, 159-164), et missionum (I, 386, 387. II, 353, 354) : *vid.* **Missiones, Formatio.**

Tueantur auctoritatem Superiorum immediatorum in subditos (II, 213), ita tamen ut constet posse omnes ad mediatos recurrere (II, 214). Diligenter instituant visitationes domorum (II, 220), nec habeantur omnes subditorum querelae pro tentationibus (I, 191), rationemque reddant de visitatis domiciliis Praeposito generali (II, 163, 164).

Curent ut ordinationes Roma missae aliis Superioribus et Consultoribus manifestae fiant (I, 199). Tempestive admoneant Praepositum generalem de promovendis ad gradum, mittantque informationes (I, 198), in quibus curent fidelitatem (II, 129-157) apprime necessariam ubi candidati ad regimen proponuntur (II, 223-225). Item notent singulos quotannis qui exercitiorum pensum omiserint (I, 441). Cetera *vid.* **Superiores.**

PROVINCIALIS SPIRITUS (II, 105) : *vid.* **Nationalis spiritus.**

PROXIMUS considerandus tamquam imago quaedem SS. Trinitatis (I, 2), membrum Iesu Christi (II, 110) et templum Spiritus sancti (I, 10) : *vid.* **Caritas, Externi, Finis Societatis.**

PRUDENTIA sua ipsius minime fidere vere prudentis est (I, 39). Altera est mere humana (I, 103) vel carnis prudentia (II, 173), quae non intellegit quid possit Dei gratia (I, 95. III, 79), nec incrementum dare potest (III, 164), sed mater est pusillanimitatis (I, 77. II, 174) : haec vitanda et in adversum potius tendendum omnibus (I, 381) : *vid.* **Politica.**

Altera, quae secundum Deum est (I, 105) et una ex virtutibus cardinalibus, quibus utilius nihil est in vita hominibus (I, 341), commendatur Superioribus (I, 106), cautionatoribus (I, 356) et aliis omnibus (II, 437-439).

PULCHRITUDO divina (I, 311) : *vid.* **Perfectiones divinae.**

Pulchritudo templi Ierosolymitani quare tam exacte describatur (I, 297-302).

Pulchritudo Societatis Iesu (I, 92, 161) : *vid.* **Societas Iesu.**

Pulchritudo rerum caducarum, quae nos tangere non debet (I, 445) : *vid.* **Abnegatio, Vetus homo.**

PURITAS animi custodienda ex regula (I, 241), diligenti examine et accurato labore consequenda (I, 331), commendatur missionariis inter perversas gentes (I, 52), scholasticis in studiis (I, 459, 460, 461), aliisque omnibus (I, 307. II, 284) et praecipue iis qui in dispersione versantur (III, 203). Nivea fuit in S. Ioanne Berchmans (III, 144), ut flos illibati nitoris in Maioribus (I, 433) : *vid.* **Peccata.**

QUERELAE subditorum audiantur cum caritate (I, 191), et iustitia, cum fieri possit ut iustam conquerendi causam habeant (II, 214. Cf. II, 107).

Querelae externorum, non solum recte sentientium (III, 251), 331), sed etiam malevolorum, quamvis forte nulla nostrorum culpa nitantur (I, 380), minime tamen neglegendae sunt (I, 285, 286, 381-385. II, 315, 318) : sapientibus enim et insipientibus debitores sumus (II, 111, 112) : *vid.* **Externis, Externus homo.** Quod si erunt forte nonnullae querelae devotarum feminarum, iis non difficulter occurri poterit (I, 196).

QUERIMONIAE et obmurmurationes, quae oriuntur ex defectu virtutis (I. 61, 68, 109, 204, 205, 409. II, 78, 211, 212. III, 142, 157, 334, 336) : *vid.* **Abnegatio, Pax, Vetus homo.**

RATIO CONSCIENTIAE sincere reddenda reponitur a quinta Cong. Gen. inter substantialia nostri Instituti (II, 36), et peculiare praesidium est servandae castitatis (II, 34, 35); sed requirit in Superiore ut quattuor praecipue dotes emineant (II, 36, 37).

Quid in ea exigenda praesertim dispiciant Praefecti rerum spiritualium (II, 160).

RECOLLECTIO cotidie facienda per orationem, examen conscientiae et rationis conversandi cum proximo (I, 53) : *vid.* **Examen, Oratio**. Quotannis per aliquot dies (1, 53) : *vid.* **Exercitia spiritualia**. Alias interdum ad restaurandas vires spirituales (I, 209, 210. II, 255, 256, 285) : *vid.* **Ministeria, Renovatio**.

RECTORES cur praeficiendi sint Collegiis (I, 19-28), et ampla potestate muniendi (I, 29). Toto animo sese ad gubernationis curam applicent, reliquis omnibus omissis quae eos impediant ac distrahant (I, 188), exonerantes se in Procuratores cura temporalium (I, 189), suos exemplo praeeuntes (I, 202) et peculiari cura invigilantes iunioribus magistris (II, 206). Commendantur ipsis nominatim quaedam regulae (I, 201). Cetera *vid.* **Superiores**.

REGIMEN (II, 219) : *vid.* **Gubernatio**.

REGULAE (I, 87) : *vid.* **Constitutiones**.

RELIGIO, in cuius disciplina firmum fundamentum ponendum tempore probationis (I, 62), quem locum in Ecclesia occupet (I, 178) : *vid.* **Ecclesia**. Quam optatam et expeditam securitatem nobis praestet (I, 179) : *vid.* **Vocatio**.

Ne caelum sit, quod S. Bernardus debere esse ait, non diversitas personarum, sed animorum disiunctio fecit (II, 124), cum familias religiosas disturbent discidia (I, 174, 175), quae facile oriri possunt ex duorum triumve convictu virorum laxioris vitae (II, 139, 140), vel doctrinae (II, 59, 60) : *vid.* **Unio**.

Quantum conferat exemplum seniorum (I, 201. II, 211, 212) : *vid.* **Antiquiores**.

Religiosi ordinis incolumitas et progressus, tribus maxime praesidiis continetur, teste S. Bonaventura (I, 435, 436).

Finis et vota, magna ex parte, nobis cum aliis ordinibus

communia sunt (II, 52, 234), et multa alia (I, 253. II, 468), etiam persecutiones (I, 283. 287. III, 228, 270); non tamen omnia (I, 86, 253-255, 259. Cf. III, 7), cum habeamus scopum nobis proprium (II, 234. Cf. III, 9).

Ergo superent nos alii victus cultusque asperitate, at non oboedientia (I, 33), nec labore in salutem proximi (II, 234, 236, 237), neque humilitate (I, 427), qua omnium maximi et principes simus enitamur (I, 381), minime nos extollentes super ceteros (II, 284, 315-317), sed de omnibus, ut par est, honorifice loquentes (I, 382), et cum his sicubi in eodem loco versabimur, humiliter nos gerentes (I, 228), maximeque caventes ab aemulatione zeli (II, 317, 318), quae humana miseria est (II, 474). Alia *vid.* **Societas Iesu.**

REMISSIO animum frangit, sicut arcum intensio (I, 5) : *vid.* **Otium, Tepor.** In Superioribus quantum noceat remissio (I, 99-101), etiamsi lenitatis ac suavitatis titulo cohonestetur (II, 194) : *vid.* **Exsecutio, Gubernatio, Superiores.**

RENOVATIO SPIRITUS posita est in veteris hominis reformatione ad exemplar Christi (I, 121), quem veterem hominem nonnulla signa externa demonstrant (I, 119, 120).

Quamvis haec sit omnis temporis (II, 385. Cf. I, 149), nec modo singulis annis ac mensibus saepius, sed etiam cotidie (III, 266) inchoanda, ad mentem Pauli et Patrum (I, 121-123, 128-132, 292-293); praecipue tamen commendatur in tempore acceptabili (I, 117, 163, 296, 390. II, 255, 386. III, 87). Ostenditur huius necessitas :

1° Ex obligatione perfectae vitae consectandae (I, 123) : ad quam assiduo luctamine opus est adversus mundum, daemonem et carnem (I, 293-295. Cf. I, 89, 126, 127).

2° Ex obligatione in proximi salutem incumbendi (II, 233-236) : ad quam eximiis donis et virtutibus ornari nos oportet (I, 124), ut Societas possit officio suo satisfacere (I, 159-161).

3° Ex eo quod fervor facile refrigescit (I, 124), quod semper

veteris erroris aliquid in nobis remanet (I, 150), et ipso pondere naturae ad deteriora deflectimus (I, 153).

4° Ex speciali sorte Societatis, in qua unius vitium attribuitur universis (I, 395-398), cuius robur et ornamentum residet in singulis membris (I, 161), et quae praesertim nostris temporibus tanta odia et tantam exspectationem excitat (II, 399-405).

Ad renovationem adhibenda remedia sunt alia generalia : studium orationis (I, 403), usus Exercitiorum et exsecutio (I, 404-407) ; alia particularia, quae sunt :

1° Consideratio tum propriae imperfectionis (I, 132-134), tum dignitatis Religionis nostrae (I, 296-306, 391-393) ; multiplicium Dei beneficiorum (I, 134-139, 154-157), et singularis Providentiae erga Societatem (I, 297-304. II, 386-396) ; duodecim perfectionum divinarum (I, 306-324) ; brevitatis vitae (I, 139, 140), et reddendae rationis apud severum Iudicem (I, 153, 154. Cf. II, 254).

2° Operis generosa aggressio sine mora (I, 140-143).

3° Vigilantia in finem ne corrumpas, coniuncta fiduciae quod Deus opus perficiet (I, 143-146. Cf. I, 299-301. II, 254, 398).

RENUNTIATIO bonorum quae nobis in saeculo obtingebant, ne differatur (I, 448), etiam praetextu pietatis in Societatem (I, 449) ; sed fiat mature (II, 93-95), fiat integra (I, 449), non in cognatos nec in definitum Societatis domicilium, saltem si renuntians ibi habitet (I, 450, 451), neque ullius rei retenta administratione (I, 451).

RES spirituales (II, 160) : *vid.* **Spiritualia.**

Res temporales (I, 189) : *vid.* **Temporalia.**

RESIDENTIAE sint in singulis Provinciis pro missionariis (I, 373, 468). Qualis debeat esse earum Superior (I, 274). Quo pacto stabiliendae et sustentandae (I, 273, 274. Cf. I, 468, 469).

RESIGNATIO voluntatis in beneplacitum divinum (I, 309. III, 15), ita ut divina voluntate nihil habeamus antiquius (I, 157) : *vid.* **Abnegatio, Patientia, Providentia.**

Resignatio bonorum (II, 323) : *vid*, **Renuntiatio.**

RHETORES qui e tirocinio egressi ad studia humaniorum litterarum applicantur (III, 274) : *vid.* **Iuniores, Scientia.**

SACERDOTES nostri omnes, iis exceptis qui idonei non videbuntur, missionem aliquam quotannis per vices obeant (I, 271, 272), et utique possunt omnes exercitia saltem privata tradere (III, 261). Commendantur ipsis quaedam regulae (I, 201, 207). Cetera *vid.* **Missa, Officium divinum, Operarii.**

SACRA SCRIPTURA (I, 172) : *vid.* **Scriptura Sacra.**

SACRUM SACRIFICIUM (III, 188) : *vid.* **Missa.**

SANCTA SEDES (II, 293) : *vid.* **Apostolica Sedes.**

SANCTI Apostoli (I, 50) : *vid.* **Apostoli.**
Sancti Martyres (II, 463) : *vid.* **Martyres.**
Sancti Patres (I, 44) : *vid.* **Patres Ecclesiae.**
Sancti Societatis, qui beatam in caelo vitam degunt (II, 305, 306), et quorum filii sumus (II, 429. III, 36), socii ac fratres (III, 136), invocandi nobis sunt (II, 275, 298), et in laboribus imitandi, ut in caelesti praemio eorum socii esse possimus (II, 254). Nominatim : 1° S. P. N. Ignatius e caelo nos hortatur (II, 290. III, 100), gravissimis monitis et salutaribus affulgens exemplis (I, 154. Cf. I, 81. III, 94) : in Deum pietate (I, 439, 460, 467) et in divinam Providentiam fiducia (I, 414, 455), paupertatis amore (I, 456. II, 63, 64, 80-82) et horrore a negotiis saecularibus (I, 464, 465), alliisque ministeriis ab Instituto alienis (III, 285-287). Miris mortificationibus suos exercebat (I, 106), nec timebat adversitates (III, 107) : *vid.* **Adversa, Angeli, Constitutiones, Exercitia spiritualia**. Tanti parentis ne degeneres simus filii (I, 376, 377), spiritus in nobis excitandus est (III, 88), qui qualis fuerit fusius exponitur (III, 90-98. IV, 306-311).

2° S. Franciscus Xaverius, Indiarum apostolus (II, 348), cuius

zelum et animarum fructum orbis miratur (III, 247), paupertatem sibi comitem ascivit in itineribus (II, 68-70), et ut perfectam viri apostolici formam in se exihibet (III, 248) tot inter rerum discrimina (III, 115), ita eam servandam suis subditis tradit in epistolis (III, 248-261). Cur totiens iteraret sollemne illud : *vince te ipsum* (I, 443. III, 37). Etiam dormiens nocte intempesta ad Deum suspirabat (I, 439). Reverentiam Praesidibus exhibendam inculcat (IV, 181).

3° S. Franciscus Borgia, ad Societatem allectus ipsius insectationibus (III, 108), tribus maxime servatum auctumque iri eam confidebat (I, 363); oboedientiam tutum navigium dictitabat (I, 365); et quam multi, querebatur, veniunt ad nos ut fiant ditiores, quam pauci ut fiant meliores (I, 383)!

4° S. Aloysii amplum encomium (IV. 218).

5° SS. Petri, Ioannis et Alphonsi virtutes longo encomio celebrantur (IV, 116): *vid.* n. 7.

6° Anno 1839, B. Franciscum de Hieronymo sollemni pompa inter sanctos relatum conspeximus (II, 396).

7° Ad Beatorum vero honores evecti memorantur : S. Alphonsus Rodriguez (II, 396); S. Petrus Claver (III, 28); B. Petrus Canisius et S. Ioannes Berchmans (II, 130), in quibus illud est proprium quod tota prope Instituti nostri ratio vivis coloribus depicta in eorum vita cernitur (III, 132, 133) et longius expenditur (III, 143-177) : B. Petrus Faber (III, 231), magnus ille in Societate operarius (I, 452), S. Ignatii primogenitus (II, 85), a quo B. Petrus Canisius oboedientiam didicit (III, 161), et cuius divitiae erant nihil habere (II, 85. Cf. I, 457, 458); BB. Edmundus Campion et Socii quorum martyrium incruento nostro martyrio imitari debemus (IV, 27) denique BB. Rodulphus Aquaviva, Antonius Baldinucci et Bernardinus Realino, qui genuinum Societatis amorem nos docent (IV, 330).

Sancti extra Societatem alii citantur nonnulli, nominatim : S. Catharina Senensis, quae sua peccata malorum omnium causam putabat (I, 161);

S. Dominicus qui paupertate subegit Albigenses (II, 67);
S. Franciscus Assisinas, totus in asserenda paupertate (II, 51);
S. Hilarion admirabilis potius quam imitabilis (II, 72);
S. Ioannes Baptista, specie homo, gratia angelus (I, 436), qui oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere (I, 376);
S. Ioannes Nepomucenus nobis invocandus (II, 275);
S. Ioseph, paterfamilias (I, 20), invocandus (II, 275. III, 297);
B. Margarita Maria, cui Cordis sui cultum revelavit Dux noster Iesus (III, 3, 220);
S. Vincentius Ferrerius imitandus missionariis (I, 227);
S. Bernardus commendans amorem cellae (IV, 144).

SANCTIMONIALES vel sacrae virgines (III, 138) : *vid.* **Moniales.**

SANITAS, cuius cura non omittenda, ut et corpus diu ferre possit laboris molestiam (I, 52) : *vid.* **Temperantia.**

SAPIENTIA divina (I, 16, 53) : *vid.* **Perfectiones divinae.**

Sapientia aeterna carnem induta (II, 17) : *vid.* **Iesus Christus.**

Sapientia creata in nobis donum est (I, 312) illius a quo est omnis intellegentia et sapientia (I, 60. Cf. III, 314); et si gemma est, commissura eius humilitas sit oportet (II, 27) : suae enim propriae imbecillitatis cognitione tamquam basi innititur (I, 61. II, 375), et despicit quicquid momentaneum et leve est (III, 108). Saecularis autem sapientia, ut captiva mulier decalvanda (II, 45), carnalis enim non percipit ea quae sunt spiritus (III, 79).

SCHOLASTICI, priusquam litteris et doctrinis imbuantur, praeclare in religiosa simplicitate informandi sunt (I, 59), Omni modo nitendum ut in iis spiritus ac devotionis fervor conservetur (I, 192); neque permittantur in litterarum studiis progredi qui superbi, inquieti aut male mortificati animadvertentur (I, 192, 193. Cf. III, 273).

Curandum etiam ut eorum ardor in studiis foveatur (II, 24).

Qua in re Superiores peccare possunt sive per defectum : aliis occupationibus eos distrahendo (II, 25, 44. Cf. I, 192. III, 149), vel ad operis excellentiam non incitando (II, 25, 26); sive per excessum : mediocrium labores despiciendo et magnorum ingeniorum errata dissimulando (II, 26, 27).

Rhetores per biennium, ut plurimum, sint ab aliis omnino segregati (III, 274 : *vid.* **Iuniores**), et a praeceptoribus aptissimis tum in patrio sermone, tum in lingua latina et graeca diligenter instituantur (III, 275). Eorum litterariis exercitationibus Superiores intersint (II, 28), eosque qui studia neglegunt a studiis prompte amoveant (II, 29).

Philosophiae et theologiae operam daturi tempestive ad haec studia admoveantur nec inde amoveantur nisi confecto studiorum cursu; aptissimi vero per biennium ea recolant (III, 278),

Studiorum tempore scholastici zelum exerceant (I, 15, 16. II. 239, 240), aemulantes virtutes S. Ioannis Berchmans (III, 144-146), nec ad aliena ab Instituti ratione studia evagantes (II, 240).

SCIENTIA, quo nomine veniunt litterae ac doctrina (II, 407) : vehementer desideratur et omnino necesse est, ne ulla ex iis quae in mundo in pretio habentur, a nobis intacta relinquatur (II, 408); ideoque eximie his nostri expoliendi (I, 3. II, 144), ut in his quoque sint conspicui (I, 106. III, 197). Sed circumpositae virtutis cultum ornare scientia debet (I, 443), ut in Maioribus nostris, in quibus maiorne sanctitas an doctrina fuerit non immerito dubitetur (II, 413). Scientia enim inflat (I, 59), et melior est fidelis ignorantia quam temeraria scientia (II, 58, 59), ac certe nostro fini minus utiles essent litteris egregie instructi homines virtute carentes (I, 105. II, 26-28). Quare litterae et alia exteriora talenta ac dona minus spectanda sunt quam spiritus (I, 56). In ipsa litterarum scientiarumque tractatione absint contentiones, aliaeque huiusmodi miseriae (II, 382). Quomodo scientia nostra sacra esse debeat (I, 458) : *vid.* **Studia**.

SCRIPTORES cauti esse debent (IV, 184).

SCRIPTURA SACRA obiectum ost studiorum nostrorum (I, 458, 459). Huic privato studio incumbant contionatores (I, 340. III, 169, 170), attentius meditantes et varia loca inter se conferentes (I, 354, 355), ac lecta ad communes locos redigentes (I, 357); atque serio se ad hoc studium applicent (I, 196), ne excidant aut neglecti pereant thesauri (I, 345. Cf. III, 199), neve adulteretur verbum Dei (I, 113).

In officio divino quantum iuvet gustare Psalmorum suavitatem (I, 328-332).

Varia Scripturae loca expenduntur (I, 88, 90, 91, 97, 111, 112, 118, 126, 129, 130, 135, 144, 145. II. 12, 13, 18, 142, 472-475. III, 13, 105, 109, 111, 113, 124, 129, 176, 205, 210, 218, 253).

SEDES APOSTOLICA (II, 321) : *vid.* **Apostolica Sedes**.

SEMINARIA nostrorum hominum (I, 192. III, 318) : *vid.* **Studia**.

SENES (II, 39) et **SENIORES** (II, 46, 47) : *vid.* **Antiquiores**.

SILENTIUM quovis sermone efficacius (I, 362) exornet vestibulum domus nostrae (I, 361). Quod si eius regulae violatio contemnatur, eo devenitur ut religiosam domum a saeculari vix discernas (II, 185). Urgetur huius observatio (II, 186, 187).

SIMPLICITAS celebris illa caecae oboedientiae laudatur (I, 40). Initio nascentis Societatis eximia quaedam sinceritas simplicitasque floruit inter nostros (I, 68). In hac formandi sunt omnes (I, 59. II, 157, 286. III, 137). Ubi enim non est, abest communicatio Dei (I, 69), et fores in insidiis obsidet politica (I, 378, 379).

SOCIETAS IESU consideranda : 1° Ut militia Iesu Christi peculiari quodam titulo et stipendio (I, 8, 9) : non enim quomodocumque humana condicione milites sumus, sed vocatione divina nostraque libera electione (II, 434. III, 104-106).

2° Ut exercitus quidam (I, 75), filiorum Dei (I, 77) : quibus

quasi praetorianis militibus et regiis cubiculariis illustriora iura sanciuntur (I, 155), nec leves aliquae debent satis esse velitationes, sed instructa acie egregie certandum est (I, 229-230).

3° Ut caelestis militia (I, 419-429), quo nomine vocat Isaïas caelum stellatum (I, 422). Caeli huius mens et princeps motionum Christus Iesus (I, 421), aurora Mater Societas, sol Parens noster Ignatius, luna et stellae tot Fratrum splendor virtutis singularis (I, 420, 422). In hoc caelo non sint exerrantes faculae et ignes abortivi (I, 422), et si aliquando cometae apparent, haec ratio soletur quod sint aevi brevis (I, 420, 421). Caelum hoc ruinam non expavescet, si humilitatis puncto immobili, tamquam polo quo semel libratum est, nitatur (I, 427).

4° Ut corpus (I, 74), quippe cuius valetudo, robur ac pulchritudo in membrorum statu resideat (I, 159-162, 184, 185. II, 113, 228).

5° Ut locus selectus et optime excultus in agro Ecclesiae (I, 178).

6° Ut vinea Domini (I, 279) electa (II, 110), quondam novella (I, 49) iam extendens palmites usque ad mare (I, 55); sed consita ut vinum copiosum fundat (I, 71) et futura ut granum sinapis si cavetur ab inimica zizania (I, 56) et exstirpatur lolium (I, 150).

7° Ut navis (I, 75) vel cymba (II, 397), fluctibus iactata (II, 345, 437), in qua validi remiges naviculae Petri (II, 404, 441), ad enavigandum cibaria sibi parare debent ex Bethleem (I, 59), et concordia prorsus necessaria est (II, 439, 440).

8° Ut regnum concordia firmandum (I, 173. II, 109), vel Ierusalem quae aedificatur ut civitas (II, 119).

9° Ut aedificium magnum, exquisitissima architectura designatum (I, 199, 200), vel domus Salomonis pacifici movens admirationem reginae Saba (I, 75), vel templum quod aedificavit Salomon nomini Domini (II, 180), et Architecti sui nomen alte refulgens procul ostentat (II, 102). Huius structurae exemplar perfectum Spiritus Sanctus beato Patri nostro ostendit (I, 92), qui eius partium descriptionem, posituram et lucem delineavit

(II, 2, 3-48), et fundandae Exercitia spiritualia quadratos lapides subiecit (I, 440). Sed aedificatio continuanda per Superiores tamquam fabros et molitores (II, 3) et per subditos tamquam lapides vivos et pretiosos (I, 93); potissimumque cavendum fabricae Praefectis ne rimas illa ducat aut nimia vetustate fatiscat (II, 48), eorum neglegentia facile ruitura (II, 179-181), ut de domo Iobi scribitur (II, 103), si praesertim labefactetur caritas (I, 171-173), in qua ab auctore suo fundata est (II, 115).

10° Ut templum Ierosolymitanum secundum (I, 297-302. II, 401, 402); cuius decorem diligamus supra vitam (II, 112, 113), ut sit domus Dei pura, neque maculam habens neque rugam (I, 359-361. Cf. I, 432). Huius vestibulum exornet religiosa modestia (I, 361, 362), interiora vero sarta tecta servent oratio et exercitium virtutum (I, 363).

11° Ut infans quondam centum annorum (I, 391), innocentiam puerilem cum virili robore coniungens, Calebo similis (I, 392, 393). Huic Deus mirifice favit primo saeculo (I, 429); hanc et continua quadam prodigiorum serie ab universali interitu vindicavit et ad novam reduxit vitam (II, 322, 386-396), quod sane SS. Cordi Iesu in acceptis referendum est (III, 5); hanc denique miris plane modis conservat, fovet, promovet (II, 322, 424, 425), quamquam et ingentibus cladibus et calamitatibus affligit (II, 444. III, 103, 131. *Vid.* **Adversa, Prospera**).

12° Ut sponsa Christi (II, 110, 111) et Mater nostra optima (I, 362. II, 238), ac dilectissima (II, 33), filios suos amore generose amplectens (I, 212, 213), et adhuc adolescens absit ut a senectute filiorum infametur (I, 393, 394)!

Cuius proprium est, infortunium an felicitas, singulorum dicta vel facta omnibus tribui (I, 380, 395-397. III, 203); sed et proprium fuit semper quoddam donum, ut a suis filiali plane affectu diligeretur (II, 309, 310). Ut autem recte amor ille exerceatur :

1°) Cavendum ab erroribus (II, 310), ne inconsulto festinetur II, 310-313), neu sectemur speciosa in oculis mundi (II, 313,

314. III, 118, 254), neve de Societate eiusque laboribus superbiamus (315-317) aut aliorum laudibus ac recte factis invideamus (II, 317-319).

2°) Considerandum revera consistere amorem in mutua bonorum communicatione (II, 319). Porro Societas communicans nobis : finem suum, media, Institutum, speciale vinculum, Patrum hereditatem, gloriam suam et divinae Providentiae erga se benignitatem (II, 320-322) : obstringit nos vicissim ut ei communicemus nostra (II, 323), id est studeamus eius Institutum probe cognoscere (II, 324, 325), et cognita perfecte exsequi (II, 325, 326. IV, 329) omnigena abnegatione nostri ipsorum (II, 327, 328), ac fideli labore (II, 329, 330).

Beata erit Societas, ut olim, si haec serventur (II, 331).

Cetera *vid.* **Maiores, Sancti, Spiritus Societatis.**

SODALITATES sive Congregationes Marianae, maxime adulescentium et virorum commendantur (III, 141, 264. IV, 8, 252), neque curae destitui debent eorum qui parum idonei sunt, fructuosi minus (II, 44). Harum efficaciae testimonia (IV, 9). Quomodo regendae (IV, 256). De Sodalitatibus SS. Cordis Iesu (III, 5, 9).

SOLITUDINIS amor et exempla (IV, 144). Eam temperant solacia domestica (IV, 148).

SPES nostra sit in sola Dei bonitate ac misericordia, humili prece imploranda (II, 414. III, 297). Neque enim est quod in ulla alia re fiduciam nostram collocemus (II, 450, 451. III, 234), agnoscentes nostram vilitatem, et scientes quia vana salus hominis (I, 311); neque peccata nostra impedire debent quominus in Deum confidamus (II, 302. III, 110), qui providit ne cui mortalium in hac vita venia desperanda sit (II, 24). Immo quo humiliores in nobis fuerimus, eo maior concipienda in Deo fiducia (II, 341), et exspectandum tempus miserationum eius in patientia et spe (II, 296. III, 21, 183-189, 237). Nonne ipse est

qui de tantis periculis nos eripuit, in quem speramus quoniam et adhuc eripiet (II, 471, 472. III, 217, 218)? Dummodo spem dignam divina Potentia ac Bonitate habeamus, quantum in nobis est, res nostrae in tuto sunt (II, 272). Non enim fallitur Dei promissio (II, 450); sed qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem (II, 244).

SPIRITUALIA, sive res spirituales, quarum studium vehementer commendatur (II, 158-164), ne per earum relaxationem humani et inferiores affectus incalescant (II, 70-72) et totum spirituale aedificium ruat (II, 181) : *vid.* **Fervor, Interiora, Oratio, Spiritus.**

Spiritualia exercitia S. P. N. (II, 276) : *vid.* **Exercitia spiritualia.**

SPIRITUS SOCIETATIS *consideratus in suo principio* ipse Spiritus sanctus est qui totum hoc corpus vegetat atque vivificat (I, 92). Spiritus siquidem ille qui, teste Apostolo, omnia operatur in omnibus (III, 89), exemplar illud perfectum S. Patri nostro ostendit in monte, quod in Constitutionibus expressum cernimus (I, 92). Unice petendus et servandus est Spiritus ille bonus (II, 264), et ea removenda quae ne detur obstant ac impediunt (III, 36). *Consideratus in suo affectu* est spiritualis illa vita cuius primitias Societas per S. Ignatium accepit (III, 88), et dicitur internus homo, qualem haec nostra vocatio requirit, vel spiritus qui animare nos et in externis dirigere debet (III, 7, 8, 92, 134). Qualis ille sit erui potest tum ex bulla canonizationis S. P. N. (III, 90), tum ex regulis et Constitutionibus quas ab ipso accepimus (III, 91). Ex his autem non est spiritus iste libertatis et independentiae, cum praecipue in humilitate et oboedientia consistat (II, 430. Cf. III, 73, 140); nec frigidus et maleficus iste nationalis spiritus (II, 103, 121-124), cum sit spiritus caritatis (III, 243, 275). Describitur vero ut sit : sincerus, fervidus, impiger (II, 227) ac santus animi ardor, a divina gratia in nobismet ipsis excitatus, ad maiorem

Dei gloriam et salutem animarum procurandam per munia Societatis tamquam media (II, 230).

Porro quaecumque sit rerum humanarum varietas et inconstantia, ut idem semper et immutabilis in Societate perseveret spiritus (III, 89) S. P. N. gravissimarum legum pondere stabilivit et confirmavit (III, 92), voluitque media illa quae eum Deo instrumentum coniungunt ac disponunt efficaciora esse quam quae illud disponunt erga homines (II, 406).

Hauriendus ergo nobis est ille spiritus ardor in Exercitiis spiritualibus S. P. N. (II, 366) : *vid.* **Exercitia spiritualia**. Efformandus in nobis coniunctione cum Deo et mortificatione (I, 436) : *vid.* **Oratio, Mortificatio**. Pia sollicitudine conservandus in exterioribus (I, 52, 53) : *vid.* **Exteriora, Externus homo, Ministeria**. Sollicite promovendus per curam rerum spiritualium (II, 158) : *vid.* **Fervor**. Saepe renovandus (II, 385) : *vid.* **Renovatio**. Et ubi forte sopitus est, iterum suscitandus (II, 229), consideratione duplicis finis vocationis nostrae (II, 230-244), stimulantibus Maiorum exemplis (II, 254) et S. P. N. de caelo invitante (II, 100). Utrum vero spiritus ille in nobis vigeat, expenduntur potissimum quattuor indicia (II, 244-253).

A conservato renovatoque in nobis hoc spiritu, pendent incrementa et successus Societatis (II, 283).

STUDIA quem ad finem dirigantur in Societate (I, 15, 16, 60, 241. II, 31, 239, 240. III, 146). Sacra esse debent sive ex ipsa materia, sive ex ordine ad Deum (I, 458), ut non extra Deum sed intra peragantur (I, 462). Quanta sit studii sacri utilitas et necessitas etiam in formatis hominibus (III, 169-171) : *vid.* **Patres Ecclesiae, Scriptura Sacra.**

Sed scholasticorum praesertim ardor in studiis fovendus ob varias rationes (II, 24, 25. III, 197), modo ne intepescat rerum spiritualium studium (II, 408). Litteras et spiritum consociari non adeo laboriosum opus esse ostenditur exemplo P. Laynez (I, 60) et S. Ioannis Berchmans (III, 143), immo necessarium

prorsus (I, 61, 62, 459), ne in gravia pericula et damna incurratur (I, 57, 193, 459, 460). Ideo prae oculis habendum quod traditur initio partis decimae Constitutionum (I, 64), et illud quod Cong. Gen. XVIII decr. 22 sibi vehementer esse cordi declaravit (II, 240).

De iis quae in Ratione studiorum et Ordinationibus Generalium statuta sunt, curandum est ut fideliter exsecutioni mandentur (III, 277, 278, IV, 278, 282, 284).

Vehementius commendantur studia humaniorum litterarum (III, 274, 275); item altiora, quae per biennium accuratius recolant aptissimi (III, 278), instauranda ubique secundum doctrinam Angelici Doctoris in utraque facultate (III, 279).

STUDIUM perfectionis (I, 149) : *vid.* **Fervor.**

Studium spiritualium Exercitiorum S. P. N. (II, 365) : *vid.* **Exercitia spiritualia.**

Studium rerum spiritualium (I, 158) : *vid.* **Res spirituales.**

SUAVITAS divina (I, 313) : *vid.* **Perfectiones divinae.**

Suavitas requisita praesertim in gubernatione (I, 411. II, 382): *vid.* **Gubernatio, Mansuetudo.**

SUBDITI Superiores colant ut Christi vicarios (I, 30), quos in exsecutione adiuvare debent (I, 416), intellegentes quam grave ac periculosum onus hi sustineant (II, 225), ut omni simplicitate admonitiones ac correctiones accipientes (I, 68), similes aegrotis, vel sanctis martyribus (I, 417, 418), ut apta sint instrumenta in manu Dei (II, 409-411), et tamquam vivi et pretiosi lapides in aedificio Societatis (I, 92, 93).

Ad Superiorem possunt suam ab eorum sententia diversam referre (I, 45. II, 287, 288), et plena libertate cum Superioribus remotioribus communicare (II, 191, 192, 214). Cetera *vid.* **Oboedientia.**

SUBORDINATIO quaenam sit in Societate (I, 18, 19, 45. Cf. I, 419). Quare hanc ita constituere visum sit (I, 20-28, 46). Quam perfecte servari debeat (I, 29, 30).

SUPERBIA, quo vitio saepe accusamur (II,315), omnium hominum animis insita, ne laudibus et plausibus foveatur (II, 270), et ruinae sit praesertim magnis ingeniis (II,27,28. Cf. I, 192,193), in contrarium prorsus nobis enitendum est (I, 380, 381), et mundi spiritus, qui superbiae spiritus est, omni conatu a nostrorum animis arcendus ac repellendus (II, 430. IV, 324-329). Cetera *vid.* **Humilitas, Vetus homo.**

SUPERIORES ut alios scite noverint gubernare, opus est ut omnem prius in oboediendo suam operam collocaverint (I, 29).

Ut boni constituantur (I, 190) et constituti formentur (I, 191), magnae requiruntur dotes, et res est gravissimi momenti (I, 115. II, 225. Cf. II, 310-312), cum ab ipsis magna parte pendeat conservatio et progressio Societatis (I, 183. IV, 159). Sunt enim quasi architecti et molitores in aedificanda Societatis fabrica (I, 92. II, 4), vel ut custodes quibus depositum suae legis Societas commisit (II, 167, 168), et quorum errore magnam partem quaecumque hic errantur eveniunt (I. 461. Cf. II, 96). Quales ipsi tali observatione vigebit disciplina (I, 406), et tales fere ernnt subditi (III, 154), quorum spiritualis profectus ab iis qui regunt dependet (I, 77. II, 45), ut forma vasorum a pedibus figuli moventis rotam (I, 97).

Hinc 1° rectam habeant intellegentiam Instituti (I, 199. II, 324, 325), et omnia agant ad ideam a S. P. N. relictam (II, 47. Cf. II, 325, 326), pensantes rationem se reddituros pro animabus subditorum (I, 407. II, 202. III, 155).

2° Sint in spiritualibus exercitati (I, 85. II, 377. IV, 161), et exemplo subditis praeluceant in divino cultu (I, 337) et pia conversatione (I, 461); in caritate (I, 106), oboedientia (I, 29) et paupertate (II, 96. III, 46), vitando immoderatam profusionem et angustam tenacitatem (II, 38, 39, 96-98); in debita reverentia exhibenda antiquioribus (I, 202), et in omni religiosae vitae officio, custodiaque regularum (I, 413. III, 154); quin immo in obeundis missionibus quod ad gubernationis munia patiantur

(I, 468), quamquam in primis colendi sunt domestici (III, 249, 250. Cf. II, 171, 172).

3° Toto animo sese ad gubernationis curam applicent (I,188). Ad quod opsus est : A) Ut animosius invigilent (I,98) : 1) circa studium orationis (I,81-87) et spiritualium rerum (II,159-164.II,181); — 2) circa regularum observationem (I, 87, 88, 95, 96) ; — 3) circa progressum nostrorum in virtute solida (I, 187, 188. Cf. I, 82, 83) ; — 4) circa caritatem fraternam procurandam inter nostros (I, 204, 205) et cum externis (I, 107, 112, 114, 211, 212, 289, 290), etiam grati animi vicem erga benefactores reddendo (II, 29).

Quam vigilantiam saepe impediunt : 1) nimia cura rerum temporalium vel saecularium (I, 98, 188-190, 313-316. II, 170) ; — 2) privatum studium et amor quietis (II. 170) ; — 3) nimia iuvandi proximos sollicitudo (II, 171, 172), et frequentia contionandi (I, 188), vel ad exteriora et saecularia effusio (II, 172) ; — 4) naturalis incuria, humani respectus, vel ipsa difficultas deprehendendi errata (II, 173-175).

B) Ut fortiter exsequantur (I, 89) et exsecutionem urgeant (II, 177), nec leves culpas contemnant (II, 183-186), nedum excusent (II, 187, 188), aut falso metu (II, 189, 190) occultent (II, 191-193), praetextu lenitatis et mansuetudinis (II, 194-200). Sed strenue tueantur disciplinam (II, 201-214), pro sua prudentia et sollicitudine (II, 214, 215), nullis difficultatibus cedentes (II, 216), et abusus antequam suboriantur caute praevenientes (II, 217-219).

Huic fortitudini saepe obstant : 1) inordinatum desiderium omnes aequaliter iuvandi (I, 407, 408) ; — 2) timor displicendi (I, 409), privata in aliquos propensio (I, 411) et amor proprius (I, 412) ; —3) nimia cura rerum temporalium (I, 413) ; —4) dilatio in crastinum (I, 100) et defectus providentiae, quod est vitium in Superioribus sane gravissimum (III, 149).

C) Ut curent magis amari quam metui (I, 78), aequali erga omnes caritate (I, 202, 411. II, 41, 42, 96) se patres exhibentes

et matres (I, 101, 410. II, 97), ut duo extrema vitent : pusillanimitatem (I,99-101) et asperitatem (I,102) : nec subditos umquam exulcerantes (I, 203), vel ad desperationem provocantes (II, 24. Cf. II, 222, 149) ; neque tamen eorum erratis conniventes (I,99) vel amarum remedium detrectantes (II, 22, 23), quae non esset vera mansuetudo (II, 198), sed hostilis crudelitas (I, 100).

D) Intellegant se non esse ad id constitutos ut suorum defectus notent et ad alios referant, sed ut ipsi curent (II, 161, 193), et tamquam medici spirituales (II, 177) sanent subditorum infirmitates (I, 184). Hanc sibi commissam curam numquam deserant, numquam erratorum correctionem omittant (II, 215, 216), ne vel minimum quid minus ordinati sine seria animadversione tolerantes (III, 70. Cf. I, 99), nec umquam de subditorum emendatione desperantes (II, 222, 223. Cf. I, 397-399. II, 149, 150).

Maxime sollicitam curam habeant iuniorum (II, 206) et intersint scholasticorum litterariis exercitationibus (II. 28) : *vid.* **Scholastici**.

In admittentis quomodo se gerant (III, 272, 315). In dimittendis nec sint nimis celeres nec timidi (I, 195. III, 273). Adversus laxiores remedium docent sacrae paginae (II, 142).

Talentum, quo nomine venit quicquid omne cum proximorum fructu et utilitate proferri potest et impendi (I, 241) : quisquis suum fideliter ac strenue exerceat (II, 407, 408); et sive quinque talenta quis acceperit, sive duo, illa quinque, illa duo in Societatis emolumentum exponat (II, 329, 350); ne post negotium ad Dominum nostrum vacui redeamus (II, 254, 255), ut fusius expenditur in parabola de servis (I, 242-245).

TEMPERANTIA facit ut dictum Philosophi *ne quid nimis* in omnibus observetur, neu virtus desinat in vitium (I, 12).

De victu recte temperando regulas scripsit S. P. N. (I, 261. II, 380); sed voluit etiam ut corporis castigatio immoderata

non esset nec indiscreta (I, 268), et ut valetudini consuleretur (I, 249, 259. II, 38-40). Ideo ne opprimatur, certae mensurae ratio servanda in laboribus (I, 52) et corporis afflictationibus (I, 13, 260), in oratione (I, 251) et contemplatione (II, 170); quin immo in sollicitudine iuvandi proximum (I, 207-210. II, 171-172) zelus ipse discretione temperandus est (II, 439. III, 321, 322) : quanto magis in sollicitudine rerum temporalium (I, 66, 67, 383). Porro praesentiae divinae magisterio docemur agere moderate (I, 443).

Aliae virtutes quae ad temperantiam referuntur : *vid.* **Castitas Mansuetudo, Modestia, Humilitas.**

TEMPESTATES ac procellae quibus pulsatur cymba Societatis (II, 345, 397, 437) : *vid.* **Adversa.**

TEMPORALIA, sive res familiaris Collegiorum ac Domorum, ita curanda ne qua fiat caelestium iactura (I, 464). Cupiditas enim certissima pestis est Religionum (I, 66), et nimia sollicitudo temporalium saepissime causa remissionis (I, 188-190, 413-416. II, 170).

Quare ne sit horum cura immoderata (I, 383, 463), admonendi, corrigendi et officio etiam movendi Procuratores quos in ea re ab Instituto nostro errare Superiores animadverterint (I, 464).

Ut profusio vitanda (I, 369, 370. II, 96), ita etiam prava parsimonia (II, 38-40, 97, 98), confidendumque sanctissimam Dei providentiam necessitatibus temporalibus non esse defuturam (I, 189. Cf. I, 67, 414), et ceteroquin iuvat etiam paupertatis fructus experiri (II, 343, 344).

Temporalia negotia consanguineorum vel aliorum non sunt suscipienda (II, 91-93) : *vid.* **Negotia Saecularia.**

TEPOR spiritualis, sicut vulnus malae inflictum, vitam quidem non adimit, nihil tamen minus hominem deformat (II, 141). Nihil religioso viro tam suspectum esse debet quam si in se studium perfectionis frigescere sentit (I, 124). *Signa* quae

teporem arguunt enumerantur varia (I, 119, 120). Quem animi teporem ut nullum umquam admittamus (I, 5), convertendi oculi in huius turpitudinem et foeditatem (I, 303), causas et radices (I, 305), denique remedia (I, 127).

Damnosus tepor est : 1° ipsis tepidis, eo quod privantur fructibus fervoris (I, 6, 7. Cf. I, 141, 142. II, 235, 236); — merito dicuntur steriles (I, 64), avari et ingrati Deo (I, 137, 138. Cf. I, 303); — quasi hectici febrim non sentiunt et cotidie aliquid perdunt (I, 304. Cf. I, 124. II, 60); — ruinae spirituali se exponunt (I, 125, 304, 305).

2° Internae quieti et sanctitati, quam tepidorum consortium interturbat (II, 139, 141. Cf. I, 61. II, 228, 245. III, 34) : quo morbo cum plura membra laborant, fieri non potest quin totum corpus aegrotet (I, 184. II, 228); et licet in numerosa Religiosorum familia, nonnulli tepidi quodammodo necessario inveniantur, verumtamen vae illis (II, 283)!

3° Bonae existimationi apud externos, cui idem derogat (II, 141, 182, 228, 246. Cf. II, 111-113. III, 179), adeo ut alicuius e Societate vitium et culpa, alioquin per se leve, conversionem tamen impediat salutemque multorum (I, 129). De innumeris istis incommodis pertractavit P. Claudius in libro Industriarum (I, 305).

Causae teporis multae sunt et intestinae (I, 126) : amor proprius; passionum rebellio et conflictus (I, 305); horror difficultatis; desiderium rerum facilium; voluntaria cordis evagatio; defectus orationis (Cf. II, 181), neglegentia examinis; quin immo ipse excessus fervoris initio conversionis (I, 260).

Remedia sunt : assiduo studio has teporis radices mortificare (I, 127, 305); — serio et per multum temporis meditari quanta obligatione obstricti simus Deo per omnia respondendi (I, 306) consideratione divinarum perfectionum (I, 306-325); — cotidiana mentis renovatio (I, 128).

Quomodo autem Superiores subditorum suorum infirmitates curent (I, 107, 184) : *vid.* **Superiores**. Cetera *vid.* **Fervor.**

TIMOR Dei sanctus (I, 52), quo semper nos ipsos habemus suspectos (I, 310, 311), Ipso adiutore, viget in Societate (I, 384); sed sollicita cura servandus est (I, 125, 126, 307. II, 202, 254. III, 149, 150), ne forte ob culpas nostras detrimenta capiat Ecclesia Christi (I, 161, 225, 226), vel Mater Societas (II, 114, 165, 450), aut ne spiritus religiosus et ipsa vocatio in discrimine versentur (III, 173, 201). Beatus enim homo qui semper est pavidus (I, 56). Hoc sancto timore plenus est amor (II, 425. Cf. I, 55, 291. II, 107. 181. III, 197, 198, 251).

Sed extra hunc, omnes alii metus et pericula nihili sunt facienda (III, 115. Cf. II, 342-345). Quare timiditas (I, 195. II, 96) et pusillanimitas (I, 107. II, 117), timor displicendi (I, 409) et humanus metus ex varia causa (II, 189-199. II, 353), ut defectus fiduciae quam Dominus certe meretur (II, 341), arguitur praesertim in Superioribus, et remedium indicatur (II, 199-201).

TIRONES (II, 17) et **TIROCINIUM** (III, 274) : *vid.* **Novicii.**

TRIBULATIONES, in quibus gloriemur, scientes quod tribulatio patientiam operatur (III, 240) : *vid.* **Adversa.**

UBIQUITAS ne ipsi quidem conceditur Christi corpori glorioso (II, 151) : *vid.* **Perfectiones divinae.**

UNIO cum Deo singularis (II, 379), sive quae Deum inter nosque intercedit consuetudo (I, 363) : *vid.* **Oratio.**

Unio animorum (II, 124), qua inter se et cum suo capite membra Societatis unita sunt (I, 107), idem omnes cogitant et sentiunt (I, 65), sapiunt et dicunt (I, 41), unum corpus et unum spiritum efformant in una spe vocationis vocati (II, 225. Cf. III, 141) : tam necessaria est (II, 108, 109), ut sine hac neque conservari neque regi posse Societatem nostram affirmet S. P. Ignatius (I, 107, 108). Proinde nec dissensiones, nec sinistre dicta de nationibus, nec murmurationes, nec ulla semina zizaniorum toleranda sunt (I, 109. II, 125-127), sed severe in semi-

natores discordiarum animadvertendum (I, 172. Cf. II, 59, 60); nec parva initia parvi sunt facienda (I, 205, 206), cum maxime exitialis sit discordia (I, 171, 172. II, 113-115), ut demonstratur ex doctrina S. Scripturae et Patrum (I, 172, 173. II, 109-111), ex ipsa humana ratione et experientia (I, 173-175) : *vid.* **Caritas.**

Fraterna inter se concordia et cum Deo admiranda coniunctione, ut binis gemmis effulgens diadema coronavit Maiores nostros (II, 158).

VALETUDO sine qua nec suscipi labores ingenii, nec vitae communis incommoda tolerari possunt (II, 19. Cf. II, 355) ; *vid.* **Temperantia**.

VETUS HOMO, ut vocatur ab Apostolo (I, 121), alias vetus Adam (I, 105), dicitur amor proprius se ipsum perpetuo quaerens (I, 305), cum proprii nominis et commoditatum acriore studio coniunctus (I, 412). Est ille gravissimus boni communis hostis (I, 82), cum privatim sibi ac suis consulat, se unum suaque unice curet (II, 105).

Hic perennis fons interior inveterationis nostrae (I, 121), cuius signa quaedam exteriora (I, 119, 120) et vitia indicantur (I, 121, 126). Huiusmodi sunt : superbia et aliorum contemptus (I, 193, 194, 290. II, 27, 28, 270, 317) ; libertas omnis dominationis impatiens (III, 334) ; ambitio et vanitas (I, 61), sectans speciosa in oculis mundi (II, 313. III, 254), vanam gloriam (I, 344, 375, 376) et ostentationem (II, 249, 314), unde timor displicendi (I, 409. II, 198), respectus humani (II, 173, 174) et aliae miseriae (I, 378. II, 154, 155) ; studium commodorum et cupiditas (I, 369, 370, 382, 383), amor quietis et naturalis incuria (II, 170, 173, 245), privatae amicitiae (I, 111, 165, 411. II, 129, 130), immodicus amor patriae (I, 108, 457. II, 144, 150) et consanguineorum (I, 165, 364, 365. II, 91, 92, 224), et omnis amor sensualis (II, 75, 76, 327), falsa specie velatus caritatis (II, 427. III, 295), pietatis (III, 263), vel gloriae Dei (II, 284), sed verae caritati maxime

nocivus (I, 176. III, 122-124), praeterquam quod inde animi abiectio, maeror et cotidianae querimoniae exsistunt (I,61,204, 205. II, 78. III, 142, 145).

Porro veteris erroris semper aliquid in nobis remanet (I, 150. 151, III, 181), suscitans contradictiones (I, 94. III, 36) et rebelliones (I, 89, 126, 127, 293-295), et ideo luctamine assiduo et sui ipsius victoria (I, 6, 443, 444. III, 37) vetus homo exuendus, ut induatur novus (I, 121-123, 152, 153). Neque enim sine longa veteris hominis mortificatione, novus induitur (II, 312) ; et eo nobis melius futurum quo longius ab amore nostri ipsorum recedamus (II, 380) : manna scilicet absconditum vincenti se daturum Christus Dominus pollicitus est (III, 125). Cetera *vid.* **Renovatio.**

VIGILANTIA ostium domus fideliter custodiat, ne pateat latronibus (II, 86), neve exterminet vineam aper de silva (I, 162), qui perpetua vigilantia nos dies noctesque impugnat (I, 126). Omnes igitur in Societate sibi sollicite attendant (I, 129-132. Cf. I, 143), ut in ministeriis erga proximum (I, 207, 208) tales sint quales regula postulat (III, 61. Cf. III, 42, 128, 231). Sed praecipue Superioribus (I, 95, 98) cura quam maxima pervigilandum est (I, 55), idque praesertim hoc tempore dispersionis (III, 250). Et quamvis haec gubernationis pars facilis videatur, experientia docet nihil facilius accidere quam ut in ea desint, ob varias causas (II, 170-174). Qualis autem debeat esse eorum vigilantia ostenditur (II, 175, 176. Cf. I, 411, 461).

VIRTUTES, quarum firma basis ponenda in noviciatu (I, 61. Cf.II,239), inde a primordiis vitae religiosae (III,145), sicut artes et divitiae, acquiruntur exercitio (I, 141, 142). At non sufficit nobis qualiscumque virtutis amor (II, 312, 338), nec quaelibet virtutis exercitatio (III, 89. Cf. II, 282, 283). Sed Institutum nostrum exigit solidarum perfectarumque virtutum ardens studium (I, 187) et assiduam tractationem exercitationemque

(I, 123) : ad quam prope infinitae occasiones et materia fere continua offeruntur (I, 51. Cf. III, 195-204) praesertim in missionibus (II, 355, 356).

Et quamquam ad gradum Professi numquam satis fuit insignis doctrinae praestantia (II, 139, 144), sed magis fuit semper aestimanda virtus (II, 145-148), ex Constitutionibus nostris (I, 64. II, 406); nostro tamem maxime tempore nihil tam necessarium est quam ut quisque in solidarum virtutum profectum naviter incumbat (III, 41. Cf. III, 153).

Has autem docebit nos oratio (I, 82), Crux Salvatoris (I, 65. III, 176) et sanctissimum Cor Iesu (III, 14-20). Nisi enim a divino nostro exemplari discantur, non tam virtutes quam artes erunt dicendae (III, 8). Cetera *vid.* **Abnegatio, Interiora, Oratio, Spiritus.**

VITIA veteris hominis (I, 121) : *vid.* **Vetus homo.**

VOCATIO, ad quam a Deo electi sumus, valde sublimis est (II, 227), ob celsissimum finem duplicem (I, 3, 4) et media praestantissima (II, 320, 321. Cf. II, 230-233. III, 100); et multo melius quam dici potest, studio orationis, celsitudinem illam agnoscemus (II, 253).

Sit ergo nobis continuo ante oculos quid tanta gratia a nobis exposcat (I, 72).

Magnum enim beneficium (I, 4, 5, 32) et insignis Dei favor est (I, 49) : cuius magnificentia et obligationes (I, 154-157, 159-161. Cf. II, 127) expenduntur in descriptione templi Ierosolymitani (I, 297-304), in adhortatione S. Ambrosii ad athletas (I, 324, 325), et in navicula Petri (II, 345, 397-404) assiduis turbinibus agitata et concussa (II, 404-412), cuius nos validos fore remiges speravit immortalis memoriae Pius VII (II, 437-442). Cetera *vid.* **Societas Iesu, Spiritus Societatis.**

VOTA, quae emittuntur ad duplicem finem Societatis melius consequendum (II, 52), totius religiosae perfectionis summam

et mystici holocausti adaequatam rationem continent (III, 42). Per haec nos totos Deo dicavimus (I, 309), et vita ista iam non est nostra, sed Illius qui suae non pepercit ut eam nobis impertiret (I, 67, 68). At cum hostiae simus vivae, offerri in dies, continuando semper sacrificio, et possumus et debemus (II, 323, 324).

Porro in quattuor votis quae Professi concipiunt, et quorum unumquodque vel omnino vel ex parte fit alteri quoque gradui commune, exigit S. P. N. suos angelis similes (II, 32-34). Magno itaque et summo studio satagendum est ut a nobis perfecte serventur (III, 84, 85), ac tanto magis in missionibus exteris et dispersione, quanto plus deest de saeptis domesticis et vigilantia Superiorum (I, 52, 53. III, 203, 284). Cetera *vid.* **Castitas. Missiones, Oboedientia, Paupertas.**

ZELUS ANIMARUM effectus proximus est fraternae caritatis (III, 243) et certissimum amoris Dei argumentum (I, 234). Necessarius omnibus Christianis (III, 242), sed multo magis nobis ex Instituto et vocatione nostra (III, 243. Cf. I, 238, 239. II, 230-233), cuius nota praecipua est omnem industriam contentionemque suam ad proximorum salutem et perfectionem conferre (II, 234).

Exerceri potest et debet ab omnibus nostris (II, 239-242) etiam in dispersione (III, 291, 292), quin immo a Iunioribus (I, 15-17) et Fratribus coadiutoribus (III, 177-180). Ut autem facilius exsuscitetur et exardescat ignis, tria maxime faciunt : 1° Miser rerum status in orbe terrarum (I, 235-237. III, 262, 263), Ecclesiae calamitates (III, 191, 192. Cf. I, 223, 224), grassans perversorum impietas (III, 11, 12) et furor malorum (III, 244).

2° Professionis nostrae obligatio (I, 237-240. Cf. II, 233-235), et spes de nobis conceptae (II, 403, 404, 470, 471).

3° Talentum a Deo nobis donatum (I, 240, 241) et cum usura reddendum (II, 254, 255) : qua parabola monemur ut enixe pro

virili parte contendamus, tum metu poenae tum spe praemii (I, 242-244. Cf. II, 236-238). His accedunt Maiorum nostrorum exempla (III, 245. Cf. II, 254, 348), et vox caelestis Sponsi (I, 245).

Ut zelus ab omnibus exerceatur, non qualiscumque, sed secundum scientiam (II, 439), debet esse :

1° Purus (I, 301) et sincerus (III, 222) ad maiorem Dei gloriam (I, 238. II, 356, 357), laborem quaerens non honorem (I, 375); neque parum ad hanc puritatem consequendam iuvant adversa (II, 441).

2° Ardens (II, 230) et impiger (III, 168), non segnis nec remissus (III, 124).

3° Discretus (I, 51, 52. II, 439. III, 138) et oboedientia (III, 163-165) ordinatus (III, 161, 247). Talis ut sit, docet S. Franciscus Xaverius delectum habendum esse (III, 249) :

A) Circa personas : in primis enim colendi sunt domestici (III, 249-251. Cf. II, 211, 212); tum externi qui magis indigent (III, 232. Cf. I, 112), ad exemplum Christi Domini (III, 253), et praecipue pueri (III, 255), viri ecclesiastici et sacerdotes (III, 256); parce vero mulieres (I, 196, 197. III, 256), etiam sanctimoniales (III, 286, 290), quarum curam nostri non debent suscipere (III, 138, 139); magis iuvandi sunt viri (III, 257), unde minus periculi et plus lucri (III, 258, 259. Cf. I, 375, 376).

B) Circa ipsa ministeria : anteponenda sunt ea quae magis habent utilitatis (III, 260) : in primis exercitia spiritualia S. P. N. (III, 141, 261), deinde alia Instituto nostro propria (II, 262, 263), quibus Patres nostri tot fructus tulerunt (III, 245), non vero nova et minus solida (III, 264).

In exercendo zelo semper memores simus perfectionis propriae sectandae (III, 264-266), et devoti SS. Cordi Iesu (III, 218) : quae devotio ipsa plurimum iuvabit ad zelum nostrum inflammandum (III, 222) et moderandum (III, 16).

ZIZANIA inimica (I, 55-57), lolium (I, 150), nocentesque herbae quae huius in eremo vitae tam uberi proventu succrescunt (I, 379, 380), ex agro dominico exterminanda (I, 109), ne messis opprimatur (III, 291) : *vid.* **Vetus homo.**

A. M. D. G.

Imp. Joseph Polleunis, r. Sans-Souci, 45, Ixelles, Tél. 8050